




Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

114580

MA
D
197







COMMENTARIUS

IN

EVANGELIUM SANCTI MATTHAEI

CONCINNATUS

PER

LEONARDUM KLOFUTAR,

PRAEPOSITUM MITRATUM CAPITULI CATHEDRALIS LABACENSIS,
S. S. THEOLOGIAE CATHOLICAE DOCTOREM, INSTITUTI STUDIORUM
THEOLOGICORUM DIOECESANI DIRECTOREM, NEC NON STUDII BIBLICI
N. T. PROFESSOREM P. O. EMERITUM ETC. ETC.

EDITIO ALTERA EMENDATA ET AUCTA.



LABACI.

SUMPTIBUS AUCTORIS. — TYPOGR. CATHOL.

1898.

114580

Approbatio.

„**Commentarius in Evangelium s. Matthaei concinnatus per Leonardum Klofutar, Ss. Theologiae doctorem, professorem publicum ordinarium**“, nihil continet doctrinae moribusque Ecclesiae catholicae contrarium et cum approbatione Ordinariatus Labacensis in lucem edi potest.

Labaci die 4. Augusti 1864.

Bartholomaeus

Episcopus.

114580

Nr. 3068.

Approbatio.

Editio altera emendata et aucta **Commentarii in Evangelium s. Matthaei, concinnati per Revmum Dom. Leonardum Klofutar, Ss. Theologiae doctorem, Praepositum mitratum Capituli cathedr. Labacensis, Instituti studiorum theologicorum Directorem nec non studii Biblici N. T. professorem p. o. emeritum**, non solum nihil continet doctrinae moribusque Ecclesiae catholicae contrarium, sed imo multam meretur laudem dignaque est, quae s. Scripturarum studiosis praeprimis commendetur. Quapropter ut imprimatur, libenter permittimus.

Labaci die 25. Octobris 1897.

Jacobus

Eppus.



UOV (X) FLC 623/1953

Praefatio ad lectorem!

Commentarium in evangelium s. Matthaei jam ante paucos annos ope lithographiae impressum edidi. Quum tamen recentissimis temporibus nonnulli commentarii in s. evangelia, nec non et alia quaedam opera ad ea interpretanda utilia, in lucem prodierint, adhibitis illis commentario illi meo recognoscendo, corrigendo emendandoque operam dedi, quare necessitas quasi allata erat, ut nova, et quidem, quum commentarius in evangelium s. Joannis typis impressus sit, typorum ope fieret commentarii illius editio. Quod ad fontes et subsidia attinet, usus sum in hoc commentario exarando praeter illa in commentario in evangelium s. Joannis memorata opera, etiam commentariis: Aug. de Berlepsch commentar. in evang. Matthaei, Francisci Xav. Patritii commentar. in Marcum, Petri Schegg Erklärung des Evang. nach Lucas, Aug. Bisping Erklärung des Evang. nach Matthäus, Wilhelm Reischl Erklärung der heil. Schriften des N. T.; porro praeclaro opere: Joseph Langen: Die letzten Lebenstage Jesu. Etiam in hoc commentario, quaedam intellectu faciliora explicavi, quia etiam hunc, uti illum in evangelium sancti Joannis, proxime in usum theologiae studentium scripsi, ut eis, quum desint libri, praeprimis latino sermone exarati, qui usibus inservirent scholasticis, in s. scripturae studio ducis instar esset. Respectu ad hos expositio etiam talium rerum, teste experientia, haud superflua apparet. Si porro etiam in hoc commentario alios auctores frequenter citavi, id a me factum est, partim ut lectori fons designetur, unde ipse hausit; partim ut lector sciat, ubi ei, si ego brevitatis studiosus fui, ulteriora sint quaerenda.

Ceterum etiam hunc commentarium ecclesiae judicio plenissime subjicio.

Labaci festo s. Norberti 1864.

Auctor.

Praefatio editionis secundae.

Amplius sunt jam quatuor anni, quum semisaecularis Sacerdotii sacra jubilaea fecerim; ast, non obstante senectute mea, s. Scripturae studio semper intentus permansi. Quum exemplaria commentarii mei in s. Matthaei evangelium fere omnia divendita atque interea praestantissima opera exegetica cl. auctorum Cornely S. J., Knabenbauer S. J. et Schanz edita sint, vix autem sperari possit, multos haec opera praestantissima sive ob ambitum suum, sive ob magnum eorum pretium sibi comparaturos eaque lecturos esse, utilitatem praesertim theologiae studiosorum ob oculos habens, movebar, ut alteram hujus commentarii curarem editionem. Ceterum sicut commentarium editionis prioris, ita et hunc Ecclesiae judicio plenissime subjicio.

Labaci festo Nativitatis B. M. V. 1897.

Auctor.

Conspectus operis.

	Pagina
Prolegomena	1—19
Titulus Evangelii	20

Pars Prima I, 1—4, 11.

Caput	I.	1—17.	1. Genealogia Christi	20
		18—39.	2. Christi e Spiritu s. conceptio, origo ex Maria et nomen	32
»	II.	1—12.	1. Magorum adventus	40
		13—15.	2. Fuga in Aegyptum	48
		16—18.	3. Infanticidium Bethlehemiticum	50
		19—23.	4. Reditus in Judaeum	52
»	III.	1—12.	1. Joannis B. praedicatio et baptismus	54
		13—17.	2. Christus a Joanne baptizatur	59
»	IV.	1—11.	Christi tentatio	61

Pars Secunda 4, 12—13, 58.

	v.	12.	1. Jesus in Galilaea	67
		13—16.	2. Iter Nazaretho Capharnaum	69
	v.	17.	3. Christus praedicans in Galilaea	70
		18—25.	4. Vocat quatuor discipulos	71
»	V.	1—VII, 29.	Sermo montanus	73
		5, 1—10.	1. Octo beatitudines	75
		13—16.	2. Officia Apostolorum	81
		17—48.	3. Relatio regni Messiani ad legem V. T.	84
	6,	1—4.	1. De eleemosyna danda	106
		5—15.	2. De oratione	107
		16—18.	3. De jejunio	114
		19—34.	4. De cura bonorum coelestium	114
	7,	1—6.	1. De judiciis temerariis et severis	119
		7—12.	2. Exhortatur ad orandum	120
		13—23.	3. Hortatur ad laborem et vigilantiam	122
		24—29.	4. Sermonis epilogus	125
»	VIII.	1—4.	1. Sanatio viri leprosi	127
		5—13.	2. Sanat centurionis servum	129
		14—17.	3. Sanat socrum Petri aliosque	131
		18—22.	4. Duo discipuli Christi fieri volentes	133
		23—27.	5. Tempestas sedata	135
		28—34.	6. Sanat duos daemones	136

			Pagina
Caput	IX.	1 — 8. 1. Sanat paralyticum	140
		9—13. 2. Vocatio Matthaei	142
		14—17. 3. De jejuniis privatis	144
		18—26. 4. Sanat mulierem sanguine fluentem et Jairi filiam vitae reddit	147
		27—31. 5. Duo caeci sanantur	150
		32—34. 6. Sanatur mutus daemoniacus	150
		35—12, 58. 7. Jesus regni Messiani fundator	151
»	X.	v. 1. 1. Prima Apostolorum legatio	152
		2 — 4. 2. Nomina Apostolorum	153
		5 — 42. 3. Praecepta Apostolis data	155
»	XI.	1 — 19. 1. Legatio Joannis ad Christum	172
		20—24. 2. Minae in urbes Chorozaïn, Bethsaida et Ca- pharnaüm	183
		25—30. 3. Invitatio ad jugum ejus suscipiendum	185
»	XII.	1 — 8. 1. Discipuli sabbato spicas vellentes	188
		9—14. 2. Sanatio manus aridae	191
		15—21. 3. Christi humilitas et lenitas	193
		22—37. 4. Sanatio daemoniaci caeci et muti; pharisaei calumniantes et prodigia flagitantes, Christi responsa	195
		38—45. 5. Petitio signi	204
		46—50. 6. Christi mater et propinqui ad eum adire qua- rentes	209
»	XIII.	1 — 2. 1. Christus in navicula considens	211
		3 — 9. 2. Parabola seminantis	212
		10—18. 3. Cur in parabolis loquatur	213
		19—23. 4. Interpretatio parabolae seminantis	218
		24—30. 5. Parabola de zizaniis	220
		31—32. 6. Parabola de grano sinapeos	221
		v. 33. 7. Parabola de fermento	222
		34—35. 8. Impletio loci prophetici in Christo	222
		36—43. 9. Interpretatio parabolae de zizaniis	223
		44—52. 10. Parabola de thesauro, negotiatore et sagena	225
		53—58. 11. Christus Nazarethi contemptus	227

Pars tertia 14, 1—20, 28.

»	XIV.	1. 2. 1. Herodis sollicitudo propter Jesum	229
		3—12. 2. Mors Joannis Baptistae	230
		13—21. 3. Turbae miraculosa cibatio	232
		22—33. 4. Christus mare inambulans	233
»	XV.	1—20. 1. Christus castigat hypocrisin pharisaeorum	235
		21—28. 2. Mulier Chananaea	240
		29—31. 3. Curationes in Decapoli	242
		32—39. 4. Altera turbae cibatio miraculosa	243

			Pagina
Caput	XVI.	1 — 5. 1. Pharisei et Sadducae signum postulant	244
		6—12. 2. Hortatur Christus discipulos, ut a fermento pharisaeorum caveant	245
		13—20. 3. Petri testimonium de Christo, promissio Primatus	246
		21—28. 4. Christus prima vice mortem suam praedicat	255
>	XVII.	1 — 9. 1. Transfiguratio Christi	260
		10—13. 2. Colloquium Christi cum discipulis post transfigurationem	264
		14—20. 3. Sanatio hominis lunatici	266
		21. 22. 4. Christus mortem suam iterum praedicat	269
		23—26. 5. Stater in ore piscis	270
>	XVIII.	1—14. 1. Christus Apostolis humilitatem commendat, eosque ut a scandalis caveant, hortatur	272
		15—20. 2. De fraterna correptione	278
		21—35. 3. De condonandis injuriis	280
>	XIX.	1. 2. 1. Iter Hierosolymam	284
		3—12. 2. De matrimonio et virginitate	285
		13—15. 3. Benedictio parvulorum	293
		16—26. 4. Juvenis dives, pericula divitiarum	294
		27—30. 5. Praemia constantibus Christi asseclis promissa	299
>	XX.	1—16. 1. Parabola de operariis vineae	302
		17—19. 2. Christus tertio praenunciat passionem et mortem suam	306
		20—28. 3. Filiorum Zebedaei petitio, Christi monita	307

Pars quarta 20, 29—28, 20.

		29—34. 1. Sanatio caecorum in vicinia Jerichuntis	310
>	XXI.	1—11. 1. Solemnis Christi in metropolin ingressus	312
		12—17. 2. Altera templi purgatio, indignatio principum de Christi miraculis	315
		18—22. 3. Ficui sterili maledicit	316
		23—27. 4. Christus respondet ad quaestionem de potestate ipsius	317
		28—32. 5. Prima parabola de duobus filiis jussis in vinea operari	319
		33—46. 6. Altera parabola de vinitoribus	320
>	XXII.	1—14. 1. Parabola de regis nuptiis	325
		15—22. 2. Solvit Christus quaestionem de censu Caesari dando	329
		23—33. 3. Sadducaeis a Christo responsum datur	331
		34—40. 4. De praecepto omnium maximo	333
		41—46. 5. Quaestio de Messia, Davidis filio	336
>	XXIII.	1—12. 1. De hypocrisi et ambitione pharisaeorum	338
		13—36. 2. Octo vae in scribas et pharisaeos	342
		37—39. 3. Christus Hierosolymae dolenter acclamat	353

		Pagina
Caput XXIV.	1—25, 46. Sermo propheticus	356
	1 — 3. A. Sermonis hujus occasio	356
	4—14. I. Monita ad vigilantiam et ut caveant a se- ductione	359
	15—21. II. Prophetia de Hierosolymae eversione	362
	21—51. III. Prophetia de altero Christi adventu et de fine mundi	366
» XXV.	1—13. 1. Parabola de decem virginibus	378
	14—30. 2. Parabola de decem talentis	381
	31—46. 3. Judicium extremum, ejus norma et exitus	384
» XXVI.	1 — 5. 1. Christus mortem suam proximam praedicens	387
	6—13. 2. Christi unctio Bethaniae	389
	14—16. 3. Judas Christum prodit	389
	17—19. 4. Praeparatio coenae paschalis	391
	20—30. 5. Postrema coena. Eucharistia instituta	392
	31—46. 6. Ingressus in hortum Gethsemani et anxietas Christi	400
	47—56. 7. Christi comprehensio	406
	57—68. 8. Christi accusatio et vexatio coram Caipha	410
	69—75. 9. Petri negatio triplex	413
» XXVII.	1. 2. 1. Altera de Christo quaestio; Christus Pilato traditur	414
	3—10. 2. Desperatio et mors Judae	415
	11—31. 3. Christus coram Pilato ejusque condemnatio	419
	32—56. 4. Christi crucifixio et mors	422
	57—66. 5. Christi sepultura	425
» XXVIII.	1—10. 1. Resurrectio Christi	427
	10—20. 2. Apparitio Christi undecim discipulis in Ga- lilae; missio Apostolorum	430



Prolegomena

in

Evangelium s. Matthaei.

§ 1.

De Matthaei persona et vita.

atthaeus, qui teste traditione auctor est primi in canone Evangelii, erat, uti ex eius linguae hebraicae, librorum V. T. et rerum Judaicarum cognitione, nec non ex ejus vocatione in numerum Apostolorum recte colligitur, natione Judaeus, qui portitoris munere Capharnaumi fungebatur, quum eum Christus sibi adiunxit, uti id ex ipso hoc evangelio patet (9, 9.), ubi vocatio ejus narratur. Pater ejus juxta s. Marcum (2, 14.) vocabatur Alphaeus, unde tamen haud sequitur, patrem ejus fuisse eundem virum, cujus filius erat Jacobus minor, Apostolus; Matthaeus enim in consignatione Apostolorum (Matth. 10, 2. seq., Luc. 6, 14. et seq.), ubi nomina fratrum Apostolorum juxta se posita inveniuntur, non cum Jacobo, Alphaei filio, conjungitur, nec (Matth. 13, 55.) inter fratres Christi Domini nominatur. Hic Matthaeus a s. Marco (2, 14.) et Luca (5, 27.) vocatur Levi.

Matthaeum et Levim eundem fuisse virum, evidens est, si narratio Matthaei comparatur cum illis, quae apud Marcum (2, 14—17.) et apud Lucam (5, 27—32.) leguntur. Nam juxta omnes tres evangelistas vocatio haec fiebat eodem tempore et loco; uterque (Matthaeus et Levi) a telonio vocatur; uterque statim Christo vocanti obsequitur; uterque Christo convivium paravit, unde pharisaei ansam arripiunt, Christum calumniandi, sed Christus eandem calumniam iisdem re-

primit verbis. Si Matthaeus nunquam se Levim, aut alii evangelistae Levim nunquam Matthaeum appellant, res haec haud sufficientem praebet rationem, ut ideo identitas Matthaei cum Levi in dubium vocetur; nam etiam s. Paulus nunquam se Saulum appellat, nec a Petro nomine hoc appellatur; unde certe non sequitur, Saulum a Paulo diversum esse. — Incertum autem est, utrum duplex nomen semper gesserit, an Matthaei nomen postea assumpserit, relicto priore, prout Paulus pro Sauli nomine. Quum Christum unacum discipulis multisque aliis, epulis excepissee legitur, fortunae bonis haud penitus caruit. Eusebius (Hist. eccl. III. 24.) refert Matthaeum, quum Hebraeis (i. e. Judeo-christianis Palaestinensibus) primum praedicasset, illis dum ad externos (in alias terras) proficisci vellet, Evangelium patrio sermone scriptum tradidisse, ut scilicet libro scripto defectum praesentiae suae illis compensaret. Quorsum autem abierit, plane incertum est; plures eum in Aethiopia, alii in Persia, alii in Macedonia, alii in Syria, alii Parthis evangelium praedicasse dicunt. Nec certiora sunt, quae de ejus morte traduntur; nam alii (Heracleon), eum morte naturali defunctum esse, dicunt; dum juxta communioem orientalium et occidentalium ecclesiarum traditionem martyrium passus est. — Nomen Matthaeus, graece Ματθαῖος (in codd. Aleph, B. Ματθαιός), respondet hebraico מַתְתָּי (Matthaj) et pro diversitate radices, unde derivatur, juxta alios significat: donatus; juxta alios: donum Dei, Theodorus, Adeodatus; juxta alios: virilis; juxta alios: fidelis.¹⁾

§ 2.

Quibus lectoribus scripserit Matthaeus.

Veteres unanimi consensu tradunt, primum Evangelium destinatum fuisse Judaeo-christianis Palaestinensibus. Testantur id: Irenaeus (adv. haer. III. 1.), Origenes (in Matth. tom. I., apud Euseb. VI. 25), Eusebius (hist. eccl. III. 24.), s. Chrysostomus (in Matth. hom. 1.), Hieronymus (in Matth. Prol.) aliique plures.

¹⁾ Conf. Knabenbauer commentar. pag. 2.

Quod Patres de primi Evangelii lectoribus tradunt, confirmatur etiam ipsius libri indole, sive spectetur eius argumentum, sive lingua, sive consilium.

1. Si argumentum libri consideretur, edocemur, Matthaeum in scribendo evangelio proxime Judaeo-christianos Palaestinenses ob oculos habuisse; nam frequentius, quam reliqui evangelistae libris V. T. utitur, imo solus inter evangelistas saepe hebraicum textum sequitur atque ex illo argumenta sua depromit; adest in hoc evangelio continuus respectus ad Phariseorum doctrinam; porro Palaestinae topographia lectoribus cognita supponitur; nullae enim in hoc evangelio, uti in reliquis, occurrunt adnotationes geographicae et topographicae, nec explicationes rituum Judaicorum et interpretationes nominum hebraicorum. Porro in sermone montano, in parabolis ac narrationibus adest respectus ad Judaeorum Palaestinsium et maxime Phariseorum consuetudines (5, 22. seq.; 5, 34 seq.; 6, 2. 5. 16; 22, 11. seq.; 25, 1. seq.). — Explicationes nominis Emmanuel (1, 23.) et verborum Christi in cruce pendentis (27, 46.): »Eli, Eli, lamma sabachthani« sine dubio sunt additae a graeco Matthaei interprete; imo nisi verba: »Eli, Eli, lamma sabachthani« retenta essent, irrisio Judaeorum: »Eliam vocat iste«, intellecta non esset; prouti nomen Emmanuel retineri debuit, quia est nomen proprium. Quod autem (1, 21.) ad nomen Jesus addita verba attinet: »Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum«, illa non continent explicationem, sed nominis Jesu rationem. Nec adnotatio Matthaei (22, 23.), Sadducaeos negasse mortuorum resurrectionem, nostrae obstat sententiae, quia Palaestinsibus Sadducaeorum doctrinae, teste Josepho Flavio, parum fuissent cognitae.

2. Si s. Matthaeus, prouti antiqui unanimi consensu tradunt, evangelium suum hebraice, i.e. lingua syro-chaldaica, scripsit, lectores evangelii primi proxime Palaestinsenses esse debebant, quippe quibus solis lingua haec cognita erat.

3. Tandem ipsum consilium Matthaei in exarando evangelio docet, lectores fuisse Judaeos, quum vellet demonstrare, Jesum esse Messiam per prophetas in V. T. promissum.

§ 3.

Consilium Matthaei in evangelio scribendo.

Consilium, quo Matthaeus evangelium suum exaravit, proxime erat dogmaticum. Voluit enim, ut Judaeo-christianos in fide recepta confirmaret aliosque Judaeos, qui bonae erant voluntatis, ad fidem in Christum adduceret, demonstrare, Jesum Nazarenum esse Messiam per prophetas in V. T. promissum. — Consilium Matthaei fuisse dogmaticum, docet:

1. ipsum evangelii argumentum; nam s. evangelista continuo ad V. T. vaticinia et typos provocat, dein ipsa allegat V. T. vaticinia, ut perspiceretur, in Christo adimpleta esse, quae a prophetis praedicta sunt, quod exprimit formula: »tum adimpletum est, quod dictum est«, vel: »hoc totum factum est, ut impleretur« aliisque similibus, qualium vaticiniorum Matthaeus ultra viginti profert. Quare etiam in initio evangelii sui Christum ab Abrahamo et Davide descendere, genealogia sua ostendit, quia Judaeis omnibus persuasissimum erat, Messiam e stirpe Abrahami et Davidis oriturum esse.

2. Consilium Matthaei dogmaticum docet etiam ipsa evangelii forma; in narrando enim nequaquam temporum ordinem (chronologicum) observat, sed potius materias ratione habita internae similitudinis conjungit, ut ita veritatem aliquam aut vaticinii adimpletionem in Christo demonstraret. Quia teste Eusebio (Hist. eccl. III. 24.) s. Matthaeus in alias terras profecturus, defectum praesentiae suae libro scripto compensare et ministerium praedicatione sua litteris consignata continuare voluit, recte statuitur, evangelistam libro suo non tantum Judaeo-christianos in fide confirmare, sed etiam illos, qui nondum crediderant, ad fidem in Christum adducere voluisse. Quum autem Judaei increduli erroneas de Messia ejusque regno ideas sibi efformarent

oportebat evangelistam veram et genuinam Messiae atque regni ejus imaginem delineare atque universalitatem salutis Messianae efferre.

Evangelista id fecit, demonstrando, Jesum verum esse Messiam atque ecclesiam ab eo fundatam esse regnum Messianum per prophetas promissum. — Demonstratione hac Judaeo-christianos, quibus per falsam expectationem splendoris regni Messiani periculum a fide in Christum deficiendi, imminabat, in fide recepta confirmare, aliis vero Judaeis, qui bonae voluntatis erant, viam demonstrare eosque parare voluit ad fidem in Christum recipiendam et ad regnum Messianum (ecclesiam) ingrediendum. Si duces Judaeorum (sacerdotes et legisperiti) et major populi Judaici pars Jesum noluit Messiam suum agnoscere, s. evangelista docet, id factum esse ob eorum praëjudicia et peccata, dum gentiles magno cum gaudio evangelium reciperent. Inde autem simul elucet, evangelistae praeter consilium dogmaticum simul fuisse apologeticum, quod evangelii argumentum et modus tractandi sat clare docent.¹⁾

§ 4.

Argumentum Evangelii s. Matthaei.

Argumentum evangelii s. Matthaei apte potest dispesci in quatuor partes:

I. Pars prima (1, 1—4, 11.) velut introductio evangelii, lectorum animos disponit, ut Jesum esse Messiam agnoscentes, doctrinam ejus libenter amplecterentur. Quapropter

1. ex historia infantiae Christi ea refert, quae publicum ejus munus praecesserunt; nimirum: *a)* ejus genealogiam, ita probans, Jesum descendere ex stirpe Abraham et David (1, 1—17.); *b)* ejus nativitatem ex Virgine Bethlehem factam (1, 18—2, 1.); *c)* Magorum adventum ad novum regem adorandum (2, 2—12.); *d)* fugam in Aegyptum, infanticidium Bethlehemiticum, reditum ex Aegypto et habitationem in Nazareth (2, 13—23.).

¹⁾ Conf. Cornely introd. 58, seq., Knabenbauer pag. 11. seq.

2. Dein enarrat Joannis B. praecursoris proditum et praedicationem, solemnem Christi inaugurationem per baptismum, ejus jejunium et tentationem (3, 1—4, 11.).

II. In parte secunda (4, 12—14, 12.) facta narratione de sedis electione Capharnaumi et de primorum quatuor, Apostolorum vocatione (4, 12—25.) ostendit, Jesum juxta prophetarum vaticinia fuisse doctorem et legislatorem, enarrando sermonem montanum (5, 1—7, 29.); fuisse miraculorum patratores (8, 1—9, 34.) et regni novi fundatorem, dum refert institutionem Apostolis datam (9, 35—10, 42.), adumbrando simul difficultates, quas novi regni (ecclesiae) fundatio et propagatio ob perversitatem et malitiam pharisaeorum inveniet (11, 1—12, 50.) et exponendo indolem regni Messiani allatis septem parabolis (13, 1—58.).

III. In tertia parte (14, 1—20, 28.) praecipue agit s. evangelista de novi regni fundatione et de Apostolorum, qui futurae Ecclesiae praepositi sunt destinati ad munus hoc obeundum, praeparatione, dum enarrat duo magna miracula, scil. panum multiplicationem et Jesu super mare inambulationem, quibus Christum esse verum Dei Filium, clare cognoscebant et aperte profitebantur; refert dein promissionem primatus Petri in ecclesia fundanda (14, 13—18, 1.), atque omnia illa, quibus Christus Apostolos docebat, quales tanquam ecclesiae praepositi gerere se debeant, dum Christum proponit Apostolos monentem, ut sint humiles, ut caveant a scandalizandis pusillis, atque ostendentem eis modum fraternae correctionis; docentem matrimonii indissolubilitatem et praestantiam voluntariae virginitatis et paupertatis, Apostolis omnibusque ascelis suis ampla praemia promittentem atque a petitione matris filiorum Zebedaei occasionem sumentem, iterum inculcandae humilitatis, cujus ipse exemplum dederat (18, 1—20, 28.).

IV. In parte quarta (20, 29—28, 20.) enarrat s. evangelista antiquae synagogae, quae Messiam ignominiosae morti tradiderat, rejectionem et novae ecclesiae fundationem, dum refert solemnem Christi in urbem Hieros. ingressum, templi purgationem, ficulneae infructuosae maledic-

tionem, indicantem futuram Judaeorum maledictionem; enarrat disputationes Domini cum pharisaeis et sacerdotibus (20, 29—23, 39.); porro sermonem Christi de excidio Hierosolymae et de ultimo judicio, ut sciant, quomodo in priore se gerere et ad alterum se praeparare debeant (24, 1—25, 46.). Tandem sequitur narratio de passione, de morte et de resurrectione Christi (26, 1—28, 15.) et de Apostolorum missione ad omnes gentes, ut ecclesiae Christi aggregentur (28, 16—20.).¹⁾

§ 5.

Qua lingua scriptum sit primum Evangelium.

Tota antiquitas christiana testatur, Matthaeum evangelium suum hebraice scripsisse, id est: illa aramaica vel syro-chaldaica lingua, quae Christi aetate inter Judaeos Palaestinosenses fuit vulgaris.

I. Testes hujus sunt:

1. Papias (apostoli Joannis auditor), qui teste Eusebio (Hist. eccl. III. 39) dicit, Matthaeum dicta et gesta Domini (τὰ λόγια, qua voce primum nostrum evangelium designat) hebraica lingua conscripsisse.

2. Pantaenus (scholae Alex. catecheta), qui referente Eusebio (Hist. eccl. V. 10.) saeculo 2. ad Indos usque (i. e. in Arabiam felicem) pervenit, ibique apud christianos evangelium s. Matthaei hebraicis literis conscriptum invenit, a s. Bartholomaeo Apostolo illis traditum.

3. Testantur id: Origenes (in Matth.), Eusebius (Hist. eccl. III. 23.), Cyrillus Hieros. (Catech. 14, 15.), Epiphanius (contr. haer. 30, 3. 51, 5.), Chrysostomus (in Matth. hom. 1, 3.), s. Hieronymus (in Matth. Prol.), s. Augustinus et reliqui Latini subsequi.

4. Eadem traditio invenitur etiam in syriaca ecclesia.

II. Nonnulli Patres et scriptores (Irenaeus, Origenes, Eusebius, Epiphanius, Hieronymus) opinionem tenebant, evangelium Nazaraeorum et Ebionitarum (duarum sectarum ex christianis-judaizantibus ortarum) hebraice scriptum, esse

¹⁾ Conf. Cornely introd. pag. 67. seq., Knabenbauer pag. 12. seq.

s. Matthaei evangelium (sed decursu temporum in nonnullis partibus immutatum.). Opinio haec non potuisset enasci, nisi eis firmissima fuisset persuasio, s. Matthaeum hebraice scripsisse.

III. S. Matthaeus (coll. § 2.) evangelium suum scripsit in usum Judaeo-christianorum Palaestinensium. Quamvis hi linguae graecae gnari essent, linguam tamen patriam (uti ex Actibus Apost. 21, 40. et 22, 2. edocemur) valde amabant; hinc admodum probabile est, s. Matthaeum, ut animos lectorum facilius moveret sibi et causae suae pronos redderet, in libro suo scribendo lingua eorum vernacula usum esse.

Communem hanc sententiam, scilicet Matthaeum hebraice scripsisse, ineunte saeculo 16. primus impugnavit Erasmus Rotterodamus, cui mox Card. Cajetanus et alii non pauci accesserunt; recentissimo autem tempore inter catholicos Leonardus Hug graecam evangelii primi originem defendit. Argumenta, quae proferuntur, sunt sequentia:

1. Dicunt, omnes Patres et scriptores nominatos inniti unius Papias testimonio, quod autem testimonium auctoritatis nullius est, quia Papias, uti Eusebius refert, fuit vir admodum parvi ingenii, et sine dubio ipse deceptus est a Nazaraeis, qui, ut evangelio suo hebraice conscripto, maiorem auctoritatem conciliarent, illud genuinum s. Matthaei opus esse affirmabant. — Ast, si etiam verum esset, nominatos Patres et scriptores a Papia dependisse, inde haud sequitur, falsum esse Papias testimonium; nam ad contestanda facta, speciatim, utrum liber aliquis scriptus sit hebraice an graece, non requiritur acumen ingenii, sed fides in referendo, qualis Papias denegari haud potest, quamdiu contrarium non fuerit probatum.

Si Papiam Eusebius virum admodum parvi ingenii fuisse dicit, id Eusebius de eo eatenus dicit, quatenus tenuit sententiam de regno millenario post corporum resurrectionem, et quatenus singulari prorsus modo quosdam Scripturae sacrae locos ad istam sententiam comprobendam interpretatus est. —

Sed non est verum, nominatos testes a Papia dependisse, nam ea, quae de Pantaeno narrat Eusebius, certe

non dependent a Papia. Ita Irenaeus, quum loquitur de lingua originali evangelii primi, non nominat Papiam tanquam fontem, sed ita loquitur, uti alias loqui solet, si refert quaedam, quae communi consensu nituntur. Nec Origenes Papiam caece secutus dici potest; varias enim regiones et nominatim Palaestinam peragravit ad traditiones quoad libros sacros cognoscendas, hinc prorsus verisimile est, ipsum sententiam suam de hebraico Matthaei evangelio ex traditione hausisse. Etiam ipse Eusebius, qui Papiam nominat virum admodum parvi ingenii, expressis verbis affirmat, Matthaeum hebraice scripsisse; sine dubio ex traditione sententiam illam hausit. — Testium horum fides eo magis clara fit, si consideremus simul difficultatem, cui obnoxii erant, si quaestio movebatur de versionis graecae Evangelii hujus auctore. Hanc facile expedire potuissent, asserendo, Matthaeum graece scripsisse, quod tamen, utpote persuasioni suae contrarium, non fecerunt. — Eodem modo non est verum, Papiam a Nazaraeis deceptum fuisse; nam nullo antiquitatis testimonio id probatur. Et esto, Papiam ab illis haereticis deceptum fuisse, haud credibile est, neminem fuisse ex discipulis Apostolorum, quorum aetate illa plures adhuc vivebant, qui eum deceptum non continuo ex errore revocaret et cui non magis quam haereticis fidem ipse haberet. —

2. Opponunt adversarii, hebraicum s. Matthaei evangelium neminem unquam vidisse, nec cogitari posse, cur textus hebraicus adeo mature interiisset, ut saeculo 2. non ejus, sed versionis graecae usus communis fuerit apud scriptores ecclesiasticos.

Prius jam diximus, s. Pantaenum evangelium s. Matthaei hebraicum in India invenisse; porro ipse s. Hieronymus evangelium s. Matthaei hebraicum vidit; nam evangelium Nazaraeorum hebraicum appellat authenticum Matthaei evangelium, cujus novam versionem in graecam et latinam linguam ideo confecerat, quia illud a nostro primo multum dissensisset. — Si archetypon hebraicum non amplius exstat, id non plus admirationis habet, quam quod aliorum librorum sacrorum V. T. uti Ecclesiastici, Tobiae, Judith et primi libri Macchabaeorum archetypha deperdita sint.

Praematurus evangelii hebraici interitus facile explicari potest. Quum versio graeca evangelii hebraici s. Matthaei mature (jam aetate Apostolorum) orta esset, christiani extra Palaestinam degentes atque graece loquentes communiter ea utebantur. Originale evangelium hebraicum tantum christianis Palaestinensibus hebraice loquentibus prodesse poterat. Imo vel ipsi Judaeo-christiani orthodoxi Palaestinienses tempore excidii Hierosolymitani partim in regiones graecas dispersi, partim degentes in vicinia Nazaraeorum et Ebionitarum, qui erant sectae haereticae, utentes evangelio s. Matthaei hebraico, sed ad suas falsas opiniones depravato, facile moveri poterant, ut graecam versionem praeferrent hebraico textui; tum quia reliquis christianis orthodoxis se accommodare satius ducerent, tum quia discerni vellent ab heterodoxis Nazaraeis et Ebionitis. In hujusmodi autem adjunctis hebraicum Matthaei originale facile poterat interire, atque eo facilius, si, uti plerique recte statuunt, Apostolus aliquis evangelium Matthaei hebraicum graece reddiderat.

3. Opponunt adversarii ulterius: Si Matthaeus hebraice scripsisset, ecclesia syriaca non fuisset compulsa, evangelium s. Matthaei hebraicum vertere in linguam syriacam. —

Ast, sicut propter conformitatem nonnulli V. T. libri, in specie Danielis et Esdrae partes chaldaicae in linguam syriacam sunt translatae, ita etiam fieri poterat respectu evangelii s. Matthaei. Eo magis autem necessaria erat versio evangelii hujus, si eo tempore, quo primae versiones syriacae condebantur, graecus tantum evangelii nostri textus in communi usu erat.

4. Proferunt praeterea adversarii argumenta nonnulla ex ipso evangelio deprompta, et quidem:

a) primo dicunt, in graeco Matthaei evangelio retentas esse aliquas expressiones hebraicas additis interpretationibus (1, 23; 27, 46.). — Relate ad haec conferantur dicta § 2. ad 1. —

b) Asserunt, in graeco Matthaei evangelio eundem esse stylum, qualis in Marci evangelio; quare, si Marcus graece scripsit, Matthaeus etiam eadem lingua scripsisse dicendus est. — Ex hac styli similitudine nil aliud deduci potest, quam

interpretem evangelii s. Matthaei hebraici et s. Marcum usos esse Hellenistarum lingua, vel vero versorem hebraici s. Matthaei evangelii prae se habuisse evangelium s. Marci.

c) Dicunt, adesse paronomasias graecas, quae in versionibus fieri non solent. — Sed paronomasiae tam paucae sunt et leves (6, 16. et 24, 30.), ut fortuito casu exortae sint dicendae.

d) Tandem opponunt, verba V. T. allegata partim desumpta esse e textu hebraico, partim ex Alexandrina versione (70); unde colligunt, si Matthaeus hebraice scripsisset, graecum textum adhibere non potuisset.

Si verba a Matthaeo ex V. T. deprompta considerentur, sunt vel quae cum versione Alexandrina (Septuaginta) ad verbum consonant (12, 21.); vel quae cum textu hebraico concordant ita, ut a graeco dissonent (2, 15; 8, 17.); vel quae nec cum versione Alexandrina, nec cum textu hebraico consentiunt (2, 5; 11, 10; 27, 9.), vel cum utroque ita consentiunt, ut dictu sit difficile, ad quemnam evangelista respexerit (2, 6; 4, 15; 5, 21. 43.). Quum e locis primae classis colligi posset, s. Matthaeum graece scripsisse, e locis vero alterius classis, eum hebraice evangelium suum exarasse, facile intelligitur, ex modo, quo Matthaeus verba V. T. refert, haud posse probari, eum graece scripsisse. — Cum eo tempore uterque textus inter Judaeos etiam Palaestinenses cognitus esset atque uterque eadem gauderet auctoritate, poterat vel ipse evangelista in libro suo aramaico versionem Alexandrinam vocibus aramaicis (syrochaldaicis) exprimere; vel vero, si Matthaeus verba illa juxta textum hebraicum attulerat, poterat interpretes graecus, cum sensus in essentia idem remanserit, ea ex versione Alexandrina producere.

§ 6.

Quando et a quo confecta sit graeca Evangelii Matthaei versio.

Aetas et auctor graecae versionis ignoratur; nam s. Hieronymus (de vir. illust. c. 3) dicit, non satis certum esse, quis illud (evangelium hebraicum) in graecum transtulerit.

Maxime verisimile est, graecam evangelii versionem jam Apostolica aetate factam esse; id patet luculentissime ex eo, quod omnes Patres apostolici: Clemens Rom., Ignatius, Polycarpus illa usi sint; porro id elucet etiam e verbis Papiæ, qui testimonio suo de hebraica evangelii lingua addit: »trans-tulit (ἡρμήνευσε) autem illa (scil. λόγια κυριακά) seu evangelium Matthaei, unusquisque, prout potuit«; aoristus (ἡρμήνευσε) autem adhibitus evidenter demonstrat, tempore Papiæ non amplius unumquemque textum evangelii hebraicum transtulisse, sed jam adfuisse versionem, quae ab omnibus recepta pro authentica adhibebatur. Quare fas est colligere, versionem graecam factam esse ab Apostolo aliquo aut saltem viro apostolico. Inde etiam intelligitur, quomodo fieri poterat, ut auctor Synopseos Athanas. interpretem asserat Jacobum, fratrem Domini, aut Theophylactus Apostolum Joannem nomet.

§ 7.

Ubi et quando scripserit s. Matthaeus.

Antiqui Patres (coll. § 2.) unanimi consensu tradunt, Matthaeum Judaeo-christianis Palaestinensibus evangelium suum destinasse atque illud in Palaestina, ubi lingua syro-chaldaica vigeat, conscripsisse. Nonnulli putant, id factum esse Hierosolymae, uti habet synopsis Athanasiana.

Quod vero attinet ad tempus, quo sit evangelium exaratum, nil certi dici potest. — Communis tamen est antiquorum opinio, Matthaeum inter omnes evangelistas primum scripsisse; id disertis verbis asserunt: Irenaeus (adv. haer. III, 1), Origenes (hom. 7. in Jos. et commentar. in Joan.), Eusebius, Epiphanius, Hieronymus (de vir. illustr. c. 3.), Augustinus (de consensu Evang. I. 2.), ita et Clemens Alex., qui evangelia, quae genealogias continent, anterequae esse scripta dicit.

Aequè testantur antiqui: Eusebius (Hist. eccl. III. 24.), Chrysostomus (in Matth. hom. 1, 3.), Hieronymus (in Matth. Prol.), Matthaeum evangelium suum edidisse, antequam, ut aliis gentibus praedicaret, e Palaestina proficisceretur. Quum juxta antiquam quandam traditionem dispersio Apostolorum anno 12. post Christi ascensionem acciderit et quum juxta Eu-

sebius (in Chronico), quocum Theophylactus (praef. in Matth.) et Euthymius Zigabenus (commentar. ad evang.) consentiunt, Matthaeus octavo, juxta Nicephorum Call. (hist. eccl. 2, 45.) anno decimo quinto post ascensionem Christi scripserit, videtur sententia eorum tenenda esse, qui dicunt Matthaeum scripsisse intra a. 40. et 50.

Sententia haec commendari videtur etiam aliis testimoniis. Juxta testimonia antiquorum:

Eusebii (hist. eccl. II. 14 — 17. coll. cum Chronico), Hieronymi (de vir. ill. ad nomen Petri) et Pauli Orosii (hist. lib. VII. c. 6.) coetanei s. Augustini et s. Hieronymi, Petrus Romam venerat sub Claudio Caesare, et quidem juxta s. Hieronymum secundo anno regni Claudii, verosimiliter (coll. Act. 12, 17.) post liberationem ipsius e carcere anno 42. ad expugnandum Simonem magum ibique ecclesiam fundavit, et, uti s. Clemens Alex. (apud Euseb. hist. eccl. VI. 14.) scribit, rogantibus christianis romanis evangelium composuit. Quum vero testibus antiquis: Irenaeo (adv. haer. III. 7.), Origene (hom. 7. in Joan. et Commentar. in Joan. tom. IV.), Eusebio (hist. eccl. III. 24.), Epiphanio (haer. 51, 1. 2.), Chrysostomo (in Matth. hom. 1, 3.), Hieronymo (cat. de vir. ill. c. 3. et praef. in Evang. ad Damas.) et s. Augustino (de consensu Evang. I. c. 2.), Matthaeus inter evangelistas primus scripserit (quod etiam s. Clemens Alex. [in loco cit. apud Euseb. VI. 14.] indirecte docet, dicendo, evangelia, quae genealogias continent, ante reliqua scripta esse), ideo recte concluditur, Matthaeum ante annum 42. evangelium suum scripsisse. — Aut huic temporis determinationi adversari videtur s. Irenaeus, qui (adv. haer. III. 7. coll. Euseb. hist. eccl. V. 8.) dicit: Matthaeum inter Hebraeos propria eorum lingua (dialecto) scripturam edidisse Evangelii, cum Petrus et Paulus Romae praedicarent et ecclesiam fundarent; post eorum exitum (ἐξόδον) etiam Marcum et Lucam, Petri et Pauli discipulos, Evangelia sua scripto nobis tradidisse. Quum s. Paulus a. 62. Romam venisset, nonnulli colligunt, Matthaeum non potuisse evangelium scribere ante a. 62., imo, quum Irenaeus de Petri et Pauli praedicatione Romae facta, loquitur, non ante a. 67., quo per utrius-

que Apostoli praedicationem et martyrium ecclesia Romana confirmata est.

Ad testimonium s. Irenaei conciliandum cum reliquis Patribus nonnulli interpretes, quia Irenaeus in illo effato non annotat, num a Matthaeo evangelium exaratum fuerit, quum Petrus et Paulus simul, an cum successive Romae praedicarent et ecclesiam fundarent, statuunt, Irenaeum verbis illis noluisse dicere, evangelium Matthaei exaratum fuisse tempore, quo Petrus et Paulus sub vitae finem Romae simul praedicarent (a. 66. vel 67.), sed potius illud intellexisse tempus, quo prius (a. 42.) s. Petrus, et postea, in prima captivitate Romana Paulus (a. 62—64.) Romae (ergo uterque intra annum 42. et 64.) praedicarunt, concludentes inde, evangelium s. Matthaei exaratum fuisse intra illud temporis spatium. Quo anno id factum sit, certo determinari nequit. Probabilis videtur sententia illorum, qui asserunt, Apostolos post persecutionem contra se ab Herode Agrippa a. 42. motam (Act. c. 12. Jacobus, frater Joannis occisus, Petrus carceri inclusus) in orbem terrarum esse dispersos, et proinde etiam Matthaeum, postquam, uti refert Eusebius (hist. eccl. III. 24.) evangelium suum patria lingua scriptum Judaeo-christianis tradidit, ad externos esse transgressum.

Cornely (in introd. spec. pag. 76. seq.) verba s. Irenaei cum reliquis Patribus ita conciliat, ut statuatur, textum s. Irenaei esse corruptum, quia particula καί (quam latini interpretes prorsus negligunt) ante γραφὴν ἐξήνεγκεν vix apte explicari potest, nisi verba quaedam excidisse statuatur; verbum ἐξήνεγκεν rectius vertit: extulit (i. e. in alias terras) loco: edidit; et vocem ἐξοδος explicat non de morte Apostolorum Petri et Pauli, sed de Apostolorum ex Palaestina profectio et eorum in terras dispersione, pronomen τούτων referendo ad omnes Apostolos. Conf. commentar. meum in evang. s. Marci p. 13.

§ 8.

De primi Evangelii authenticia et integritate.

Matthaeum Apostolum esse primi nostri evangelii auctorem, unanimiter testatur

I. Tota antiquitas christiana:

1. Primus testis est Papias, episcopus Hierapoleos, qui floruit saeculo primo exeunte et ineunte secundo, qui teste Eusebio (hist. eccl. III, 39.) dicit: Matthaeus hebraica lingua (ἑβραϊδὶ διαλέκτῳ) τὰ λόγια (scil. κυριακά, dominica) συνεγράψατο (scripsit); quatenus voce τὰ λόγια designat nostrum Matthaei evangelium, uti id testatur Eusebius, qui haec Papias verba de nostro evangelio intellexerat.

2. Alter testis est s. Irenaeus, discipulus Polycarpi, discipuli s. Joannis Apostoli, (qui adv. haer. III, 1. coll. Euseb. hist. eccl. v. 8.) dicit: »Matthaeus inter Hebraeos propria eorum lingua (dialecto) scripturam edidit Evangelii.«

3. Pantaenus, qui saec. 2. ad Indos usque (in Arabiam felicem) pervenit, et ibi apud christianos evangelium Matthaei hebraicis literis conscriptum invenit, a s. Bartholomaeo illis relictum. Magnae auctoritatis testes sunt porro:

4. Apologetae saec. 2.: Athenagoras (in sua Legatione pro christianis), Theophilus Antiochenus (teste Hier. ad Autol. III, 13. 14.), Justinus (Apolog. I. plusquam viginti versus e sermone montano allegat); Tertullianus (de carne Chr. 22., adv. Marc. 4, 2. 5.), Clemens Alex. (apud Euseb. VI. 14.), Origenes (apud Euseb. VI. 25.), Eusebius Caesar. (hist. III, 25.), Cyrillus Hier. (catech. XIV. 15.), Epiphanius (haer. 30, 3.), Hieronymus (de vir. illust. c. 3, 1.). — Allusiones et citata ex hoc evangelio deprompta occurrunt jam apud Patres apostolicos, uti apud Barnabam (ep. 4.: Matth. 20, 16; ep. 5.: Matth. 9, 1.), Clementem Rom. (1. Cor. 46., frequentius in 2. ep.); Ignatium M. (ad Polycarp. 2; ad Smyr. 1.), Polycarpum (ad Philipp. 2.), porro in opere: Doctrina duodecim Apostolorum, quod opus recentissime saeculo I. adscribitur. Allusiones hae et citata probant, evangelium nostrum jam tempore aetati apostolicae proximo exstitisse.

II. Testes authenticae evangelii hujus sunt etiam ipsi haeretici, uti: Cerinthus, qui ultimis Joannis Apost. annis errores suos spargere coepit; ineunte saec. 2. Carpocrates et Ebionitae, qui teste Epiphanio Matthaei evangelio truncato usi sunt; Valentinus cum suis omnia evangelia recepis-

dicitur; Basilidiani eodem evangelio usi sunt testibus Epiphonio et auctore Philosophumennon; imo teste Origene (contr. Cels. I. 58, II. 74.) ipse Celsus primum evangelium integrum cognovit.

III. Etiam evangelia apocrypha saec. 2. jam late propagata nostrum primum evangelium notum supponunt; uti: evangelium secundum Hebraeos, quod jam s. Ignatio (ad Smyr. 3. coll. cum Hier. de vir. ill. 2, 16.) et Papias notum erat, et ex ipso Matthaei evangelio aramaice exarato prodiit; et Protoevangelium Jacobi, in quo Matthaei et Lucae evangelii vestigiaprehenduntur.¹⁾

IV. Etiam versiones antiquae: latina et syriaca (e saec. 2.) evangelium hoc habebant.

Sed etiam argumenta interna adsunt, quae confirmant, Matthaeum esse auctorem primi evangelii. In hoc evangelio evidens est modestia auctoris, qui in suae vocationis narratione se illo nomine (Matthaei) appellat, quo apud christianos cognitus fuit; tum, quia in catalogo Apostolorum se nominat publicanum (portitorem), cujus generis homines Judaeis exosi erant; dein, quia in hoc tantum catalogo Matthaeus Thomam sequitur, dum in reliquis eum praecedit; et dum Lucas (5, 29.) narrat, Levim (Matth.) fecisse convivium magnum (splendidum), in primo evangelio res ita enarrata est, ac si non ipse Matthaeus convivium parasset.

Attamen, quamvis tottantisque argumentis authentia evangelii primi vindicata sit, non desunt homines, qui authenticam hujus evangelii negant.

1. Primus authenticae evangelii primi adversarius fuit Faustus Manichaeus, et quidem ideo, quia evangelista, si Matthaeus fuisset, de se loquens, non esset usus tertia persona. — Argumentum hoc subtilissimum jam s. Augustinus (contra Faust. 17, 1. seq.) evertit, notans, solere scriptores rerum gestarum, quum in suam personam venerint, ita se contexere, tanquam de alio narrent, quod de se narrant.

2. Anabaptistae impugnabant evangelii nostri authenticam ob linguam graecam, in qua nunc sub nomine

¹⁾ Conf. Cornely introd. p. 30.

Matthaei habetur, contententes, illud non esse Matthaei, quia Matthaeus, cum Hebraeus esset, hebraica lingua evangelium scripsisse perhibetur. — Sed quaestio de evangelii auctore in nostro casu certe non pendet a quaestione linguae primigeniae.

3. Nostro autem saeculo plurimi interpretes rationalistici (praeunte Schleiermacher) authenticam evangelii nostri, omnibus viribus impugnant, asserentes, testimonium Papias non valere de nostro evangelio, sed solummodo de commentariis sermonum Domini (Redesammlung), quia Papias solum noverat sermones (λόγια) Domini a Matthaeo conscriptos, dum in nostro evangelio etiam permulta Jesu facta et fata inveniuntur. — Sed immerito haerent adversarii in verbo λογίων; Papias enim potuit nostrum Matthaei evangelium, quod inter quatuor evangelia nostra multitudine sermonum, dictorum et parabolarum Domini eminet, optimo jure denominare τὰ λόγια, quod teste Eusebio (l. c.) et ipse (Papias) insignierit titulo λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεις (sermonum Domini explanatio); Papias autem in hoc opere, uti omnes concedunt, et pauca, quae supersunt, fragmenta probant, non sola dicta Domini, sed etiam res gestas attulit et explanavit. Id patet etiam ex antiquis scriptoribus ecclesiasticis, qui eadem voce λόγια τοῦ κυρίου vel τοῦ Θεοῦ evangelia nostra denotare consueverunt; uti Irenaeus (adv. haer. Prooemium), Clemens Alex. (Strom. 7.), Origenes (in Matth. 5, 19.), et imprimis Eusebius, qui Papias verba referens, ea considerat qua testimonia pro nostro Matthaei evangelio. Quum negari non possit, vocem λόγια etiam alias sensu latiori adhiberi, nulla est causa negandi, etiam a Papias vocem λόγια sensu latiore adhibitam esse.¹⁾

Recentissimis tamen temporibus permulti acatholico-rum argumentis solum internis authenticam evangelii primi impugnant:

1. Matthaeus, utpote Apostolus et rerum a Christo gestarum testis oculatus, debuisset dilucidius et clarius res gestas narrare, atque accuratius locum, tempus et circumstantias rerum gestarum indicare, prouti etiam ea omnia

¹⁾ Conf. Cornely introd. pag. 22. seq.

narrare, quae Christus in Judaea egit et docuit. Quum s. Matthaeus in libro suo scribendo non haberet consilium historicum, sed dogmaticum, poterat jure plura, uti et circumstantias rerum omittere et ordinem chronologicum negligere; poterat id facere respectu habito lectorum, in ipso rerum narratarum loco viventium, quia eis nota erant.

2. Opponunt, evangelium s. Matthaei plura continere falsa, uti narrationes de resurrectione multorum corporum sanctorum et de sepulchri custodibus, quae narrationes sunt fabulae; sed etiam mythica, uti est narratio de baptismo et tentatione Christi.

Ast integra objectio haec innititur falso supposito, miracula non esse possibilia.

3. Opponunt: In primo evangelio occurrunt facta et dicta duplicata, varia assimilata. — Sed si narrationes s. Matthaei attente perlegantur, ex circumstantiis additis, cognoscitur, similia quidem, sed diversa facta narrari; in sermonibus autem Christi possunt occurrere repetitiones, quia a Christo diversis in occasionibus eadem doctrina iisdem fere verbis potuit proponi.

4. Quod autem attinet ad differentias, imo et contradictiones inter Matthaeum et reliquos evangelistas, possumus dicere: quum per 18 saecula viri eruditissimi veras contradictiones non viderunt, originem earum non in ipsis evangeliiis, sed in incredulitate et praejudiciis rationalistarum quaerendas esse.

Quod ad integritatem evangelii attinet, primus exeunte saeculo praecedente Anglus Joannes Williams historiam infantiae Christi a Matthaeo (c. 1. et 2.) conscriptam esse negavit, quem mox secuti sunt nonnulli Germaniae rationalistae; et quidem partim, quia narratio ista miraculosa et creditu difficilia continet; partim, quia teste s. Epiphanio (haer. 30, 13.) deerat in evangelio Ebionitarum, et a Tatiano haeretico (teste Theodoret) omissa est genealogia in ipsius evangeliorum harmonia (in Diatessaro).

Ast rationes hae nullius sunt momenti. Nam capita illa duo ob miraculosa, quae in eis continentur, ille tantum Matthaeo tanquam auctori abiudicabit, qui possibilitatem

negat miraculorum; qui autem scit, quis et qualis fuerit Christus, illa miraculosa non tantum possibilia agnoscet, sed etiam Matthaeo ea narranti fidem firmam habebit.

Quod vero attinet ad Ebionitas et Tatianum, causae omissionis erant dogmaticae; Ebionitae enim negabant divinitatem Christi, blasphemantes, Jesum naturalem Josephi et Mariae filium esse. Tatianus vero, utpote Docketismo favens, negabat, Christum secundum carnem a Davide ortum esse.

Dantur tamen gravissima argumenta pro illorum capitum authenticia:

1. Omnes codices graeci omnesque versiones capita haec tanquam partem evangelii s. Matthaei exhibent; codices pauci, in quibus desunt, sunt auctoritate infimi.

2. Patres et scriptores ecclesiastici eadem jam antiquitus in evangelio hoc lecta fuisse testantur; uti: Ignatius, Justinus M., Irenaeus, Tertullianus, Clemens Alex. (qui loquitur de nostro Evangelio genealogiam continente), Julius Africanus, tandem teste Origene ipse Celsus.

3. Etiam evangelium Nazaraeorum haec duo capita habuit teste Hieronymo.

4. Etiam ipsa indoles horum capitum comprobatur eorum authenticam. Idem enim est in iis stylus et loquendi modus; similis prophetiarum usus atque arctus capitis 3. cum praegressis nexus; nam verba (3, 1.): in diebus autem illis, manifeste docent, aliquid praecessisse, quod non esset, si capite 3. esset evangelii initium.



Sanctum Jesu Christi evangelium

secundum Matthaeum.

De titulo libri vide commentarium meum in evangelium s. Joannis, pag. 22. et seqq.

Pars Prima (1, 1—4, 11.).

In hac parte evangelista ostendit, Jesum esse filium David, conceptum natumque a matre virgine; quaesitum et adoratum a Magis, a suo autem populo neglectum, imo ab Herode ad mortem quaesitum, enutritum in Nazareth. Dein proponitur praeparatio ad vitam Christi publicam in praedicatione Joannis Bapt., in Christi baptismo et tentationibus.

Caput I.

1. Genealogia Christi (v. 1—17.)

V. 1. *Liber generationis*, βίβλος γενέσεως, liber originis; quibus verbis ipsa genealogia, quae subsequitur, designatur, ita ut βίβλος γενέσεως sit idem ac: catalogus progenitorum, majorum. Huic non obstat nomen: liber, quia teste s. scriptura (Neh. 1, 5; 7, 5) ejusmodi enumeratio vel tabulae apud Hebraeos liber vocantur. Ceterum βίβλος γενέσεως respondet hebr. סֵפֶר הַיְלֻדוֹת (Gen. 2, 5; 5, 1.), qua dictione narratio originis hominum eorumque ab Adam per varias generationes descensus inducitur. Titulus hic est titulus solius genealogiae, non vero vel totius libri vel majoris partis, vel totius capitis primi, jam inde elucet, quia 1, 18. novus apponitur titulus et nova pro narratione nativitatis inscriptio; separatur itaque origo Christi proxima ab enumeratione majorum,

unde patet, illo titulo nihil aliud designari, nisi genealogiam.¹⁾ — *Filii David*. Hisce verbis significat Jesu Chr. originem e stirpe Davidica, qualem Judaei a Messia expectabant. Nomen filius (ut hebr. בֶּן) nonnunquam etiam de nepotibus (Gen. 29, 5. coll. 28, 5. et 22, 3.), imo et de posteris quibuslibet, de mediate generatis, adhibetur. Tale est etiam illud: Joseph, filii David, quod paulo post inferius legitur (v. 20.). — *Filii Abraham*. Verba haec sunt appositum nominis Davidis, ita ut sensus sit: qui David erat filius Abraham. Evangelista Abrahamum et Davidem potius quam alios nominat, quia hi ex tota Christi prosapia nobilissimi erant; quia his duobus illustriore quodam modo promissio ex ipsorum stirpe orituri Messiae facta est, Abrahamo omnium primo (Gen. 12, 3; 18, 18; 22, 18.), Davidi omnium postremo (2 Reg. 7, 12; 1 Par. 17, 10—14.); et quia Christus ut filius Abrahami dignitatem propheticam et sacerdotalem haereditavit, ut filius Davidis autem regiam et propheticam. Unde elucet, Christum vi originis suae esse regem, prophetam et sacerdotem (cf. Calm.).

V. 2. Nec Ismaëlis, filii item Abrahami, nec Esau, filii Isaac, facit mentionem, quia hi non sunt filii repromissionis, nec pars populi Dei, nec Christus ab illis descendit (Chrysost.). — Judam nominatim annotat, quia ei regia potestas a patriarcha Jacob promittitur: »non auferetur sceptrum de Juda« (Gen. 49, 10.) et quia ex eo Messias promissus originem ducit; fratres ejus vero in universum commemorat, quia unacum Juda erant parentes totius populi Israëliti, e quo Christus prodiit.

V. 3. *De Thamar*. Apud Judaeos feminas in genealogiis commemorare, non erat usitatum; per exceptionem s. Matthaeus h. l. et ter in sequentibus eas notavit, quia hae mulieres extraordinario modo ad Messiae majores pertinebant simulque ea re typus fuerunt ecclesiae Christi ex gentilibus (rejectis Judaeis) nova vocatione novoque modo congregandae (a Lap.). — *Phares et Zaram*. Hi duo erant gemini, quos Thamar, uxor filiorum Judae, scil. Her et Onan, ex incestuoso cum Juda

¹⁾ Knabenbauer commentar. in evang. s. Matth. pag. 23. Jans., Lap., Menoch., Patrit., Schegg, Reischl, Bisp., Pölzl.

concubitu concepit, quin hic sciret (Gen. c. 38.). Utrique nominando occasionem dedit injecta Thamaris mentio, quae utrumque uno partu enixa est (Patrit. l. c.).

V. 4. et 5. Quidam recentiorum¹⁾ putant, inter Pharesum et Naassonem nonnullas generationes praetermissas esse, et quidem ideo, quia inter Pharesum et Naassonem quatuor generationes a Matthaeo commemoratae haud sufficere videntur ad temporis spatium 430 annorum explendum, qui intercesserant inter Pharesi in Aegyptum ingressum (coll. Genes. 46, 12.) et Naassonis ex Aegypto egressum (Num. 1, 7.). Et similem ob causam putant, etiam inter Salmonem et Boozum praetermissas esse quasdam generationes, quum ad explendos annos 366, qui Salmonem inter et Davidem effluerunt, non sufficiunt tres generationes (3 Reg. 6, 1.) — Sed haud incredibile videtur hoc, si consideretur, tunc temporis vitam humanam longius tensam fuisse, hinc utique poterant etiam post centesimum aetatis annum proles gignere. Porro sententiae illorum, qui putant, quasdam generationes esse omissas, etiam id adversatur, quod haec genealogiae pars a Phareso usque ad Jesse deducta, ter in s. scriptura legatur, atque eundem generationum numerum constanter exhibeat (Ruth. 4, 18 — 22. 1 Par. 2, 1—15. Luc. 3, 32. seq.) cf. Mald. — *De Rahab.* Rahab haec, uti plerique recte putant, est eadem cum illa meretrice Jerichuntina, quae in libro Josua (2, 1.) commemoratur, et quae exploratores a Josua Jerichuntem missos, hospitio exceperat atque protexerat, et postea virtutibus claruerat. — *David regem.* David bis consequenter solus rex cognominatur, quia primus de tribu Juda erat rex, et quia perpetui regni promissio illi omnium primo facta est.

V. 6. De hac Uriae uxore, Bethsabee agitur 2 Reg. c. 11. et 12., ubi narratur et facinus Davidis, et quomodo eam dein uxorem duxerit. — *Salomonem.* Salomon non ex adulterio illo, sed in connubio subsequente genitus erat; hinc verba graeca sunt reddenda: ex ea, quae fuerat Uriae, scil. uxor (τοῦ Οὐρίου est genitivus dependentiae.)

V. 8. *Joram autem genuit Oziam.* Joram non immediate genuit Oziam, sed Ochoziam; hic Joam, et hic Amaziam,

¹⁾ Patrit., Schegg, Schanz, Knabenbauer.

qui genuit Oziam, etiam Azariam dictum (coll. 1 Par. 3, 11. et 2 Par. 26, 1.); quapropter hoc loco verbum gigno (γεννάω) de generatione mediata intelligendum est. — Cur tria membra omiserit s. auctor, putat s. Hieronymus, id ideo factum esse, ut adesset, trium tessaradecadum numerus, qualem coll. v. 17. habere voluit evangelista. Non enim erat orientalibus inusitatum, in genealogiis omittere quasdam stirpes, si numerum constitutum excedunt (v. c. Ruth. 4, 20. 1 Par. 8, 1.). — Quare autem hos tres reges, quam alios praeteriit, vera esse videtur ratio, quam assentiente s. Hilario, profert s. Hieronymus, id factum esse, quia hi tres reges consanguinei erant regis Achabi, cui Deus propter ejus impietatem per prophetam Eliam praedixerat, se omnem ejus posteritatem (quae ad quartam usque generationem computari solet) deleturum esse. Joram enim ducta Achabi filia (seu, ut alii putant, sorore), femina perditissima, ad Achabi domum pertinuit, et tam ipse quam posterij ejus (Ochozias, Joas et Amazias) impietatem Achabi imitati sunt. Volebat itaque s. evangelista omissione horum trium regum etiam in sua genealogia istud a Deo decretum (3 Reg. 21, 21. 22.) perfectumque (4 Reg. 10, 10. 11.) atque etiam regibus Juaeorum, utpote morum Achabi imitatoribus, intentatum (4 Reg. 21, 13.) excidium domus Achabi perspicuum reddere (Patri. III. 63.).

V. 11. Versus hic triplici laborat difficultate: a) Josias dicitur genuisse Jechoniam, quum tamen collato loco Paralipom. (1 Par. 3, 15.) genuisset Joachimum, cujus demum filius erat Jechonias; b) commemorantur Jechoniae fratres, quorum tamen, excepto Sedekia, nulla fit mentio in libro Paralipom. (3, 16.), fit vero ibi (v. 15.) mentio plurium Joachimi, Josiae filii, fratrum. Videtur itaque confundi Joachim cum Jechonia; c) Josias filios genuisse videtur dici sub tempus transmigrationis in Babyloniam, quae tamen serius evenit.

Ad difficultates has illustrandas sequentia sunt notanda. Ad a) Potuit verbum gigno (γεννάω) ab auctore h. l. eodem modo adhiberi de generatione mediata, uti v. 8. Ad b) Ad hanc difficultatem expediendam duplex datur via; una, quae verbum gigno etiam de mediata generatione accipit, simul vero supponit, fuisse revera Jechoniae fratres, licet eorum, excepto Sedekia, mentio non fiat. Altera via est, si verbum gigno

(γεννᾶω) accipiatur significato latiori, ita ut notionem utramque, tam immediatae, quam mediatae generationis in se complectatur; hinc nostro loco et Jechonias et illi, qui fratres ejus vocantur, a Josia generati, i. e. ejus posterii appellantur, Jechonias nempe tanquam mediate generatus (quum filius esset Joachimi seu Jojakimi, filii Josiae), illi autem tanquam immediate generati, quum scilicet essent fratres patris Jechoniae, nempe Joachimi (aut filii [juxta Schegg Sedekiae] cujuspiam filii Josiae). Si vero Josiae filii immediati et fratres Joachimi, patris Jechoniae, vocantur, Jechoniae fratres, id inde explicatur, quia vocabulum frater (ἀδελφός) uti vocabulum filius (υἱός), in s. literis non semper stricte sumitur, sed saepius latiori significato adhibetur, uti in A. T. vocabulum נָח, ita ut denotet nonnunquam etiam consanguineum et cognatum. Sic Abrahamus nominatur Loti frater (Genes. 13, 8.), quamvis Lot fuerit filius fratris ejus (Aran).

Ad c) Quaecumque sub b) datarum expositionum tenetur, tertia etiam evanescit difficultas. Quatenus nempe Jechoniae nomine intelligitur Josiae nepos, cui teste V. F. nomen hoc proprium erat, eatenus dici potuit, eum genitum esse sub (seu circa) tempus transmigrationis (abductionis) in Babyloniam; nam transmigratio incepit sub rege Joachim (Dan. 1, 2.), et sub Jechonia et Sedecia absoluta fuit (4 Reg. 24, 25. Jer. 52, 28—30.). Ita enim graeca verba: ἐπὶ τῆς μετοικησίας sunt reddenda, non autem, uti Vulgata habet: in transmigratione, quia Josias fere viginti ante annis jam mortuus erat, quum Nabuchodonosor Judaeos in captivitatem migrare coëgisset (4 Reg. c. 23. et 24.). — Genitivus Βαβυλωνός idem ac: εἰς Βαβυλῶνα; Babylon autem h. l. non solum urbem, sed totam terram Babylonicam denotat.[†]

V. 12. *Post transmigrationem in Babyloniam* (μετά . . Βάβ.), i. e. post deportationem, dum moraretur Babylone. Bene ita vertit Vulgata, adhibetur enim hoc vocabulum etiam de initio exilii, quod s. Matthaeus indicare voluit, quia Salathiel tempore exilii, in ipsa captivitate natus est.

V. 13—15. Obscura est, neque in A. F. notata series eorum, qui post Zorobabelem nominantur. Jam enim familia Davidis ad tenuem seriem depressa erat; s. Matthaeus vel ex

archivis publicis (teste Julio Africano, epist. ad Aristid.), vel ex genealogiis privatis nomina ista desumpsit.

V. 16. *Virum Mariae*; nam eo tempore, quo s. Matthaeus evangelium scripsit, Josephus jam fuit vir (maritus) Mariae. Nec inde sequitur, s. Matthaeum simul indicare voluisse, Josephum naturalem fuisse patrem Christi; ipse enim in sequentibus docet contrarium. — *De qua natus est Jesus*. Non dicit: de quibus, sed: de qua, i. e. sola virgine. Hac dictionis mutatione clare evangelista indicat virgineum conceptum et partum. — De ipso nomine Maria vide commentar. in evang. s. Lucae 1, 27.¹⁾ — *Qui vocatur Christus*. Hoc potest duplici modo accipi, quasi verbis his vel suam edit persuasionem evangelista, vel autem vulgarem ejus denominationem; si prius, sensus est: qui est Christus seu Messias; si alterum: qui vulgo ab omnibus fidelibus alio nomine vocatur, cognominatur Christus seu Messias (a Lap.) — Praeter genealogiam hanc Matthaei (1—17.) legitur etiam alia apud s. Lucam (3, 23—38.). Si jam hae duae inter se comparentur, magna inter utramque invenitur discrepantia. Nam

1. Matthaei genealogia incipit ab Abrahamo atque descendit usque ad Christum; Lucae vero genealogia incipit a Christo et ascendit ad Abrahamum, imo ab hoc insuper usque ad Adamum et hujus creatorem, Deum.

2. Dum hae genealogiae ab Abrahamo usque ad Davidem consonant, inter Davidem tamen et Salathielem, ac denuo in Salathielis nepotibus ceterisque usque ad Josephum discrepant. Nam numerus posterorum a Davide usque ad Salathielem multo minor est apud Matth.; Matth. enim 15, Lucas vero 20, sed ab illis diversos posteros enumerat; et ita etiam inter Zorobabelem et Josephum 9 a Matthaeo, 18 alii his enumerantur a Luca.

3. Apud Matthaeum Josephus Jacobo, apud Lucam autem Heli attribuitur.

4. Uterque evangelista, etsi diversam stirpis Davidicae familiam (Matthaeus Salomonicam, Lucas Nathanicam) exhibeant, tamen in sua genealogia Salathielem et Zoro-

¹⁾ Conf. Katholik 1897. p. 515. et seq. Maria = Mirjam = amarum mare.

babelem habet; in eo autem iterum differunt, quod Lucas Salathielis patrem dicit Neri et Zorobabelis filium Resa, Matthaeus vero Salathielis patrem nominat Jechoniam, Zorobabelis autem filium Abiudum.

Quod hasce differentias et inde enascentes difficultates attinet, sequentia possunt dici:

Ad 1. Inversus genealogiarum ordo solus nullam causat difficultatem, sicut addita apud Lucam membra ab Abrahamo usque ad Adamum. Cur vero Matthaeus Christi genealogiam solummodo usque ad Abrahamum deducit, Lucas vero usque ad Adam, explicari potest e consilio utriusque evangelistae in exarandis evangeliis. Quum nimirum Matthaeus demonstrare vellet, Jesum esse Messiam Judaeis per oracula V. T. promissum, ideo genealogiam Christi usque ad Abrahamum, Judaeorum parentem, dumtaxat deducit; et quum statim Christi ex regia stirpe Davidica originem ostendit, incipiens eam a rege David et prosequens per regum seriem, uti Salomonis, Roboami, Abiae, Asae etc., sat clare manifestat consilium suum, attentos reddendi lectores ad regiam Christi dignitatem, quali praeditum Judaei Messiam expectabant. Lucas vero, demonstraturus, Jesum esse Messiam non tantum Judaeorum, sed omnium hominum ab Adamo originem trahentium, ergo Messiam etiam gentilium, ideo in genealogia ascendit usque ad Adamum (cf. August. de consens. evang. c. 4).¹⁾

Ad 2. Quod ad alteram attinet difficultatem, dicere possumus, Lucam plenius exhibere generationes, quam Matthaeum, qui, quum animadvertisset, totam Christi prosapiam ab Abrahamo repetitam, in tres potissimum aetates posse distribui, ac vidisset, primam aetatem 14 complecti generationes, suam genealogiam in tres tessaradecades distribuere voluit; hinc quasdam generationes in secunda et tertia aetate omittere debuit (Patrit. III, 81.).

Ad 3. Quod ad tertiam difficultatem attinet inter varios ad apparentem genealogiarum contradictionem removendam modos, duo tantum memoratu sunt digni.

¹⁾ Cf. Bucher, Erklärung des Evang. nach Lucas S. 173. ff.

Nonnulli interpretes¹⁾ dicunt, a Matthaeo recenseri genealogiam s. Josephi, a Luca autem b. Virginis Mariae; adeoque Heli (Luc. 3, 23.) nominatus, fuit pater Mariae. — Hi interpretes verba graeci textus: ὡς ἐνομίζετο τοῦ Ἰωσήφ, τοῦ Ἠλί, non vertunt cum Vulgata nostra: »Et Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit (scil. filius) Heli etc., — sed alio modo interpungunt, verba: ut putabatur filius Joseph, parentesi includentes, ut sensus esset: Jesus Josephi quidem filius putabatur, revera autem filius vel potius nepos fuit Heli, patris B. Virginis Mariae. Provocant ad antiquam traditionem, juxta quam patri B. Virginis nomen fuit Eliakim, contententes Heli esse idem nomen ac Eliakim. Hanc identitatem esse fictitiam, bene notat Cornely, quia nomen Heli vel Eli abbreviatum est pro Elia, non autem pro Eliakim. Dein illa versio textui non correspondet; praestantissimi enim codices (Aleph, A. B. D.) articulum τοῦ ante nomen Ἰωσήφ non habent, hinc τοῦ Ἠλί cum articulo non potest eodem modo dependere ab υἱοῦ, quo dependet Ἰωσήφ. Quum vero nomina propria articulum recipere non soleant, articulus τοῦ ante Ἠλί et sequentia nomina, est articulus substantivi, qui locum tenet substantivi υἱοῦ, ideo versio Vulgatae optima. Quapropter tenenda est sententia, quam tenent omnes Patres, qui hanc quaestionem tractarunt²⁾ et multi recentiores,³⁾ qui Julium Africanum (ineunte saec. 3. in epistola ad Aristid.) secuti, affirmant, in utraque genealogia recenseri genealogiam Josephi, differentiam omnem explicantes ex matrimonio leviratus. Lege nimirum Mosaica (Deut. 25, 5. 6.) praeceptum erat, ut, si quis absque liberis mortuus fuerit, viduam defuncti frater defuncti aut proximus cognatus ducat, et primogenitus ex ea filius defuncti habeatur et haeres. Quam ob rem fieri potuit, ut quis duos patres haberet, alterum naturalem, a quo genitus esset, alterum legalem, in cujus nomen et bona succedebat; atque id Joseph accidisse, ss. Patres dicunt. Uxorem nimirum demortui Heli, quem s. Lucas patrem

¹⁾ Epiph., Arnoldi, Bisp. Pözl.

²⁾ Ambros., Greg. Naz., Hier., Aug.

³⁾ Reischl, Cornely, Patrit., Schanz, Knabenbauer.

Josephi dicit, juxta leviratus legem duxit Jacobus, quem Matthaeus Josephi patrem nominat. Hinc Joseph erat filius naturalis Jacobi, legalis autem Heli (apud Lucam.).

Quum juxta hanc explicationem posita est genealogia Josephi, quaeri passet, cur posita sit haec Josephi genealogia, qui nihil ad Christi nativitatem contribuerat.

Nonnulli interpretes¹⁾ dicunt, id factum esse, quia non erat consuetudo s. scripturae genealogias texere mulierum, vel genus alicujus ex genere matris determinare. Ad quam explicationem bene notat Maldonatus, hoc responsum non sufficere. Quapropter alii interpretes²⁾ provocant ad legem Mos. (Num. 36, 6.), qua virgines haeredes (i. e. quae non habebant fratres), ut haereditas permaneat in familia eadem, nonnisi viro suae tribus et familiae nubere tenebantur.

Mariam filiam haereditatem fuisse et proinde viro agnato debuisse nubere, id apparet non tantum ex traditione, sed etiam ex ipsis ss. literis, quod, quamvis in evangeliiis sermo fiat de fratribus Christi, de sorore Mariae, tamen nunquam de fratribus Mariae mentio infertur. Inde jam inferunt, si Joseph stirpis Davidicae erat, etiam Maria, quae ei nupserat, ejusdem stirpis erat, ideo etiam Jesus, ex Maria natus, e Davidis genere ortus censendus est.

Sed quamvis haec vera sint, et tum ob locum s. Pauli (Rom. 1, 3.) et ob narrationem s. Lucae (2, 4. 5.), juxta quam Maria cum Joseph Bethlehemum profecta est, quando census agebatur, firmiter teneamus, Mariam e stirpe David ortam esse, tamen hac explicatione non explanatur, cur genealogia Josephi recenseatur. — Ideo alii interpretes,³⁾ s. Augustinum secuti, dicunt, si recenseatur genealogia Joseph, simul recenseri genealogiam Christi, quia inter Joseph et b. Virginem Mariam verum exstitit conjugium et Christus in conjugio legitimo, ex matre legitima natus, utrique adscribendus est tamquam patri et matri. Proles enim, quae ex legitimo conjugio nascitur, conjugum est, sicut

¹⁾ Hier., Pasch., Jans., Sylv.

²⁾ Ambros., Jans., Mald.

³⁾ Pasch., Thom., Jans., a Lap., Patrit., Wouters, Cornely, Grimm, Knabenbauer, Flunk (Zeitschrift für kath. Theologie).

seges nata in agro sterili supernaturaliter domini agri est. Ergo ex jure conjugii Christus est filius Joseph legitimus (etiamsi ex conjugio non naturaliter, sed miraculose sit genitus); vir et uxor fiunt unum, quare prolem legitime natam habent communem. Deum autem posse et velle alicui, qui ipse non genuerit, dare filium, id jam efformatum vidimus in lege leviratus. Unde non immerito cum s. Augustino concluditur, Christum ex hac sola veri conjugii ratione dici posse et debere propter Joseph filium David, etsi Maria mater nullam ex David consanguinitatis originem duxisset.¹⁾

Ad 4. Ad hanc difficultatem expediendam duplex datur modus: alii²⁾ dicunt, Jechoniam, qui apud Matthaeum tanquam Salathielis pater commemoratur, prole caruisse (*ἀπαις*); nulla enim filiorum ejus, 18 annos nati, dum in Babyloniam captivus abduceretur, fit mentio, nec verosimile est, eum in carcere, vel serius post 37 annos libertatem nactum filios procreasse, quum Judaei elapsis 26 annis post liberationem Jechoniae e captivitate reduces Zorobabelem ut suum haberent principem. Quae sententia etiam commendatur loco Jeremiae (22, 30.), ubi Jechonias sterilis vocatur. Alii (Knabenbauer) affirmant, Jechoniam prolem habuisse, uti in primo libro Chronicorum (3, 17. 18.) legitur: »Et filii Jechoniae Asir, Salathiel filius ejus, et Malchiram, Phadaia etc.« Si ergo Jechonias prole carebat, poterat ei, ne familia Salomonica cum eo exstingueretur, e familia Nathanica tanquam filius legalis atque stirpis propagator adscribi Asir (filius Neri, quem ex uxore defuncti Jechoniae procreavit, et quem Matthaeus et Lucas in suis genealogiis omiserunt), qui filium habebat Salathielem. Hic (Salathiel) autem in utraque genealogia jure adduci poterat; in Salomonica, quatenus pater ejus Asir filius legalis factus est Jechoniae (ergo qua nepos Jechoniae), in Nathanica vero, quatenus patrem ejus (Asir) supponitur fuisse naturalem filium Neri (ergo nepos, seu sensu latiori filius Neri).³⁾ Si autem Jechonias juxta illum Chronicorum

¹⁾ Cf. Cornely: *Introduct. in libr. ss.* p. 196. Knabenbauer p. 42. seq.

²⁾ Reischl, Schanz.

³⁾ Cf. Schegg.

locum non erat prole destitutus, (licet, uti nonnulli illam Jechoniae sterilitatem a Jeremia praedictam exponunt, destitueretur tali filio, qui solium regium esset consensurus), tum vel solus Asir erat filius ejus ex uxore defuncti Neri (familiae Nathanicae membro) in uxorem accepta genitus, qui ita utrumque ramum familiae Davidis in se conjunxit, hinc etiam ejus filius Salathiel (cujus fratres juxta hanc explicationem sunt Malchiram, Phadaia) in utramque genealogiam suscipi potuit, quia nimirum pater ejus (Asir) in Salomonicam stirpem pertinebat qua naturalis filius Jechoniae, in Nathanicam vero qua legalis filius Neri. (Pluralitas: filii, huic non obstat, quia in genealogiis saepe ita legitur, etiamsi unus tantum filius viri prius nominati adducatur (1 Chron. 1, 40; 2, 8; 4, 15.), prouti etiam fit, ut, ubi plures alicujus filii numerandi sunt, praeponatur vox filius, singulari numero (1 Chron. 3, 19. 21. 23.)¹⁾ — Vel autem omnes illi, qui praeter Asirum enumerantur, Jechoniae filii erant naturales; hinc Asir, Malchiram, Phadaia sunt fratres. In primogenito, Asiro, parenthetice fit simul statim mentio filii ejus, Salathielis, quia nomen erat maxime notum, ita ut silentio praetermitti non posset.²⁾ Zorobabel in utraque genealogia aequè occurrere merito potest. Si nempe Salathielis erat filius (sive naturalis, sive legalis), et is non alium insuper filium habebat, tum, sicuti in Salathiele, ita et in Zorobabele uterque ramus stirpis Davidicae continuabatur. Idem Zorobabel, qui inter claros post finem captivitatis viros excelluit, etiam in pluribus aliis s. scripturae locis (1 Esdr. 3, 2. 8; 5, 2; 2 Esdr. 12, 1. Hagg. 1, 1.) vocatur filius Salathielis. Ast in libro primo Chronicorum (3, 18.) mentio fit Zorobabelis, filii Phadaiae. Haec locorum differentia conciliari potest, si cum aliis interpretibus³⁾ statuamus, Zorobabelem fuisse naturalem filium Phadaiae, simul vero legalem filium Salathielis, cui, absque prole defuncto, a Phadaia, tanquam proximo cognato utpote vel fratre (juxta Hug), vel patruo (juxta Schegg) vi levitatus progenitus est.

¹⁾ Cf. Hug Einleitung II, § 74.

²⁾ Cf. Schegg.

³⁾ Hug, Schegg, Schanz, Cornely.

Dum denique apud Matthaeum Zorobabelis filius dicitur Abiud, apud Lucam vero Resa, non multum difficultatis adest. Uterque poterat esse filius naturalis; et quia duo erant filii viro, in quo uterque ramus stirpis Davidicae continuabatur, unus, Abiud, ramo Salomonico, alter, Resa, ramo Nathanico iterum separatim continuando, est assignatus. In libro primo Chronicorum (3, 19.) filii Zorobabelis alia habent nomina. Diversitas haec explicatur, si dicimus, viros illos duo habuisse nomina; vel Abiudum et Resam in libro Chronicorum esse omissos.¹⁾

V. 17. *Omnes generationes*, non prout in se erant, sed prout in praecedentibus, nonnullis omissis, enumeratae sunt. — *Generationes* (γενεαί) h. l. debet de concreto accipi, et significat eos, qui generati sunt, i. e. posteros. Quod computationem quatuordecim personarum attinet, e quibus quaelibet tessaradecas constat, non conveniunt interpretes. Nonnulli²⁾ Davidem et Josiam bis numerant, ita ut prima tessaradecas in Davide terminetur, et David iterum sit initium et prima persona secundae tessaradecadis; eodemque modo Josias sit ultima persona secundae tessaradecadis et initium primaque persona tertiae. Quae divisio ab aliis rejicitur, quia ita Christus ex numero γενεών demitur, quod haud permittunt verba hujus versus, si cum integra genealogia conferantur. — Quapropter alii³⁾ Jechoniam bis numerant, scil. sub tempus transmigrationis et post ipsam transmigrationem. — Alii⁴⁾ in secunda tessaradecade post Josiam inserunt filium ejus Joachimum (Joakim), qui erat pater Jechoniae, devitantes ita, ne una eademque persona bis numeretur. Altera computatio praeferenda est. In 14 generationibus consulto selectis numerum sacrum septenarium spectari geminatum recte plures putant.

Ceterum s. Matthaeus, uti observat Maldonatus, hac accurata genealogiae distributione in tres tessaradecades voluit significare, aliquid in ea re subesse mysterii. Mysterium autem hoc juxta permultos situm est in eo, quod evangelista hac divi-

¹⁾ Schanz, Arnoldi.

²⁾ Arnoldi, Reischl.

³⁾ Schegg, Knabenbauer.

⁴⁾ Jansen., Calm., Bucher.

sione in tres tessaradecades voluit triplicem populi Judaici statum recensere, theocraticum sub patriarchis et iudicibus, monarchicum sub regibus, hierarchicum sub sacerdotibus.

2. Christi e Spiritu s. conceptio mirabilis, origo e Maria et nomen (v. 18—25.)

V. 18. *Christi autem generatio sic erat* (γένεσις . .), Christi hominis ortus, seu origo sic facta est, videlicet, uti statim sequitur, quod non a Josepho ille fuerit genitus, sed ex Maria per Spiritum s. solummodo natus. Id adnotat, ne quis putaret, Christum eodem modo, quo alii, genitum esse. — *Quum esset desponsata* (particula γάρ h. l. explicativa: nimirum); nuptias semper sponsalia praecedebant. — *Antequam convenirent*, antequam domicilium conjungerent, seu: post sponsalia et ante nuptias. Nam verbum *convenire* (συνελθεῖν) de sponsis adhibitum, vi usus loquendi Latinorum et Graecorum significat vel: domicilium conjungere, vel per euphemismum: torum conjungere; sed hic prior significatio seligenda est, quod etiam contextus docet v. 20. et v. 24.¹⁾ Apud Judaeos nimirum sponsae per 10 aut 12 menses in aedibus paternis manebant, antequam sponsis tanquam conjuges traderentur, et per hoc tempus a consortio virorum illis abstinendum erat. Deus voluit, filium suum concipi a virgine desponsata, tum ut provide-retur honori virginis, tum ut ei in sponso auxilium et solatium daretur. — *Inventa est*, i. e. apparnit (ἐφάνη Euthymius). — *In utero habens*, gravida. — *De Spiritu sancto* (ἐκ πνεύμ.), operatione Spiritus sancti, (ἐκ indicat causam). Verbis his evangelista indicat causam graviditatis, quae causa aliis minime nota erat. Tanquam causam originis Christi nominat divinam Spiritus sancti potentiam, cui Spiritui alias (Matth 28, 19; Joan. 14, 16.) personalitas tribuitur. Quum evangelista h. l. causam originis Christi dicit Spiritum s., minime existimandum est, solum Spiritum s., exclusis Patre et Filio, generationem Christi effecisse; factum est id virtute omnium trium personarum divinarum. Nam juxta theologorum axioma omnia opera sanctae Trinitatis extra ipsam omnibus personis sunt com-

¹⁾ Cf. Patrit. III. p. 124. ad 18., Schegg, Reischl, Schanz, Knabenbauer.

munia. Sicut jam (per appropriationem) opera potentiae (et providentiae) inprimis Patri, et illa sapientiae Filio tribuuntur, ita conceptio Christi Spiritui s. tribuitur, quia Spiritui s. praecipue opera charitatis et gratiae adscribuntur, quae autem praeprimis in Christi conceptione elucent (Mald.).

V. 19. *Vir ejus* (ἀνὴρ). Matthaeus appellat Josephum virum Mariae, quia apud Judaeos, vi popularis usus loquendi, sponsus et sponsa statim post sponsalia rite facta, sicut vir et uxor habebantur, quod ipsa s. scriptura confirmat, quum nomina vir et uxor pro sponso et sponsa usurpat (Deut. 22, 23; Gen. 29, 21. coll. 22.) — *Quum esset justus* (δικαιος), probus, integer, utpote legis divinae normam presse secutus et in vita sua exprimens. Sententia haec exhibet utriusque rei causam, tum sponsae dimittendae, tum modi, quo eam dimittere statuerat, ita ut sensus sit: Josephus, quum esset probus, ideo non potuit sponsam ab alio cognitam ducere, ne castitatem parvi pendere videretur; sed, quum probus esset, eam noluit ignominiae exponere, ideoque occulte eam dimittere statuebat. — *Traducere* (δειγματίσαι), ignominiae exponere, diffamare. Nam graecum verbum δειγματίζω (a δῆγμα exemplum) notat: ostendo in exemplum, dein ignominiae expono, quasi ad alios monendos. — *Voluit* (ἐβουλήθη) i. e. consilium cepit, intendit. — *Dimittere* (ἀπολῦσαι). Apud Judaeos enim etiam sponsae tradito libello repudii, uti uxores dimittebantur. Alii¹⁾ negant, lege statutum fuisse, ut etiam sponsa solum dato libello repudii dimitteretur. Voluit vero eam occulte dimittere, i. e. sine iudicio publico et non nominata aperte causa divortii, sed non sine libello repudii ei tradito, nec sine testibus (saltem duobus), ne libellus auctoritate destitueretur.²⁾

V. 20. *Ecce* (ἰδοὺ). Particula haec attentionem excitat lectoris ad inopinatum, quod mox refertur, simulque tale, quod sensibus proponitur. — *Angelus*. De angelis vid. commentar. in evang. s. Joan. pag. 71. — *In somnis* (κατ' ὄναρ) tempore somni, seu per somnium. Revelationes enim, quae a Deo fiunt, sive per somnium, sive in vigilia fiant, tam efficaces sunt, quod non plus certificatur homo in vigilia, quam in somnio (Alphons.

¹⁾ Mald., Grimm., Schanz, Knabenbauer.

²⁾ Cf. Patrit III, 131. Schegg, Bisp.

Tostatus). — *Fili Davidis* (υἱός nominativus pro vocativo). Hac allocutione voluit angelus Josephum anxium et dubitantem, quomodo concepisset, partim consolari, partim attentum reddere eum, quod nuncius ei allatus spectet ad Messiam ex nobili Davidis stirpe oriturum, quo utique animus Josephi in spem magnarum rerum erigebatur.¹⁾ Vox filius h. l. sensu latiori, ut 1, 1. — *Noli timere accipere conjugem tuam*, ne timeas Mariam, sponsam tuam in matrimonium ducere, seu in domum accipere, ita ut sit tibi uxor. Accipere, graece παραλαμβάνειν, quod proprie notat: assumo, mihi adjungo; sed in hoc nexu, ubi de conjugio agitur, et opponitur verbo dimittere (ἀπολῦσαι v. 19.), notat: in domum accipere, in sua recipere²⁾. *Conjugem* (γυναικα) eodem modo, ut supra Josephus dicebatur vir. — *Quod enim* (τὸ); neutrum positum est, quia prima vice ad Josephum sermo fit de foetu in lucem nondum edito, cujus sexus nec alio etiam modo declaratus est. Definitur sexus versu sequenti. — *In ea*, valet idem, quod antea: in utero (v. 18.). — *Natum* (γεννηθέν), genitum. — *De Spiritu sancto*. Verba haec pandunt causam graviditatis Mariae, Josepho adhuc ignotam. Tota autem sententia motivum praebet Josepho ad Mariam non repudiandam, sed assumendam.

V. 21. *Vocabis nomen ejus*; futurum h. l. habet vim imperativi. Quibus verbis ei demandat honorem et officium curamque patris et capitis ejus familiae. — *Populum suum*. Quamvis Christus omne genus humanum redempturus esset et populus ejus sint omnes credentes (s. Chrys.), Josephus tamen vix alium populum intellexit, dum haec audiret, quam populum Judaicum. Nominatur autem populus Judaicus, non quod excludantur alii populi, sed quod hic populus a Deo electus esset, ut redemptor ex eo et in eo prodiret, isque primus salutare fructus adventus ejus gustaret. Praeterea sermo est ad Judaeum, cui sui populi sors praeprimis cordi erat. — *Salvum faciet* (σώσει), liberabit. Nam σώζω, quod absolute positum notat: salvum et incolumem praesto, cum ἀπὸ vel ἐκ denotat: libero. — *A peccatis eorum*, nec non a poena eorum. Plus Christus praestitit generi humano, quam solam liberationem a peccatis;

¹⁾ Cf. Rosenmüller.

²⁾ Cf. Patrit. III, 125. ad 13. 50.

sed nominatur haec, quia praecipuum beneficium et quia necessaria conditio erat ad percipiendos reliquos operis ejus fructus. — *Eorum* (αὐτῶν) pro: ejus, quia populus (λαός) nomen collectivum est.

V. 22. *Hoc autem totum*, quod scil. virgo conceperit, quod Jesus infans nondum natus appelletur. Verba hujus versus plerique Graecorum cum s. Chrysostomo et nonnulli recentiorum interpretum (Patrit. III, 133.) ipsius angeli esse existimant, sermonem suum cum Josepho prosequentis. Sed rectius statuunt, qui cum Maldonato verba haec putant esse Matthaei, mediae narrationi parenthetice inserta, qui in ipsa Jesu Christi in sinu virginis incarnatione impletum agnovit vaticinium Jesaiae. Nam etiam alias (21, 4; 27, 9.) narrationibus similes reflexiones inserere solet. — *Factum est* (γέγονεν); quia conceptus virgineus jam factus est. — *Ut adimpleretur*. Particula ἵνα h. l. est significativa causae, τελικῶς (finaliter) posita, non autem ἐκβατικῶς (de eventu: ita ut), et valet idem ac: ideo ut, eo fine ut, eo consilio ut. Quae enim divinitus praedicuntur, aut sunt Dei promissa, aut talia, quae Deus aliquando futura esse praevidit; utraque autem eveniunt eo fine, ut (ἵνα) verax sit Deus in promissis aut praedictis. »Qui praedixerat«, recte observat Lucas Brugensis, »quia facere statuerat, facit, quia praedixerat, ut verax sit.« — Prophetiae, scribit Patritius (III, 134.) sunt quaedam Dei veluti promissiones, quibus spondet, se aliquid praestitutum. Nam, sicut, qui aliquid promisit, illud praestat, ideo ut impleat promissum, ita, quae praedicta fuerant, eveniunt ideo, ut oracula impleantur. Divina Jesu generatio in virgineo Mariae utero facta est, quia in A. T. a Deo per prophetam praedicta erat; quia ergo hoc praedictum erat, debebat fieri, ideo ut impleatur illud divinum oraculum (cf. commentar. in Joan. 12, 38.). — *Per prophetam*, scil. Jesaiam, cujus verba (7, 14.) versu sequenti citantur.

V. 23. *Ecce virgo in utero habebit*. Particula ecce est admirantis magnitudinem tanti mysterii. Prophetia haec directe et immediate est Messiana. Verbis his Jesaiae omnes Patres, quotquot hoc vaticinium sunt interpretati, et s. Matthaeus docent, designari Mariam, matrem Christi. Conantur Judaei nobis christianis hoc grave argumentum, quo divinitus missum

esse Jesum, probare solemus, eripere, contententes, quod virgo ex viri congressu conceptura dicatur. Nonnulli (R. Jarchi, saec. 11.) jam eorum haec Jesaiae verba intelligunt de uxore prophetae, quae (Jes. 8, 3.) prophetissa dicitur, quae filium eo anno in lucem editum ob mox futuram liberationem Immanuellem vocabit. Alii (R. Kimchi saec. 12.) ea verba intelligunt de regis Achazi uxore. Sed utraque explicatio falsa est. Si enim verba prophetae sive de ipsius, sive de Achazi uxore intelligenda essent, propheta talibus notis unam vel alteram designasset, ut posset dignosci ab aliis feminis, et non eam simpliciter עֲלִיזָבֶת vocasset, quae vox puellam innuptam, virginem juvenem denotat, uti docent omnes loci V. T. (Gen. 24, 43; Exod. 2, 8. Ps. 67, 26. Cant. 6, 7. Prov. 30, 19.), in quibus haec vox usurpatur.¹⁾ Praecipue autem postulat contextus et consilium prophetae, quod voci עֲלִיזָבֶת notio virginis sit vindicanda. Quum enim Rasin, rex Syriae, et Phacee (Pecachus) rex Israëlitarum, bellum movissent contra Achazum, regem Judaeorum, inque hujus perniciem conspirassent (Jes. 7, 1. 6.), et quum ille, neglecto Jehova, auxilium peteret ab Assyriis, Deus Jesaiam ad eum legavit, qui eum securum esse juberet, simulque signum, quaecunque Achazo placuisset, offerens, quod ipsi omnibusque Davidis posteris documento erit, familiam Davidicam nondum amissuram esse regiam dignitatem, nec perituram. Cum tamen Achaz tale documentum respueret, sub praetextu, se nolle Deum tentare, propheta ira accensus ait: »Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. *Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emmanuel.*« Quibus verbis vult dicere: Quia tu, Achaze, signum, quod tibi fidem afferat, familiam Davidicam ab hostibus non posse consumi atque deleri, a Deo petere recusas, equidem te illius magni, quod Deus faciet, miraculi commoneo; nimirum virgo, quam animo video, sine viro concipiet, et ut virgo edet filium, quem vocabit Emmanuelem. — Voluit itaque his verbis animum Achazi roborare et spem meliorum firmare; provocando enim ad Messiae adventum, e virgine stirpis Davidicae nascituri, jam eo ipso documentum divi-

¹⁾ Conf. Knabenbauer Commentar. in Jesaiam pag. 169.

num de non exstinguenda Achazi tempore stirpe Davidica praebet. Hoc suum consilium autem propheta assequi haud potuisset, si verbis illis nil aliud voluisset indicare, quam virginem in connubium acceptam, aut conjugem juvenculam ex viro concepturam et parituram esse; id enim nec novum est, nec mirabile, sed quod evenit omnibus, quae pariunt mulieribus (Iren., adv. haer. III, 21. Tertull. adv. Jud. c. 9.)¹⁾ — Virgo, ἡ παρθένος cum articulo (uti etiam in hebraeo), quia de certa, determinata, singulari, e stirpe Davidica oriunda, quam propheta animo spectaverat, sermo est. — *Vocabunt*, scil. homines. Apud Jesaiam legitur numerus singularis: vocabis, scil. tu virgo; vel vocabit nimirum virgo, quia hebr. נָכְרָה potest vel 2. pers. fem. esse, vel 3. pers.. Matthaeus, uti ait Hieronymus, magis sensum quam verba prophetae attulit, quod saepe evangelistae faciunt. — *Emmanuel*. Huic non obstat, quod Christus non Emmanuel, sed Jesus vocaretur; nam quamvis sono non ita vocaretur, sensu, re ipsa, id omnino erat, scil. nobiscum Deus, Deus incarnatus, in utero matris factus est, etiamsi illo nomine nunquam appellatus fuerit, quemadmodum juxta Jesaiam 9, 6.) nomen ejus erat: admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis, — quia re vera talis erat (Tert. adv. Jud. c. 9., Chrysost.). Vox nempe Emmanuel est stirpis hebr. עִמָּנוּעֵל nobiscum, et אֱלֹהִים Deus, atque exprimit conjunctionem humanae et divinae naturae in una Christi persona, ergo incarnationem Verbi (τοῦ λόγου), Filii Dei. Quum ergo filius ex virgine nasciturus, esset Deus — homo (θεοανθρωπος), ideo etiam hoc nomine Christum Jesaias designavit.

V. 24. *A somno*, in quo edoctus erat de graviditate sponsae suae. — *Et accepit conjugem suam*, sponsam suam Mariam in matrimonium duxit, et quidem, quum Maria (coll. Luc. 1, 56.) tres menses circiter moraretur apud Elisabetham, tertio mense post annunciationem.

V. 25. *Cognovit* (ἐγίνωσκεν); *cognosere* (γινώσκειν), uti hebr. יָדָע, per euphemismum adhibetur ad indicandam tori conjunctionem (actum conjugalem).

¹⁾ Cf. Patrit. III, 135—153., Arnoldi, Reinke, die Weissagung von der Jungfrau und vom Immanuel, Arnoldi.

Hoc loco abusus est jam saec. 4. Helvidius, quem recentiorum nonnulli secuti sunt ad impugnandam perpetuam Mariae virginitatem, ideo:

a) quod Jesus compelletur primogenitus (πρωτότοκος), qualis dici non potuisset, si alios fratres, et quidem ejusdem matris, qui in s. literis fratres ejus dicuntur, non habuisset; porro

b) quod Josephus abstinuisse dicatur a tori consuetudine, donec (ἕως οὗ) Maria Jesum peperit.

Sed perperam ita statuitur; utrumque enim, nempe tam vocabulum primogenitus, quam verba: non cognovit, duplicem habere potest significatum; et quidem:

Primogenitus (πρωτότοκος) denotat eum, qui est inter plures natos primus natus; dein vero etiam denotat eum, ante quem nullus in lucem editus est, quin ratio habeatur subsequi dein temporis, quin curetur, an post illum nati sint alii, nec ne. Hocce respectu altero primogenitus quandoque idem est, quod unigenitus (μονογενής); ita et h. l. Explicationem hanc veram esse, docent alii s. scripturae loci. Sic jussit (Exod. 13, 2. 12; 22, 29. Num. 18, 15; 3, 13.) per Moysen Deus omnem primogenitum sibi sanctificari. Sub primogenito autem teste consuetudine apud Judaeos obvia, intellectus erat is, ante quem nullus natus erat ex eadem matre, etiam unigenitus; secus enim cum praesentatione et redemptione primogenitorum semper expectandum fuisset, donec parentibus alii filii nascerentur, quod tamen non fiebat. Ita et Paulus (Col. 1, 15. Hebr. 1, 6.) Christum appellat Dei primogenitum, etsi idem apud Joannem (1, 18; 3, 16.) vocetur unigenitus. Imo et apud scriptores alios, uti apud Orpheum, qui, ut narrat Lactantius, Deum verum et magnum πρωτόγονον, id est primogenitum appellat (div. instit. 1. c. 5.), itemque apud Patres graecos.¹⁾ Eodem modo verba: non cognovit, duplicem sensum possunt habere, si in se spectentur. Vel enim denotant: abstinuit (aliquis) a toro conjugali (seu congressu maritali) usque ad partum conjugis, dein vero jam non amplius abstinuit; — vel vero possunt denotare: abstinuit (aliquis) a toro conjugali usque

¹⁾ Cf. Patrit. III, 126.

ad partum conjugis, quin simul innuere velit, quid postea factum sit, ita ut altero in casu, quid factum sit, vel non factum, aliunde sit cognoscendum. Sic v. c. Gen. 8. 7. de corvo a Noë emisso ex arca dicitur: non revertebatur, donec siccarentur aquae, ubi lectori relinquitur conclusio, quod scil. ille nunquam sit reversus. Aut Jes. 22, 14., ubi legitur: Non dimittetur iniquitas haec vobis, donec moriamini; unde non concludendum, ergo post mortem dimittetur, sed nunquam dimittetur. » Oportet Christum regnare, donec ponat omnes inimicos ejus sub pedibus ejus (1 Cor. 15, 25.), quo certe non dicitur, eum non regnaturum esse postquam illi sub pedibus fuerint Cf. Gen. 28, 15; Ps. 109, 1; Matth. 5, 18. Cum igitur et vocabulum primogenitus et haec sententia duplicem admittit significatum, ex loquentis consilio definiri debet, qui sensus tenendus sit; porro ex historicis indiciis, aliunde notis, si talia adsunt. Jam vero s. Matthaeus verba haec, prout totam historiam originis Jesu v. 18 — 25. contentam, manifeste eo consilio adfert, ut doceat, Jesum non fuisse filium Josephi, sed ex virgine absque viri consortio natum. Quum ergo tale sit ejus consilium, verba non cognovit eam, donec, non possunt sensum hunc habere: a tori consuetudine abstinuit usque ad tempus partus, dein vero non abstinuit; nam tum verbis istis plus dixisset, quam intendebat; de illis enim, quae post partum Christi evenerint, vel non evenerint, loqui non voluit evangelista. Abstenuisse vero etiam postea, id constans traditio in ecclesia conservata confirmat, cui non adversatur ea circumstantia, quod in N. F. fratres (et sorores) Christi memorentur, quia per hos non sunt intelligendi fratres stricto sensu, sed consanguinei, — cognati Christi.¹⁾ — *Et vocavit nomen ejus Jesus.* Sequebatur in hac etiam re praeceptum angeli, sed non sat aperte definivit evangelista domicilium Josephi et Mariae; in Lucae evangelio (2, 4. 39.) legimus, Mariam Nazarethi in Galilaea habitasse (Luc. 1, 26).

¹⁾ Cf. a Lap., Calm.

Caput II.

1. Magorum adventus (v. 1—12.)

S. Matthaeus praetermittit iter Josephi et Mariae Nazaretho Bethlehemum, nativitatem, adorationem pastorum, circumcisionem et oblationem in templo, de quibus omnibus Lucas scribit. Adorationem Magorum fors ideo narrat, quod Judaeo — christianis, in quorum gratiam scripserat, ostendere volebat, divinam providentiam statim nato Salvatore re demonstrasse, etiam gentiles vocatos esse ad salutem per Messiam percipiendam eumque regem esse omnium populorum.

V. 1. *Bethlehem* (בֵּית לֶחֶם domus panis) ita dicta ob regionis fertilitatem, unde etiam nomen antiquum Ephrata i. e. fertilis (Mich. 5, 2.) — *Judae*, graece τῆς Ἰουδαίας, Judaeae, ideo additum, ut distingueretur ab oppido alio ejusdem nominis in Galilaea inferiori, in tribu Zabulon sito. Haec Bethlehem, de qua h. l. est sermo, sita erat in tribu Juda, duas horas ab Hierosolyma distans. — *Diebus Herodis* (ἐν ἡμέραις = בְּיָמַי Gen. 26, 1.), regnante Herode (et quidem ante a. 750., ad finem a. 749. post u. c., quia Herodes a. 750. mense Aprili ante pascha mortuus est).¹⁾ Conf. dicta in Luc. 2, 2. pag. 118. — Herodes hic, cognomine magnus, erat Antipatri Idumaei filius, cui primo populus romanus appellationem regis Judaeae indidit. Addidit Matthaeus: regis, ut Herodem, Antipatri filium, ab Herode Antipa, tetrarcha, de quo postea (14, 1.) agitur, distinguat, et ut significet, impletum esse vaticinium patriarchae Jacobi de tempore (Gen. 49, 10.), quo Messias venturus sit, cum ablatum esset sceptrum de Juda et translatum ad Herodem alienigenam. — *Magi*, graece μάγοι, a persico mog, apud Persas et Medos erant sapientes et sacerdotes, qui astrologiae, divinationi, scientiae rerum divinarum ac patriae philosophiae nec non et arti medicae operam dederunt, qui ideo in summo

¹⁾ Cf. Ammer, Chronolog. des Lebens Jesu Chr.; Friedlieb, Geschichte des Lebens Jesu.

honore habebantur, ita ut essent regum consiliarii. Etiam Chaldaei suos Magos habebant. Dan. 2, 2. Jer. 39, 3.

Postea hoc doctorum Persicorum (ac Medorum) nomen ad sacerdotes et sapientes transiit, qui iisdem studiis se consecraverant, ubicumque terrarum essent (Calm.) Nonnulli ob loca prophetica (Jes. 49, 7; 60, 3; 10; Ps. 71, 10. »reges Arabum [Scheba = Arabiae] et Saba dona adducent«), putant eos simul reges fuisse (cf. Mald.). Recte notat Jansenius, eos reges vocari posse, quia fuerint potentes et propter sapientiam soliti sint adstare regibus. — *Ab oriente*, ab ea orbis terrae parte (seu coeli plaga), in qua sol nobis exoriri videtur; ergo a regionibus orientalibus. — *Hierosolymam*; putabant enim regem illustrem neonatum in urbe regia, in ipsa familia, quae tunc regnabat, esse quaerendum. — Magos hos ex Arabia venisse, jam s. Justinus (contra Tryph.) sic sensit, cui et Tertullianus (contra Iudaeos c. 9.) et Epiphanius (in doctrina compend.) accedunt, quorum sententiae favent ipsa munera a Magis Christo oblata, quum haec fructus nativi sint Arabiae. Huic vim addit et hoc, quod Hebraeis Arabia potissimum oriens diceretur (cf. a Lap.). Alii¹⁾ eos ex Chaldaea, alii²⁾ ex Persia profectos esse putant. — De numero eorum nihil dicit s. Matthaeus, nec ullus s. Patrum ante saec. 5. aliquid profert, e quo numerum hunc certo discere esset. Verosimile tamen est, fuisse tres. Nam Magorum imagines. Christum invisentium, quae in ecclesia romana asservantur et ipsius Leonis M. aetati anteeunt, tres Magos exhibent, qui numerus etiam in omnibus reliquis Magorum effigiibus sequioris aetatis repetitur. Rossi, de archaeologia optime meritis, ex saec. 1. imagines repererat in catacumba s. Priscillae (uxoris Aquilae, ss. Petro et Paulo notae) et in coemeterio s. Domitillae, quae repraesentant adorationem trium Magorum. Argumento huic ex imaginibus tres solummodo Magos repraesentantibus petito inest gravis vis, quum scil. probat, a priscis usque aetatibus opinionem de tribus Magis firmiter in ecclesia catholica obtinuisse (Patr. III. 319.) Nec nomina horum Magorum s. Matthaeus suggerit. Illa nomina: Caspar, Balthasar,

¹⁾ Hieron., Jans.

²⁾ Clemens Alex., Chrysost., Cyrill., Leo, Schanz, Knabenbauer.

Melchior primo reperiuntur in codice quodam bibliothecae parisiensis ex saec. 7. vel ineunte saec. 8.¹⁾ Si quaestio movetur, quando hi Magi ad Christum venerint, maxima solutio ejus laborat difficultate, quippe quum Matthaeus et Lucas inter se pugnare videantur. Nam Lucas silet de Magorum adventu in oppidum Bethlehem, et de fuga Christi in Aegyptum, de qua utraque re Matthaeus loquitur; refert autem purificationem Mariae Hierosolymae et post eam institutum reditum Josephi cum Maria et puero in urbem Nazarethum, dum contra Matthaeus purificationis regressusque Nazarethum historiam praeteriens, scribit, post Magorum discessum, quos Herodes ad Christum invisendum miserat, illos tres (Josephum cum Maria et puero) in Aegyptum aufugisse. Eruditi varias inierunt vias, quois difficultas ista removeatur.

Verosimillima videtur eorum sententia esse, qui dicunt, Magos venisse post purificationem Mariae et quidem non multo post, quam purificatio habita fuit. Stante enim hac sententia commode poterant Magi iter suum e patria Hierosolymam et Bethlehemum conficere; sicut etiam facile potest comprehendi, Mariam, quum illa Magorum munera pretiosa nondum haberet, utpote pauperrimam, non agnum, sed duos pullos turturum aut columbarum obtulisse, quod certe ipsa omnium hominum religiosissima in lege observanda non fecisset, si in possessione munerum illorum fuisset. Utrumque hoc non potest explicari ab iis, qui affirmant, Magos ante purificationem Mariae venisse. Favet porro sententiae illi etiam narrandi ratio Matthaei (2, 1. 13.) et interrogatio Magorum (2, 2.), quae natum non multo ante tempore significat; dein etiam id, quod stante ea puer absque periculo in templo posset offerri, quod, si Magi ante purificationem advenisse dicerentur, fieri non potuit. — Si Magi ab Herode non Nazarethum, sed Bethlehemum ad Christum quaerendum missi fuerint, id nullam habet difficultatem; Herodes enim Magos illuc ire jussit, ubi Christum oriri oportuisse intellexerat a synedrii assessoribus. Christum autem etiam post purificationem Mariae a Magis Bethlehemini reperiri potuisse, potest facile intelligi, si

¹⁾ Schanz.

ponamus, Josephum post purificationem Mariae Nazarethum cum suis remeasse rerum domesticarum componendarum causa (Luc. 2, 39.), idque brevi exsequutum, Bethlehemum migrasse, atque ibi Magos excepisse, indeque in Aegyptum aufugisse. Rem ita credere, suadet fuga in Aegyptum arrepta; nam, si non Bethlehemi, sed Nazarethi a Magis fuisset inventus, Nazaretho in oppositam prorsus plagam, non autem in Aegyptum aufugisset Josephus, ut Christus ab Herode longe abesset; dum contra, si Nazaretho vellet in Aegyptum aufugere, per Hierosolimam aut illam viciniam, aut certe per Herodis ditionem emetiri deberet, quo utique puer summo expositus fuisset periculo. — Sententiae huic obstare videtur ecclesiae mos 13. die post Christi nativitatem celebrandi festum Magorum seu Epiphaniae. Sed huic argumento non magna inest vis; nam ex eo, quod hoc illo die rei alicujus memoriam solemnibus sacris quidam celebrant, minime consequitur, hos pro certo habere, in eum ipsum diem rem olim evenisse. Specimen hujus habemus, quod ecclesia eo ipso die, quo festum Magorum celebrat, simul tum festum baptismi Christi et prodigii ab eo Canae in nuptiis patrati committit, etsi certo constet, haec duo eodem anno, sed non eodem die facta fuisse, quum inter utrumque aliquod temporis spatium intercesserit.¹⁾

V. 2. *Stellam ejus*, stellam nativitatem ejus indicantem. — Stellam hanc fuisse alii (Mald.) putant angelum; alii (Rosenmüller., Patrit.) cometen. Sed praeferenda est sententia eorum, qui s. Ignatium (epist. ad Ephes. c. 19.) sequuti, dicunt, fuisse stellam extraordinariam, a Deo ideo creatam, ut Magos ad Christum duceret, proprias in suo motu sequentem leges. Qui enim cum apostolo Paulo (Col. 1, 16.) credit, universum a Christo creatum, Christumque centrum et finem esse, ad quem cuncta tendunt, haud incredibile ei videri potest, si ortus ejus stella miro modo orta significetur, prouti credit, mirabilia signa in morte ejus et resurrectione.

Quod tempus, quo stella a Magis primo visa fuerit, attinet, diversae hac de re dantur sententiae. Alii (August.)

¹⁾ Patrit. III, 280, 288, Cornely, Schanz, Knabenbauer.

putant, apparuisse stellam eodem die, quo natus est Christus; alii (Chrysost., Theophyl.) exortam dicunt longo tempore ante ortum Christi; alii¹⁾ autem biennio, antequam Christus nasceretur. Sententia ultima praeferenda videtur; Herodes enim, uti Matthaeus dicit, secundum tempus stellae, quae apparuit eis, scil. Magis, nam id sonant verba Matthaei: *secundum tempus, quod exquisierat a Magis*), aetatem puerorum interficiendorum praefinivit; quum autem aetas haec esset bimatus, (i. e. qui alterum aetatis annum nondum excesserunt,) merito concluditur ad stellae aetatem, scil. eam duobus annis ante primo visam fuisse.²⁾

Quaeri potest: Quomodo ex stella hac inspecta Magi didicerint tum ortum Christi (Messiae), tum tempus, quo ortus est, tum regionem, qua eum invenirent?

Maxime verosimile est, etiam in regionibus Magorum famam de immimente adventu Messiae, de rege Judaeorum, percrebuisse, cujus famae apud ceteras etiam gentes, atque in oriente praesertim obtinentis vestigia in historia reperimus, teste Suetonio (vit. Vesp. c. 4.) et Tacito (annal. 5, 13.). Notitiam Messiae venturi accipere poterant vel ex vetustis gentium traditionibus, vel ab Israëlitis, quibuscum commercia habitata sunt in Arabia et Persia, ubi multi habitabant Judaei. Quum ergo stellam, quae fors magnitudine, aut figura, aut luce sua prosus singularis erat, aspexissent, illius famae de adventu Messiae, regis Judaeorum, memores, judicare poterant eum nunc natum esse, et hoc eo magis, quod astrologiae operam navantes putarent, eventus magnos fataque hominum per singulares stellas praenuntiari. Hocce autem minime Deo infertur, ac si ipse errori patrocigaretur; nam sicut Deus malo saepe utitur ad fines bonos promovendos, ita poterat et Magorum errore respectu stellarum uti ad ortum Messiae significandum.³⁾ Quia vero tanta cum fiducia et certitudine ortum regis istius in Judaea exspectarent, utique cum s. Patribus (Chrysost., Aug. et Leone) dicere debemus, Deum, qui stellam istam tanquam symbolum ob eorum oculos ponebat, simul mentem eorum illustrasse, quo

¹⁾ Patrit., Friedlieb, Arnoldi alique.

²⁾ Cf. Patrit. III, 334., Friedlieb p. 75.

³⁾ Patrit. III, 332.

symboli significationem assequerentur; quod etiam eo confirmatur, quod postea legimus, Deum extraordinario modo illos monuisse, ne ad Herodem redirent. — *In oriente*, quum fuisset in terra nostra. Inde recte concluditur, Magos stellam in itinere non habuisse ducem et comitem. Quia de rege agebatur, collegerunt, eum esse quaerendum in urbe principe (Hierosolymae). — *Adorare*. Verbum graecum προσκυνεῖν notat: in genua procidendo alicui cultum exhibere, vel civilem (venerationem Gen. 18, 2; 19, 1.), vel religiosum (adorationem veram), cultum latreuticum, talem venerationem, quae soli Deo competat, ut h. l. (4, 9; 1 Cor. 14, 25.); nam omnino verosimile est, etiam Magos, uti pastores divinitus edoctos fuisse, Christum esse Deum — hominem. Sententia haec etiam eo confirmatur, quod non obstante pueri matrisque paupertate eum adorarint.

V. 3. *Audiens*, quum audisset de Magorum adventu iisque, quae illi nunciarunt. — *Omnis Hierosolyma*, incolae Hieros. — *Turbatus est*, scil. Herodes, qui utpote non Judaeus timebat regni aemulum, idque tanto magis, quia ob crudelitates suas omnibus exosus erat. — *Cum illo*, scil. perterrita est omnis Hierosolyma, seu illi praeprimis, qui ab ejus partibus erant, Herodiani et Sadducaei, qui ethnicam vivendi rationem appetebant, dum illi, qui ardenti desiderio Messiam exspectabant, in stuporem coniecti seu vehementer commoti sunt.

V. 4. *Omnes principes sacerdotum* (ἀρχιερεῖς), summos sacerdotes, seu pontifices. Erat quidem unus Judaeorum summus sacerdos; quum tamen, teste Jos. Flavio, summi sacerdotes non raro ab Herode et proceribus romanis munere suo privarentur, ita tamen, ut titulum suum pristinum retinerent; quum porro capita (seu principes) 24 classium sacerdotalium et sacerdotum primores, summi sacerdotes (ἀρχιερεῖς) etiam vocarentur, facile intelligitur, cur scriptores s. saepius de pluribus summis sacerdotibus loquantur. — *Scribas* (γραμματεῖς), legisperitos, quorum plerique ad sectam pharisaeorum pertinebant. Vox γραμματεὺς, quae proprie designat scribam, i. e. eum, qui scribendi exercet officium, ad exemplum hebr. שֹׁרֵפֶת, etiam notat legisperitum; quare etiam νομικοὶ (Luc. 7, 30; 10, 25.) et νομοδιδάσκαλοι (5, 12.) legis doctores vocantur; unde intelligitur, cur Marcus (12, 28.) eum γραμματέα dicit, quem Matthaeus (22, 35.) νομικόν nominat.

Ceterum summi sacerdotes, legisperiti et seniores (qui erant capita familiarum) erant membra magni synedrii (vid. commentar. in evang. s. Joan. pag. 54). Quum hic agatur de quaestione theologica, et seniores non dicantur congregati, plures putant, solos sacerdotum principes et legis doctores convocatos esse. (Knabenb.) — *Nasceretur* (γενῶται), nascatur, quum scil. adjuncta ejus, qui jam praesens erat, inquirerent, ita ut quod ad sensum idem sit ac: ubi est locus natalis ejus.

V. 5. *At illi dixerunt: In Bethlehem Judae.* Quum convocati ab Herode assessores synedrii magni Bethlehemum tanquam natalem Messiae locum indicassent, hoc documento est, Judaeos locum istum unanimiter de Messia explicasse, quod et contextus apud Michaeam ipsum postulat, cum ad verba ejus additum sit: et egressus ejus ab initio; quae verba certe solummodo Messiae conveniunt. — *Per prophetam*, scil. Michaeam (5, 1). Cf. Joan. 1, 41. 42.

V. 6. Adest hic inter Matthaeum et Michaeam enantio-
phania. Nam loco: Bethlehem, domus Ephrata, uti apud Michaeam in textu hebr. et versione 70 legitur, apud Matthaeum legitur: Bethlehem, terra Juda; et dum apud Matthaeum tanquam Michaeae verba leguntur: »Et tu Bethlehem, nequaquam minima es«, Michaeas dicit: »minima es.« — Difficultas haec simpliciter posset tolli, si cum s. Hieronymo diceremus, verba illa: »sic scriptum est per prophetam«, non esse Matthaei verba, sed sacerdotum et legisperitorum, qui Herodi responderunt, et non ipsum oraculum, sed oraculi paraphrasin protulerunt, qua explanatur, quomodo Bethlehem, etiamsi sit minima respectu civitatum aliarum, tamen posthac non sit futura, quia ex ea prodibit Messias. — Sed etiamsi ipsius Matthaei verba dicantur, tamen non adest vera pugna Matthaeum inter et Michaeam; in forma (in expressione) solum est diversitas, quoad sensum vero adest identitas. Nam verba: terra Juda, quae loco: Ephrata leguntur, inserviunt explicationi; quum terra (γῆ) h. l. idem sit: ac regio, provincia unacum urbe; Juda autem idem ac: e tribu Juda, in qua Ephrata sita erat. Dein si apud Matthaeum Bethlehem dicitur: »nequaquam minima es«, apud Michaeam autem: »minima es«, certo sub respectu utrumque verum est, et ab

utroque s. auctore idem edicatur. Nam sensus verborum apud Michaeam est: quamvis minima es respectu civitatum aliarum (earum amplitudinis, incolarum), ex te tamen prodibit Messias; sensus autem verborum apud Matth. est: non es minima (quoad dignitatem, honorem), nam ex te prodibit Messias.¹⁾ — *In principibus Juda* (ἐν ἡγεμόσιν Ἰουδα). In textu hebr. legitur: בְּאַלְפֵי יְהוּדָה, ἐν χιλιάσιν, uti 70 versio habet, i. e. inter loca (oppida), in quibus familiae mille personarum habitant. Nam אַלְפֵי, χιλιάδες, vocantur familiae mille personarum, dein ipsa loca seu oppida, in quibus familiae illae habitabant, et quibus (oppidis) principes seu praefecti (אַלְפֵי) praeerant. Per ἡγεμόνες apud s. Matth., quod voci hebr. אַלְפֵי respondet, debent intelligi praefecti familiae mille personarum, et per metonymiam continens pro contento, ipsa oppida. Quare verba apud Matth. idem valent ac: inter oppida primaria Judae (quae dicebantur, in quibus mille erant personae), hinc sensus idem ac verborum apud Michaeam. — *Regat*, ποιμανεῖ, quod verbum etiam a classicis scriptoribus de regibus usurpatur. — *Populum meum*. Deus populum Israëliticum dicit populum suum, quia eum prae ceteris gentibus selegerat ad conservandam sui cognitionem et cultum, eumque hunc in finem variis ornaverāt beneficiis.

V. 7. *Clam vocatis Magis*. Herodes clam advocavit Magos et quia jam tunc ad interficiendum puerum pronus, putabat, Judaeos curam pueri gerere (Chrysost.), et quia Judaeis, non voluit videri, ac si rem magni haberet momenti; ideo etiam Magos ad consilium suum assequendum aptissimos putans, Bethlehemum misit ad puerum quaerendum. — *Diligenter didicit* (ἡκριβώς), studiose percontatus est. — *Tempus stellae, quae apparuit*, τοῦ φαινομένου ἀστέρος, i. e. tempus, ex quo fulgeat (luceat), ut scil. ex notitia tum loci, tum temporis puerum deprehenderet. Videtur Herodes supponere, tum etiam continuo in coelo lucere. Voluit exinde ad aetatem pueri concludere, ut eo certius eum perderet.

V. 8. 9. *Misit, dimisit*. — *In oriente*; inde patet, eos stellam durante itinere non vidisse. — *Antecedebat eos, praecurrit et*

¹⁾ Cf. Mald., a Lap.

praevenit eos, ita ut, cum Bethlehemi ad domum, in qua puer erat, pervenissent, eam super domum commorantem viderent.¹⁾ — *Supra*, scil. domum coll. v. 11., ne in ipso loco operose inquirere et rem omnibus propalare cogerentur (Jans.).

V. 10. *Videntes stellam, gavisii sunt gaudio magno*, vehementer gavisii sunt (χαίρειν χαρὰν elegantia attica), et quidem ideo, quia opinionem de ortu Messiae, quam primo stellae aspectu conceperant, confirmatam viderant, tum verbis Herodis locum Messiae natalem indicantibus, tum repetita stellae apparitione.

V. 11. *Domum*, illam nimirum, super qua stella constiterat, et quam mox post Christi nativitatem Iosephus cum Maria et puero ingressus erat.²⁾ — *Thesaurus* vascula, instrumenta (in quibus munera et res pretiosae solent reponi). — *Munera*; secuti sunt morem orientalem, reges non adeundi sine donis. — *Thus* (λίβανος, quae vox tum arborem, tum fructum ejus, thus designat). — *Myrrham* (Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 39.). Juxta s. Patres dona haec oblata sunt Christo: aurum, quia rex erat, cui tributum pendendum est; thus, quia Deus erat, qui adorandus est, et myrrha, quia verus erat homo pro nobis moriturus, cujus corpus dein condiendum erat.

V. 12. *Et responso accepto* (χρηματισθέντες), i. e. divinitus admoniti. Nam verbum χρηματίζειν, quod omnino notat: rem aliquam tractare, decernere, inprimis etiam adhibetur apud graecos scriptores de diis, qui respondent oracula petentibus, qui homines admonent. Etiam in N. T. adhibetur de nutu, monito divino, quod alicui (praecipue in somnio) contingit, ut h. l. Imo etiamsi h. l. ipsa Vulgatae versio retineatur, nulla adest difficultas inde orta, quia nulla praecesserat interrogatio Magorum; nam, uti s. Thomas ait, Dominus respondet aliquando etiam interrogationi mentali (precibus ad eum fuis). — *Alia via*, tali scil., quali evitabant Hierosolymam et Herodem.

2. Fuga in Aegyptum (13 — 15.).

V. 13. *Quum recessissent*, scil. Bethlehemo. — *Apparuit*, Bethlehemi. Narrationi Matthaei non obstant verba Lucae (2. 39.), qui dicit, Mariam et Iosephum post purificationem (oblationem

¹⁾ Cf. Knabenbauer.

²⁾ Cf. Patrit. III, 340.

pueri) Nazarethum in Galilaea profectos esse. Vid. dicta 2, 1. — *In Aegyptum*. Aegyptus enim fuit Bethlehemo provincia proxima aliena, extra dominium Herodis sita, ita ut illam intra paucos dies (8 aut 10) attingere possent. Traditio nominat Mataram prope Memphin vel Leontopolim ut locum, in quo s. familia habitabat. In hac fuga praefiguratur transitus evangelii et regni Dei ad gentes (Thom.). — *Et matrem ejus*. Dum s. Matth. scribit: matrem ejus, et non: uxorem tuam, vel hoc ipso subtilius indicat, Josephum non esse naturalem patrem Jesu. — *Esto ibi*, ibi commorare. — *Usque dum dicam tibi*, donec nova mandata tibi dabo. — *Futurum est, ut quaerat*, quaeret, (nam μέλλει cum inf. praes. exprimit futurum). — *Ad perdendum eum*, ut puerum interficiat.

V. 14. Nocte, verosimiliter eadem, qua oraculum acceperat.

V. 15. *Usque ad obitum Herodis*, usque ad initium Aprilis a. 750. U. C., quo anno Herodes mortuus est.¹⁾ — *Per prophetam*, Hoseam (11, 1.) — *Ex Aegypto vocavi filium meum*. Oraculum istud Hoseae nominatim dictum erat de populo Israëlitico ex Aegypto vocato, qui (populus) ob magnum Dei erga illum amorem improprie filius Dei dicebatur. Quum autem hic populus typus esset Christi (quatenus fata ejus praefigurerent fata Messiae), absque dubio sub imagine populi Israëlitici, Dei filii improprio sensu dicti, etiam de altero filio, sensu proprio ita dicto, de Christo, sermo esse potest; seu in vaticinio Hoseae praeter populi Israëlitici vocationem ex Aegypto, etiam Christi vocatio ex Aegypto praedicta dici potest. Quo supposito sensus est: Christus debebat in Aegypto habitare et ex Aegypto revocari, ut verbum Dei per prophetam Hoseam dictum perfecte impleretur (cf. 1, 22.). Populus Israël autem potest facile ceu typus Messiae considerari; uterque enim erat filius Dei, uterque in terra Chanaan natus, uterque ex divino decreto debebat in Aegypto degere; et quidem prior, ut alterius introitum in genus humanum possibilem redderet, alter, ut ad priorem salvandum in vita servaretur; et tandem uterque a Deo tempore definito vocatus est.²⁾

¹⁾ Cf. Wieseler, Chronolog. Synopse S. 50.

²⁾ Cf. Arnoldi, Schegg.

3. Infanticidium Bethlehemiticum (16—18.).

V. 16. *Tunc*, quum scil. Josephus aufugisset et a Magorum itinere in oppidum Bethlehem tantum temporis effluxisset, ut de eorum in urbem Hierosolymam reditu non amplius cogitari posset. — *Illusus esset*, uti opinabatur. — *Occidit*, per satellites quos ablegavit. — *Et in omnibus finibus ejus*, i. e. in toto ejus territorio, quod ad oppidum pertinebat. — *A bimatu et infra* (ἀπὸ διετούς καὶ κατωτέρω), i. e. a bienni (puerulo) vel a bimulo, et qui minores erant duobus annis.¹⁾ — *Secundum tempus*, scil. stellae, quando primo ab eis visa esset. Stellam autem apparuisse simul cum nato puerulo, plerique interpretes, s. Augustinum secuti, affirmant.²⁾ Prosus arbitrarium est, quod alii (Patrit.) affirmant, stellam duobus annis vel 18 mensibus ante Christum natum apparuisse. Ex tempore stellae colligit Herodes aetatem pueri, sed cautionis et securitatis causa, ut illum unum interficeret, tempus a Magis exquisitum aliquatenus extendit. — Hujus caedis Bethlehemiticae nullam quidem mentionem facit Jos. Flavius. Ast hic scriptor alias etiam res silentio praetermittit, quarum tamen veritas nequitquam in dubium vocari potest, et quae ei haud ignotae esse poterant. Praeterea etiam adsunt causae, quare Jos. Flavius hanc rem omiserit. Quum enim, uti generatim scriptores judaici, vitat, ne multum de Christo loquatur, etiam hanc rem, quae ad Messiam spectabat, silentio poterat praetermittere. Dein Bethlehem erat oppidum parvum, in quo et in cujus confiniis non adeo multi homines habitabant, quare etiam numerus puerorum interfectorum ob incolarum paucitatem (fors 1000) non poterat magnus esse (12—15). Habuit vero Jos. Flavius ad ostendendam Herodis crudelitatem alia loculentiora ejusdem documenta, quae proferre poterat; nam filios, uxores, cognatos et amicos sustulit. Attamen, si de hac re Jos. Flavius silet, eam commemorat Macrobius, scriptor gentilis, saec. 4. (Saturnal. II, 4). Cf. a Lap.

V. 17. et 18. *Tunc*, in infanticidio. — *Adimpletum est*, plenius factum est. — *Per Jeremiam dicentem* (scil. 31, 15.). — *Vox*, nimirum ploratus et ululatus magni. — *In Rama*. Vox

¹⁾ Arnoldi, Schegg, Schanz, Pölzl, Knabenbauer.

²⁾ Mald., Jans., a Lap., Pölzl, Knabenbauer.

Rama non est nomen appellativum (in excelso), sed nomen proprium urbis, sitae in tribu Benjamin ad septentrionalem plagam, 40 stadia, i. e. duas horas ab Hierosolyma remotae. — *Ploratus et ululatus* (κλαυθμός καὶ οὐρυμός πολύς) sunt vocabula idem valentia, cumulata ad exprimendam luctus magnitudinem, — *Plorans*, scil. audita est. — *Rachel*, uxor Jacobi, erat mater Josephi et Benjamin et proin parens et mater tribus Benjaminiticæ. In hoc Jeremiae loco, quem s. Matthæus secundum sensum fideliter citat, loquitur propheta sensu litterali de Judæorum abductione in captivitatem babilonicam per Nabuchodonosorem, qua captivitate populus Israël, foedere Dei violato, e terra Dei ejectus inter gentes, desiit esse populus Dei, populus electionis. Quum in Rama Judæi, qui in captivitatem abducebantur, congregati sint (Jerem. 40, 1.), propheta exhibet Rachel (jam diu mortuam) lamentantem tristem sortem populi sui. Ob aliquam rerum et conditionum similitudinem s. Matthæus dolorem illum in Rama olim editum de ruina populi Israël, ut typum considerat illius calamitatis,¹ quæ exstitit in infanticidio Bethlehemitico, quum Messias a suo populo ad necem quaesitus (2, 3.), e sua terra fugere debuit, et ita repudiato Messia populus sibi ruinam extremam et exitium comparavit. Quare, si Rachel, cujus sepulchrum, uti jam veteres¹) notant, et recentiores (Guérin) confirmant, prope Bethlehem est (Gen. 35, 19.), ploravit priorem illam populi ruinam (tempore abductionis in captivitatem), multo magis plorare debet hanc, quæ est illius ruinae fastigium ac culmen. Hinc merito dici potest, dolorem et ploratum Rachel, in quo exprimitur ploratus matrum Bethlehemiticarum, in Rama continuari et augeri, cum Messias fugere debeat; populi miseriam in ruina priore inceptam absolvi et ad fastigium perducere, Messia rejecto, cujus exitii initium cernitur in infanticidio et ululatu matrum.²) — Cum dicatur: vox in Rama audita est, indicatur, oraculum non sensu litterali de ejulatu Bethlehemitico proferri, quia clamor in Bethlehem sublatus nullo pacto poterat pervenire usque Rama.

¹) Euthym., Theoph., Hier., Beda, Thom., Jans.

²) Cf. Schanz, Knabenbauer.

4. Reditus in Judaeam (v. 19 — 23.)

V. 19. *Defuncto*. Mortuus est anno aetatis septuagesimo, morbo horribili, quem Josephus Flavius (Antiquit. XVII, 6, 5.) describit.

V. 20. *In terram Israël*, in Palaestinam, in regionem populo Dei assignatam. — *Qui quaerebant animam pueri*, qui vitae pueri insidias struebant. Nam: quaerere animam (ζητεῖν τὴν ψυχὴν) ex hebraismo notissimo dictum est pro: vitae alicujus insidiari, insidias struere; quum ψυχή, quae vox proprie denotat animam, sensu latiori significet vitam (physicam). — *Defuncti sunt*. Verba haec sunt in plurali posita, etiamsi solus Herodes insidias struxerit vitae Christi, vel ex ea loquendi ratione vulgari, qua in plurali sermo fieri solet de aliquo, si simul illi subintelliguntur, qui ipso jubente vel movente aliquid susceperunt. Sic multi insidiati sunt vitae Jesu (coll. 2, 3.), jubente uno Herode; quare etiam uno Herode mortuo, quasi omnes mortui sunt, quatenus destiterunt Christi vitae insidiari.¹⁾ Vel autem ideo adest numerus pluralis, quia verba haec desumpta sunt ex libro Exod. (4, 19.), quibus Deus jussit Mosen, qui typus erat Christi, fugientem a rege et in aliena regione habitantem ex illa reverti in Aegyptum. (Gratz).

V. 21. *Consurgens accepit*, non statim, post mortem Herodis, quia v. 22. Archelaus dicitur regnare in Judaea.²⁾

V. 22. *Archelaus*. Post mortem Herodis M. regnum inter tres ejus filios sic est divisum ab Augusto imperatore, ut Archelao, cujus hic mentio fit, Judaea, Idumaea et Samaria cum ethnarchae titulo; Herodi Antipae Galilaea et Peraea; Philippo Batanea, Trachonitis et Auranitis cum tetrarcharum nomine cederet. — *Regnaret*. Quum Archelaus non esset rex, verbum regnare (βασιλεύειν) h. l. sensu latiori sumendum est, quo notat: imperare, gubernare generatim. — *Pro Herode*, vice Herodis. — *Timuit*; eodem enim tempore Archelaus 3000 hominum tumultus causa occidi jussit. — *Illo* (ἐκεῖ = ἐκεῖσε), illuc, i. e. Bethlehemum. — *Admonitus* (χρηματισθεὶς); cf. v. 12. — *In partes Galilaeae*, in regiones Galilaeae, seu in Galilaeam; in ea

¹⁾ Fritschius, Wiener, Knabenbauer.

²⁾ Knabenbauer.

enim situm erat oppidum Nazareth (cf. 15, 21 ; 16, 13.). Josephus in Galilaeam se convertit, quia Herodes Antipas, Galilaeae tetrarcha, multo mitiori fuit ingenio, quam Archelaus.

V. 23. *Et veniens habitavit in civitate*, i. e. et, postquam Nazarethum venerat, ibi habitavit (εἰς enim dependet ab ἐλθόν). — *Nazareth*. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 1, 46. — *Quoniam Nazaraeus vocabitur* (ὅτι Ναζωραῖος) Quum dictum, quod h. l. tanquam apud prophetas exstans citatur, nullibi in V. T. apertis verbis iisdem legatur, variae hac de re dantur sententiae. Nonnulli (Ambros.) dicunt, Jesum vocari Nazaraeum a Judaeis ideo, quia נָצִיר, Nasiraeus fuerit. Sed tum graece scribi deberet Ναζιραῖος; dein hebraicum nomen Nazarethi scribitur litera נ, non autem נ; et tandem Christus Nasiraeorum instituta non sequebatur. Alii (Rosenmüll., Kuin.) dicunt, eum ita vocari ideo, quia Nazarethi educatus, qua Nazarenus contemnebatur, et ita eventum habebant, quae prophetae de vili et contempta ipsius sorte praedixerunt. Explicationi huic, quae innititur loco Joannis (1, 47.) male intellecto, obstant ipsa Matthaei verba, qui dicit, Jesum accepisse nomen per prophetas praenunciatum, non autem, eum (Jesum) eo factum esse hominem coram mundo contemptum. Optima est explicatio eorum, qui vocem Ναζωραῖος derivant a נֶצֶר surculus, virgultum, uti apud Jesaiam (11, 1.) Messias nominatur; ita ut sensus sit: Divina dispositione factum est, ut Josephus, quum in Judaeam ire, ibique habitare vellet, mutata mente sua, Nazarethi domicilium sibi eligeret, ut imple-retur oraculum Jesaiae, qui vaticinatus est de Messia sub imagine surculi, floris (Vulg.) Evangelista poterat scribere in plurali: per prophetas, etiamsi apud unicum Jesaiam nomen נֶצֶר legatur, quia ob oculos ei versabatur nomen synonymum צִמְחָא apud Zachariam (3, 8; 6, 12.) et Jeremiam (23, 5; 33, 15.).¹⁾

¹⁾ Cf. Knabenbauer.

Caput III.

1. Joannis Bapt. praedicatio et baptismus (v. 1—12.).

(Marc. 1, 1—8. Luc. 3, 1—17.)

Transit hic s. Matthaeus ab illo tempore, quo Joseph ex Aegypto redux Nazarethi sedem fixerat, praetermisso plurium annorum spatio, statim ad Joannem Bapt., producens eum tanquam praecursorem Messiae et praeconem regni futuri.

V. 1. *In diebus illis.* Ut definiatur tempus, quotiescumque formula: in diebus — adhibetur, adponi solet vel nomen viri alicujus noti (v. c. Herodis 2, 1.), vel adponitur pronomen, quod respicit ad aliquid praegressum, et hoc modo ad temporis determinationem aliquatenus adfert (v. c. illis). Ita et h. l.; quibus verbis s. Matthaeus respicit ad v. 23. capitis antecedentis, ubi Joseph (unacum puero) venisse et habitasse Nazarethi dicitur; hinc sensus est: eo tempore, quo, postquam Joseph cum Christo Nazarethum venerat, Christus Nazarethi adhuc habitabat, prodiit Joannes Bapt. (scil. 30 annos natus), et quidem, uti Lucas scribit (3, 1.) 15. anno imperii Tiberii Caesaris (a. 780. U. C.). — *Venit* (παράγινεται praes. histor.), prodiit seu doctor publice exstitit. — *Baptista* vocatur Joannes vel ideo, quia et homines et ipsum Jesum baptizavit; vel etiam ideo, quia officium a Deo assignatum praecipue in eo constitit, ut ritu baptismatis sacramentum baptismi (in ecclesia quondam) per imaginem (symbolico - typice) exprimeret. Ceterum erat Christi cognatus, sex mensibus ante eum natus (Luc. c. 1.). — *In deserto Judaeae.* Desertum hoc ab urbe Thecoa usque ad mare mortuum extensum, nullis quidem frequentatum erat vicis, pascuis tamen abundabat. Joannes juvenis in hac solitudine jam commoratus fuisse dicitur (Luc. 1, 80.).

V. 2. *Poenitentiam agite.* Graece μετανοείτε, a μετανοέω (compos. ex μετά, quod inversionem notat et νοέω, deducto a νοῦς mens) mentem muto, scil. in melius, nimirum Deum, a quo per peccata aversus fui, iterum amando, qua re ostendit homo dolorem de peccatis commissis et consilium in posterum non

amplius peccandi, sed pie vivendi (cf. 11, 21.). — *Appropinquavit*, prope jam adest. — *Regnum coelorum*. Vid. commentar. in evang. s. Joan. p. 89. Joannes h. l. formulam istam generatim adhibet de regno Christi (Messiae) brevi introducendo; dum autem dicit: poenitentiam agite, conditionem indicat, quae servanda sit illis, qui regni hujus participes fieri vellent, et sic indirecte opinionem de terreno Messiae regno refutat, naturam hujus regni spiritualis subindicans.

V. 3. *Hic est enim, qui dictus est per Jesaiam*. Sunt verba Matthaei, qui docere vult, cur, quo jure Joannes ad poenitentiam evocarit Judaeos, praeparaturus eosdem ad Messia-adventum. Particula enim (γάρ) indicat causam. — *Vox clamantis*, scil. auditur. Vid. reliqua in commentar. in evangelium s. Joan. 1, 23.

V. 4. Nunc paucis delineat evangelista Joannis Bapt. vendi rationem. — *Zonam pelliceam*. Zona seu cingulo opus habebant orientales ad vestem suam longiorem succine gendam. — *Vestimentum de pilis camelorum*. Ejusmodi vestimentis etiamnum uti solent homines in oriente. — *Circa lumbos suos* (ἄρῳν singularis pro plurali). — *Locustae*. Locustas olim quibusdam nationibus (Plin. hist. nat. 6, 30.) et Judaeis (Lev. 11, 22.) cibo inservisse, nec hodie in orientalibus regionibus a tenuioris fortunae hominibus pro victu sperni, satis constat. — *Mel silvestre*. Alii: mel ab apibus in silvis viventibus confectum et in cavis arboribus, rupium fissuris et ipso solo repositum. Alii vero per mel silvestre intelligunt succum quemdam dulcem, meli sapore similem, qui in terris orientalibus e quibusdam arboribus profluit et ab hominibus pauperibus pro cibo quaeri solet. Altera expositio praeferenda est ob testes antiquos (Diodor. et Suidam), et quia severo morum censori Joanni succus ille ex arboribus profluens magis convenire videtur, quam mel apiarium, quod est cibus laudatissimus et delicatissimus (Berl.). Sensus v. 4. est: Victu et vestitu vili usus est Joannes, seu: egit vitam austeram.

V. 5. *Tunc exibat ad eum Hierosolyma et omnis Judaea*, i. e. cives ex urbe Hierosolyma et incolae plurimi Judaeae (non omnes, est hyperbolice dictum cf. 2, 3.). — *Et omnis regio circa Jordanem*, et plurimi e regione Jordani adjacenti seu e regione,

quae utramque Jordanis ripam tangit (e Gaulonitide, Peraea, Galilaea et Samaria). Confluxus hic hominum partim inde potest intelligi, quia tam magnus propheta prodiit, et quia Israëlitae de proximo Messiae adventu certiores facti sunt.

V. 6. *Baptizabantur in Jordane*, patiebantur baptizari per immersionem, qua re obstringebantur ad poenitentiam et vitae sanctitatem. Reliqua vid. in comment. in evang. s. Joannis 1, 28. pag. 60. — *Confitentes*, ἐξομολογούμενοι, i. e. ingenue, quasi ex pectore profitentes, nimirum singillatim exponendo peccata sua, uti jam antiqui Patres et scriptores docent.¹⁾ Specialis peccatorum confessio etiam in judaismo (in victimis offerendis) erat in usu.²⁾

V. 7. *Videns autem multos Pharisaeorum et Sadducaeorum*. — De Pharisaeis vid. comment. in evang. s. Joan. pag. 57. — Sadducaeii (prorsus oppositi Pharisaeis) juxta Epiphanium nomen traxerunt a צדיק justus, uti se ipsos, scil. justos, probos, nominare solebant; juxta doctores Judaicos nomen derivatur a Sadoco, Antiochi Sochaei discipulo (saec. 3. ante Christum), quem hanc sectam condidisse ferunt. Hi rejectis omnibus traditionibus solam Mosis legem admiserunt, ita tamen, ut et reliquos V. F. libros venerarentur; angelos et Satanam, animae immortalitatem et corporis resurrectionem negabant (cf. 22, 23.), fato rejecto omnia arbitrio hominis subiciebant. Huic sectae addicti erant principes, nobiles et opulenti, et quidem tum ob hanc eorum doctrinam, tum propter mores lascivos. — *Ad baptismum suum*, i. e. eo consilio, ut ab eo baptizarentur. Huic non obstat, quod juxta Lucam (7, 30.) baptismum non subierint; nam in suo ad Joannem adventu poterant ubivis pietatem simulantes, consilium habere, baptismum subeundi; quum autem sermone isto severo Joannes eos aggressus esset, illi maximam partem renuerunt ab illo tingi. — *Progenies viperarum*, homines pessimi. Vipera, serpens veneni nocentissimi, est imago hominis perniciosi et maxime impii (Hieron.) — *Quis demonstravit vobis fugere*, dictum pro: nemo poterat vobis demonstrare, persuadere, vos posse effugere, seu: impossibile est effugitu. — *Fugere*,

¹⁾ Cf. Patrit. III, 470.

²⁾ Cf. a Lap., Calm.

praegnanter dictum pro: fugere et effugere. — *A ventura ira*, i. e. illam Dei iram, quam vertet in impios, quum de eorum sceleribus iudicium facturus, eos poenis sempiternis subiciet seu: effugere ultionem et vindictam Dei peccatoribus imminentem.¹⁾ — *Ventura*, imminenti, scil. in iudicio.

V. 8. *Conclusio ex praegressis*: quis demonstravit, ita ut sensus sit: Quum ergo non ita, ut putatis, salvari (iram Dei vobis imminentem averruncare) possitis, edite opera, quae poenitentiae respondent, seu quae testantur de vestra poenitentia. Fructum facere ab arboribus desumpta similitudo pro: opera edere; et fructus dignus poenitentiae est fructus poenitentiae respondens, seu qui testatur de facta poenitentia.

V. 9. *Et ne velitis dicere intra vos*, et ne videamini (eo nimirum, quod nil boni facitis) apud vos cogitare. — *Dicere intra vos* ex hebraismo idem ac: apud vos cogitare. — *Patrem habemus Abraham*, i. e. nos non posse excidere salute Messiana, quia patri nostro Abrahamo et in eo posteritati ejus promissa est. Putabant nimirum Judaei ob suam de Abrahamo originem, se, ejus posteros, unice Deo probari atque gentilibus seclusis ad bona regni Messiani percipienda unice destinatos esse; imo in sua vanitate somniabant, nullum Abrahami posterum, etiamsi improbus esset, contra vero omnes gentiles in gehennam detrusum iri. »Futuro aevo sedet Abrahamus juxta portas gehennae, nec permittit ullum circumcicum eo descendere.«²⁾ — *Quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae*. Verbis his refellit Joannes vanitatem istius erroneae Judaeorum opinionis, iisque vult dicere: Affirmo vobis, tantam esse Dei potentiam, ut facile possit, vobis Judaeis prorsus rejectis, vel ex his in Jordanis ripa ubique projectis lapidibus, alios suscitare homines, qui vestri loco bonorum, Abrahamo promissorum, tanquam filii ejus et haeredes participes fiant (quia nimirum in beneficiis Messianis largiendis non est constrictus carnali ab Abrahamo origine). Sic ergo Joannes Bapt. h. l. idem docet, quod s. Paulus (Rom. 4, 11; 9, 6. Gal. 3, 6. 7.) nimirum non carnalem ab Abrahamo originem esse veram, ad quam pro-

¹⁾ Cf. Patrit. III, 460.

²⁾ Bereschit R. 18, 7.

missio divina pertineat, sed spiritualem, i. e. illos homines, qui sunt imitatores fidei Abrahami, fore participes salutis Messianae. — Istis digito monstrans lapides huc illuc in Jordanis ripa jacentes. Plerique antiqui interpretes putant, verbis his alludi ad vocationem gentilium.

V. 10. *Jam securis ad radicem arborum posita est*, inevitabiliter, nisi poenitentiae fructum geratis, divina in vos Judaeos ultio imminet; nam Messia jam nato adest tempus, quando discretio proborum et malorum facienda est. Comparantur Judaei arboribus, ad quarum radices securis jam posita est. — *Ergo*, quia nimirum securis jam admota est. — *Excidetur et in ignem mittetur*; utrumque est tropica designatio excisionis et punitionis in gehenna. Tempora praesentia (quae in textu graeco leguntur), indicant illud certo et brevi futurum esse. Sensus verborum: omnis ergo arbor etc., est: Sicut omnis arbor, quae non facit fructum bonum, exciditur et in ignem mittitur, ita et in vos (Judaeos), nisi poenitentiae fructum geratis, certo et brevi divina ultio imminet, exitium vestrum erit (Calm.).

V. 11. S. Matthaeus haec Joannis verba immediate jungit praecedentibus, omissa observatione illa, quam s. Lucas (3, 15.) verbis hisce praemittit, et qua docet, Joannem ad hoc dicendum eo permotum fuisse, quod omnis populi turba eum Messiam esse existimaret. Inde ergo noster locus lucem capit, quum occasio hujus dicti inde innotescit (a Lap.) — Alii nexum ex v. 10. petentes, hunc sensum statuunt: non penes me est, discernere, quis in regnum Messianum suscipiatur (Schanz); vel: non ego illud judicium in v. 10. expressum exercebo (Pözl.) — *Baptizo in aqua*, aqua, seu aquae immergo. — *In poenitentiam* (εἰς μετάνοιαν), eo fine, ut ad poenitentiam vos obstringam, seu ut poenitentiam agatis. — *Qui autem post me venturus est*. Post me, respectu temporis activitatis publicae. Venturus; graece ἐρχόμενος praesens, qui venit, qui adventat, qui jam imminet. — *Fortior est*, superat me potentia, quum nimirum non solum aquae immergit. — *Cujus non sum dignus, calceamenta portare; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (ἐν πνεύματι καὶ ἁγνῇ). Videsis commentar. in evang. s. Joann. 1, 26. 27. — Nexus et sensus v. 11. est: Discretionem istam facere poenamque irrogare, non est meum, quum tantum aquae immergo, eo fine, ut ad poenitentiam ob-

stringam, sed potentioris (Messiae), qui certo, moxque post me veniet, ipse largiter ornabit etc.

V. 12. Nunc clare docet, Messiam discretionem (discussionem) hominum suscepturum esse. — *Cujus* (οῦ) pro: et hujus (καὶ τούτου) ob nexum cum praegressis. — *Cujus ventilabrum in manu sua*, qui ventilabrum suum in manu sua habet. — *Permundabit* (διακαθαρίσει), prorsus, penitus purgabit (nam διὰ vim simplicis verbi auget). — *Aream*. Per aream — debet intelligi primo populus Israël, dein universa terra, hominum genus (continens positum pro contento), quod Messias continuo purgat purgabitque usque ad finem mundi, quatenus rite dispositos et dignos (qui in eum ut Messiam credunt) in regnum suum, in ecclesiam et tandem in ipsum coelum recipit; per triticum intelligendi sunt boni, i. e. qui in Messiam credunt, per paleas vero increduli, per horreum (ἀποθήκην h. l. granarium) intelligenda est ecclesia et tandem ipsum coelum, per ignem inexstinguibilem poenae in gehenna aeternae. Similis allegoria legitur apud Jerem. 15, 7.

2. Christus a Joanne baptizatus (v. 13—17.).

V. 13. *Tunc*, quum Joannes praedicaret. — *A Galilaea*, et quidem Nazaretho, ubi (coll. 2, 23.) habitavit. — *Ut baptizaretur*, eo fine, ut baptizaretur a Joanne. Petiit autem baptismum Jesus, non ideo, ut poenitentiae documenta daret, hac enim ut peccati expers, non indigebat, ideoque nec isto baptismo, qui symbolum erat purificationis; sed ideo, ut officii et muneris sui partibus rite satisfaceret. Christus enim docente Paulo (Gal. 4, 4.) natus ex muliere, natus est sub lege, i. e. legi subjectus factus est; hinc etiam omnibus illis se submittere debebat, quae Deus praescripsit respectu eorum, qui sub lege erant (Hieron.)¹⁾; idque eo magis, quia Christus in omnibus, peccato excepto, voluit fratribus assimilari, et imprimis, ut ipsa susceptione baptismi declaret, se in se suscipere peccata aliorum et se sistere Patri tanquam portantem et luentem peccata populi.²⁾

¹⁾ Cf. Kurtz, Lehrbuch der heil. Geschichte. §. 124. 4. Aufl.

²⁾ Cf. Knabenbauer.

V. 14. *Joannes prohibebat eum*, arcebat, seu baptizare renuebat. — *Ego a te debeo baptizari*, si alter nostrum omnino baptizandus est, ego potius a te, ut dignissimo, baptismum petere debeo. — Haec verba Joannis ostendunt, non prorsus incognitum ei fuisse Jesum illiusque praestantissimum characterem imo et Messianam ejus dignitatem. Neque tamen haec repugnant verbis ejusdem Baptistae apud evangelistam Joannem (1, 31.), ubi dicit: *Et ego nesciebam eum*. Vid. commentar. in evang. s. Joann. pag. 63.

V. 15. *Sine modo*. permitte nunc, me a te baptizari. — *Sic enim*, ut nimirum ego (Messias) baptismum subeam, et tu illum administres. — *Decet nos*, convenit utrique. — *Implere omnem justitiam*, implere officii nostri partes, seu perficere, quod Deus a nobis fieri vult, seu divinae voluntati satisfacere. Id δικαιούνη h. l. notat. — *Tunc*, postquam a Christo, cur baptismum vellet subire, edoctus est. — *Dimisit* (ἀπέστειν); rectius: permisit, admisit.

V. 16. *Confestim*; vox haec jungi debet cum verbo: ascendit. — *Aperti sunt ei coeli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam*. — Ei (αὐτῷ), nimirum Jesu (dativus commodi), hoc sensu: sua gratia; nam propter Jesum, in quem Spiritus sanctus descendere debuit, aperti sunt coeli, ut ita adstantibus manifestum fieret, ipsum esse in nexu cum coelo. — Reliqua vid. comment. in evang. s. Joann. 1, 32. — *Et venientem super se*. Graece: ἐπ' αὐτόν super eum (Jesum); nam pronomen αὐτόν non ex subjecti mente, sed ex Matthaei rem narrantis animo dictum est (Win. 137.); hinc ἐπ' αὐτόν et: vidit ad Jesum, qui praecedentis sententiae subjectum est, referri debet, quin tamen negetur, etiam Joannem praesentem vidisse et audivisse ea, quae evenerant; quo posito locus Joannis (1, 32.), ubi Baptista dicit: et ego vidi, minime cum nostro pugnat. Ob locum Lucae (3, 21.) praestantissimi interpretes putant, etiam reliquos adstantes manifestationem divinitus factam percipisse sensibus.

V. 17. *Vox*; h. l. non de tonitru (Kuin.), sed ex mente evangelistae de voce articulata, coelitus emissa, cogitandum est; nam in sequentibus statim afferuntur verba, quae vox illa edidit. Ipsa verba, quae proferuntur, desumpta sunt ex loco

prophético Jesaiae (42, 1-7.) — *Hic est* (οὗτός ἐστιν); apud Marcum (1, 11.) et Lucam (3, 22.) legitur: tu es (σὺ εἶ); posterius verosimiliter effatus est Deus. — *Filius meus* (ὁ υἱός μου), Filius meus unicus, naturalis, mihi consubstantialis (ita Patres et antiqui interpretes.) — *Dilectus* (ὁ ἀγαπητός), unice dilectus, per quem ceteri diliguntur (a Lap.) — *In quo mihi complacui* (ἐν ᾧ εὐδόκησα), totus, qui tantum habet de bonitate, quantum ego, Pater (Thom.). Verbis his Jesus declaratus est Messias, vaticiniis promissus (Jes. 42, 1. Ps. 2, 2.). Complacuit sibi Pater ante mundum conditum, seu ab aeterno. Vid. Joan. 17, 24. — Constructio graeca: εὐδοκεῖν ἐν τινι vel εἰς τινα (12, 18.) est hebraistica. Ex dictis simul patet, inanem esse eorum sententiam, quae de descensu columbae et de voce coelitus facta leguntur, Joanni Bapt. contigisse in visione interna. Evangelistae enim, dum etiam Jesum tanquam videntem sistunt, rem omnem ut eventum externum repraesentant.

Caput IV.

Christi tentatio (v. 1 — 11.).

(Marc. 1, 12. 13. Luc. 4, 1-13.)

V. 1. *Tunc*, post baptismum et quidem, ut Marcus refert (1, 12.) statim. — *Ductus est*, e loco scil. inferiori, seu ripa Jordanis in desertum altius situm. — *In desertum*, tanquam locum tentationi commodissimum ac destitutum humano subsidio (eratque cum bestiis, scribit Marcus) quo machinae tentationum dissipentur (Jans.) — Fuit autem desertum Quarantana, (apud Arabes Dschebel Kuruntel) quod a primis christianis nomine hoc ideo compellatum est, quia ex traditione noverant. Christum in ipso per 40 dies jejunasse atque tentatum fuisse. Est valde horridum et incultum, quod congruit descriptioni ejus apud Marcum (1, 13.) occurrenti. Situm est inter Jerichuntem et montem olivarum et ab Hierosolyma tribus milliaribus fere distat. — *A Spiritu*, scil. sancto movente atque agente. Ob articulum in graeco et praecedentia atque locum parallelum

Lucae (4, 1.) est intelligendus Spiritus sanctus. Spiritus nimirum humanus Jesu secutus est ducem Spiritum divinum Jesu, qui natura idem unus est cum Spiritu sancto (Franc. Lucas). — *Ut tentaretur*, eo fine, ut tentatione Satanae probaretur, se a lege divina non recedere. Cur autem id Spiritus s. voluerit, causa ejus sita erat in singulari Christi destinatione. Quum nimirum primus Adamus, primus parens generis humani, tentatus lapsus esset, a Deo defecisset, oportebat Christum; alterum Adamum, alterum generis humani parentem, tentatione superata Deo fideliter semper adhaerere, ut sic primi hominis peccatum in solitudine patratum corrigeret (Calm.). Tentatus est porro Christus, ut nobis diabolus vinceret nobisque ostenderet, illum posse vinci et quomodo id fiat (Thom.). Voluit tentari, ut nullus se aestimet securum et immunem a tentatione. Voluit tandem tentari, nostra mala, nostrasque aerumnas periclitari, ut docente s. Paulo (Hebr. 4, 15.) misereri nosset eorum, qui sese hisce obnoxios gemunt (Calm.). Verbum *πειράζειν*, notat primo: periculum facere rei, num apta sit; dein explorare, examinare vel bono, vel malo consilio; tandem insidias struere alicui, et speciatim: ad peccandum incitare, sollicitare, ut h. l. (Jac. 1, 10.) — *Diabolus*. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 6, 71.

V. 2. *Quum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus*, quum 40 diebus et noctibus nil plane comedit, uti locus parallelus Lucae (4, 2.) docet: nihil manducavit; quod etiam addita vox: tandem confirmat, indicans, post jejunium 40 dierum Christum tandem esuriisse. Cum numerus quadragenarius multis Dei operibus celebris sit, Christus tot diebus jejunans, numerum hunc mysticum et symbolicum explevit. Suscipiendo baptismo Christus declaravit, se peccata nostra in se suscepisse (nimirum culpam poenasque peccatorum); assumendo autem jejunio jam pro peccatis nostris satisfacere incepit. — Per totidem dies et noctes etiam typi Christi, Moses (Exod. 34, 28.) et Elias (3 Reg. 19, 8.) jejunarunt. — *Et accedens*. Quum nimirum Satanas Jesum videret esurientem, putabat, eum etiam moralibus ceterorum hominum infirmitatibus obnoxium esse. — *Tentator*, Satanas. — Quanam forma externa tentator accesserit, certe difiniri nequit. Absque dubio usus est

tali forma, qua latere vellet, secus enim ipsum tentandi consilium irritum vanumque fuisset. Auctores probati putant, eum forma corporea, eaque humana accessisse. Cf. a Lap., Mald. — *Si Filius Dei es.* Audierat diabolus vocem de coelo, audierat Joannem tanta de eo testificantem; dein vidit eum esurientem, ideo incertus, dubius animi dubias emittit voces (Chrys.). Studet nunc diabolus Christum pertrahere ad id, ut Patri obedire renuens, sua se voluntate et potentia regat. Sicut in paradiso, ita et nunc diabolus homines plerumque gula, voluptatibus corporis captivare et ad peccata pertrahere studet. — *Filius Dei*, scil. verus. — *Dic, ut lapides isti panes fiant*, jube hosce lapides panes fieri. Nam apud N. T. et alios dialecti *χοιρῆς* scriptores post verba imperandi, petendi etc. frequenter ponitur *ὅτι* cum conjunctivo pro infinitivo antiquioris graecitatis.¹⁾ Christus ita suam in Deo confidentiam indicavit.

V. 4. Respicitur hic Deuteronomii locus (8, 3.), ubi sermo est de beneficiis variis, quae Deus in Israëlitas contulerat, imprimis de largitione Mannae (cf. Joan. 6, 31.). — *In solo pane* (*ἐν ἄρτῳ*), nimirum ita, ut panis conditio (fundamentum) esset ad vitam sustentandam. Praepositio *ἐν* significat hic conditionem.²⁾ — *Vivit*; graece futurum, quod ex Hebraismo indicat id, quod perpetuo tale est. — *Homo*, i. e. quivis. — *Verbo*, scil. illo, quo, quidquid ei lubet, ex nihilo facere potest Deus. — *Quod procedit*, quodcunque Deus effatur. Sensus est: Homo quivis non solo pane (cibo humano) vitam sustinet (multoque magis Filius Dei), ideoque ad vitam meam sustentandam non est opus lapides convertere in panem; sed quodvis verbum, sola Dei voluntas, potest me vivum conservare. — Nonnulli in his Christi verbis nutum vident panis eucharistici.³⁾

V. 5. *Tunc*, quum primo illo artificio nil profecisset. — *Assumpsit*, i. e. transferendum se diabolo permisit. Hoc non magis mirum videri potest, quam illud, quod Christus a Judaeis captus et crucifixus esset, quorum erat auctor. Utrumque factum est poteratque fieri, quia id Christus circa se permisit.⁴⁾ — *In*

¹⁾ Cf. Beelen gramm. 366.

²⁾ Cf. Beelen gramm. 300.

³⁾ Cf. Reischl, Erklärung der h. Schriften.

⁴⁾ Cf. Veith, die heil. Berge, II, 164., Knabenbauer.

sanctam civitatem i. e. Hierosolymam (coll. Luc. 4, 9.). Vocatur ita, quia erat centrum regni theocratici, et in ea Deus propter arcam templumque habitare credebatur. (Mald.) — *Super pinna- culum templi* (ἐπὶ πτερύγιον ἱεροῦ), Alii interpretes ¹⁾ verba haec explicant: in fastigo porticus regiae, dicentes: si esset templi fastigium intelligendum, evangelista scripsisset τοῦ ναοῦ, et non τοῦ ἱεροῦ, quia ἱερόν complectitur etiam aedificia templi extrinsecus exstructa omnia, quae ad templum pertinebant, dum ναός designat templum proprie tale. Dein, quum hoc fastigium seu tectum porticus regiae, teste Josepho Flavio (Antiq. XV, 11, 3. 5.) ab utraque parte in alae formam inclinatum, non autem pinna totius templi in alae formam exstructa esset, etiam hoc explicationem nostram confirmat; nam graeca vox πτερύγιον, quae proprie notat pennulam, parvam alam, translate ponitur de rei extremitatibus, formam alarum referentibus. Cf. Joan. 10, 23. Alii ²⁾ explicant: in margine tecti, in fastigio tecti templi.

V. 6. *Si Filius Dei es*, quum Filius Deus sis. — *Mitte te deorsum*, ut nimirum omnibus in proximis atriis ambulanti- bus aliisque locis constitutis ostendas potentiam tuam divinam ac dignitatem, et quum te salvum viderint, Messiam te agnoscant. — Quum Christus priore responso maximam in Deo confidentiam indicasset, nunc tentatione hac voluit diabolus Christum per vanae gloriae studium (per superbiam) ad temerariam erga Deum fiduciam seducere. — *Scriptum est*, nimirum Ps. 91, 11. — In Psalmo isto hominibus piis et probis in omnibus vitae periculis et calamitatibus, necessario subeundis, divina promittuntur auxilia, non tamen illis, qui temere periculis se obijciunt. Tentator itaque, qui ad s. scripturas provocavit, ut verba ipsius majorem vim habeant, sententiam s. scripturae pervertebat, quum suum temerarium vanumque consilium hoc effato suffulciret. — *Ne offendas ad lapidem pedem tuum*. Imago, quae his verbis inest, repetita est a parentibus, qui liberos suos teneros adhuc in viis asperis in ulnas suscipere et gestare solent. Sensus est: Deus te per angelos, te custodientes, salvum conservabit.

¹⁾ Arnoldi, Bisp.

²⁾ Knabenbauer.

V. 7. *Rursum*, i. e. alio loco s. scripturae scriptum est, non tantum, quod tu citasti, sed etiam. — Respicit Christus locum Deuteronomii (6, 16.), ut doceat, illud auxilium, quod Ps. 91. piis promissum est, iis tantum promissum esse, quibus pericula necessario subeunda sunt. Sensus est: Noli temeraria fiducia potentiam et benignitatem divinam (cujus quotidie sat magna documenta conspicias), explorare in periculis, quibus temere te objicias. Tentat enim Deum, qui petit a Deo miraculum non necessarium, quale hic est.

V. 8. *Assumpsit in montem*, i. e. in montem se rapiendum permisit. Quinam fuerit mons iste, certo definiri nequit; putant multi cum antiqui, tum recentiores, fuisse montem Quarantana. — *Omnia regna mundi* (πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου). Verba haec, quorum loco apud Lucam (4, 5.) ceu synonymum legitur: πάσας τὰς βασ. τῆς οἰκουμένης, — non sunt cum nonnullis ceu hyperbolica expressio (uti ἔλος ὁ κόσμος Rom. 1. 8. Col. 1, 6.), de solius Palaestinae provinciis accipienda; nam apud Lucam vocabulo οἰκουμένη non sunt appositae certae voces, quae aperte indicarent, notionem istius vocis ita restringendam esse. Dein etiam stante hac explicatione difficultas non removetur, quia etiam unius regni gloriam modo ordinario haud poterat diabolus Christo ostendere. Quapropter verba illa explicanda sunt de omnibus mundi regnis gentilibus, excepta Palaestina, cujus imperium, cum esset peculium Dei, diabolus non tenebat, ast mundi gentilis erat princeps (ἄρχων coll. Luc. 4, 6.). Quum tamen Lucas (4, 5.) dicit, Satanam ostendisse in momento temporis, tenenda videtur sententia eorum, qui dicunt, hoc factum esse modo magico, ut scil. arte quadam species regnorum apparere fecerit.¹⁾ — *Gloriam eorum*, ea, quibus unumquodque regnum excelleret, oculis Christi objiciendo (quasi in theatro), luxum, opes, vires, populorum frequentiam, terrarum pulchritudinem, regum pompas et fastum, palatia, adorantium obsequia et similia.²⁾ Ceterum tentationem, quam Matthaeus tertiam habet, Lucas secundam posuit, et secundam Matthaei Lucas ultimam habet. Verba: *vade Satana*, quibus Christus Satanam adorari se ab ipso flagitantem abegit,

¹⁾ Jans., Franc. Luc., a Lap., Tir.

²⁾ Cf. Veith Homilienkranz I. S. 7. ff.

credere jubent, id non secundo loco, sicut in Luca legitur, sed tertio, uti Matthaeus habet, Satanam ausum fuisse, quod et ipse v. 11. confirmat. Hinc Matthaeus h. l. in sua relatione magis temporis ordinem curabat, quam Lucas, qui rem ipsam, non vero temporis ordinem respexit.¹⁾

V. 9. *Haec omnia tibi dabo.* Verba haec sunt impudens Satanae mendacium; nam, etiamsi peccato per Adamum introducto spirituale in mundum exerceat imperium (coll. Joan. 12, 31. Ephes. 2, 2.) homines sine intermissione tentando et in peccata seducendo, obsidendo, iisque nocendo per creaturas humanis usibus servientes, imo et ipsa creatura irrationalis, quae primitus creata erat, ut hominis servitio creatorem suum glorificaret, dominio ejus subjecta fuerit, tamen orbis terrarum regna nemini potest dare aut auferre. Verbis apud Lucam (4, 6.): *quia mihi tradita sunt*, nimirum regna, *et cui volo, do illa*, se fingit filium Dei. — *Adoraveris me* (προσκυνήσεις μοι). Verbum hoc h. l. ob responsum Christi versu sequenti datum, debet de religioso cultu, de cultu divino, de adoratione propria tali, quae soli Deo exhibetur (non autem de homagio praestando) sumi; alias enim Christus aut inepti quid ad postulationem Satanae reprimendam protulisse, aut verba tentatoris non intellexisse dicendus esset; utrumque autem de Christo cogitare, absurdum est.²⁾ Tentatione hacce ultima volebat Satanias in Christo studium potestatis et dominii totius mundi excitare, eum sollicitare ad avaritiam, ut eum hac ratione permoveret ad cultum div. ipsi exhibendum, quo praestito Christus factus fuisset cliens Satanae. Quamvis ad Messiae munus spectaret, ut mundum expugnaret atque diabolo, qui post lapsum Adami (Deo permitte) princeps ejus factus fuerat, eriperet, id tamen non eo, quo diabolus hic voluit, modo fieri debebat, sed alio, nimirum multis cum laboribus et passionibus.

V. 10. *Tunc*, quum ipsius Dei filii dignitatem sibi arrogaret. — *Scriptum est*, in Deuteronomio (6, 13.) — *Adorabis*; hic religiose colere, cultum div. exhibere; id enim docet manifeste appositio: *Dominum Deum*, et verba addita: *et illi soli*, (utpote qui solus est dominus Deus) *servies* (scil. cultu illo religioso,

¹⁾ Cf. a Lap., Jans., Knabenbauer.

²⁾ Cf. a Lap., Calm.

quem tu flagitas.). Satan as (σατανᾶς aut σατᾶν), est vox hebraica et denotat adversarium, qui vel factis, vel verbis alicui renititur. Est vox haec synonyma voci diabolus, cum qua permutari solet (coll. 4, 1. 10.) Dein ut vox diabolus designat κατ' ἐξοχήν principem spirituum malorum, ut h. l.

V. 11. *Tunc*, quum repressa etiam tertia tentatione diabolus Christo mandante discessisset. — *Ministrabant* (δουλοῦντων). Quale fuerit istud ministerium, ab angelis Christo exhibitum, certo definiri nequit. Ob significationem vocis graecae διακονέω alias etiam propriam, nonnulli putant, angelos Christo cibos suppeditasse. Sic etiam Eliae in deserto commoranti angelus cibum attulit (1 Reg. 19, 5.). — Primus Adamus a Deo ex paradiso ejectus est prohibitusque ab ejus ingressu per angelos flammeo gladio; dum alteri Adamo, Christo, victori diaboli, desertum factum est paradisu. Narratio haec de Christi tentatione, uti eam tres synoptici exhibent, pro vera historia eventus externi habenda est; praeter alia id jam postulant verba addita apud Marcum (1, 13.): et erat cum bestiis, quae docent, cogitandum esse de vero deserto, hinc etiam enarrari eventum externum. Quapropter prorsus arbitrariae sunt explicationes aliorum, qui narrationem hanc vel meram parabolam habent a Jesu aut quodam ejus discipulo ideo excogitatam, ut homines de falsis Messianis expectationibus monerentur; vel qui in ea cogitant de re Christo in extasi (visione) oblata, aut eam mythum habent.

Pars Secunda (4, 12 — 13, 58.).

In hac parte ostendit evangelista, Christum fuisse doctorem, patratores miraculorum, regni Messiani conditorem.

1. Jesus in Galilaea (v. 12.).

V. 12. S. Matthaeus missis omnibus, quae proxime excipiebant Christi tentationem, statim properat ad initium muneris Christi publici enarrandum, et hoc versu et sequentibus

breviter notat, initium muneris Christi in Galilaea docentis et Capharnaumi domicilium figentis, evenisse eo tempore, quo Joannes Bapt. jussu Herodis Antipae in vincula est coniectus. Hanc rem ipsam, ejus causam et sequelas serius (14, 1. seq.) per occasionem fusius enarrat. — *Traditus esset* (παρεδόθη), scil. Herodi Antipae; alii supplent: in carcerem. In substantia sensus non mutatur.

Quae post Christi baptismum et tentationem et ante hunc in Galilaeam reditum evenerant, Joanne evangelista teste sequentia sunt. Post tentationem statim Jesus venit ad Baptistam, qui erat Bethaniae trans Jordanem, in quo loco repetitis vicibus testatus est, Jesum esse Messiam (Joan. 1, 19—34.), dein plures sectatores, discipulos nactus est (Joan. 1, 38. seq.); cum his rediit in Galilaeam et unacum illis intererat nuptiis, quae Canae in Galilaea celebrabantur (Joan. 2, 1—12.). Cana profectus est Capharnaum, ubi paucos dies transegit (Joan. 2, 12.), fors et matrem suam Nazarethum comitatus est; inde instante festo paschatis Hierosolymam se contulit (Joan. 2, 13.), ibique templum purgavit atque in regione urbi vicina aliquamdiu commoratus, docuit, multosque homines baptismo per discipulos suos administrato, assecclas suos fecit, imo et Nicodemus discipulus ejus factus est (Joan. 2, 14—3, 22.). Cum autem audivisset, Joannem Bapt. in carcerem esse coniectum, altera vice, per Samariam profectus, in Galilaeam rediit (Joan. 4, 3. seq.), ubi altera vice Canam venit (4, 46.), unde dein Capharnaum est profectus, ibique domicilium fixit.¹⁾ Iter hoc in Galilaeam, de quo h. l. Matthaeus et Marcus (1, 14.) atque Lucas (4, 14.) loquuntur, est iter ante alterum pascha confectum (coll. Joan. 4, 3.), et quidem, quum docente Joanne (4, 35.) ab hoc itinere adhuc quatuor menses essent ad messem, quae medio Aprili inceptit, medio Decembri a Christo confici dici debet. Paulo ante debuit fieri Joannis incarcerationio (a. 781. post U. C.).²⁾ — *Secessit*, e Judaea. — *In Galilaeam*, qua re effugit insidias synedrorum, qui Joannem Herodi trahebant.

¹⁾ Cf. a Lap. in Matth. 4, 18.

²⁾ Cf. Tischendorf synopsis evang. pag. XXVII; Patrit. III, 441.

2. Iter Nazaretho Capharnaum (13—16.).

V. 13. *Relicta civitate Nazareth*, quia Nazarethani ingrati eum praecipitem agere volebant (coll. Luc. 4, 14—22.). Vid. dicta 13, 53. — *Venit et habitavit in Capharnaum*. Cf. 2, 23. De urbe Capharnaum vid. comment. in evang. s. Joan. 2, 12. — *Maritima*, i. e. sita ad lacum Genesareth. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 6, 1. — *In finibus Zabulon et Nephtalim*. Tribus Nephtalim ad meridiem tangebatur tribum Zabulon.

V. 14. Verbis his causam reddit, quare Christus Nazaretho relictis Capharnaumi, in superiori Galilaea domicilium figeret; ideo nimirum, ut impleretur vaticinium Jesaiae (9, 1. seq.), qui praedixerat, Messiam superiorem Galilaeam sibi in domicilium electurum esse, ut lumine ipsius doctrinae omnes regiones vicinae collustrarentur.

V. 15. *Terra Zabulon* (γῆ), regio, seu territorium, quod Zabulon, filius Jacobi decimus, in distribuenda terra Chanaanistica sorte accepit. — *Terra Nephtalim*, regio seu territorium, quod Nephtalimus, filius Jacobi sextus, accepit. — Ceterum verba: terra Zabulon et terra Nephtalim, uti: Galilaea gentium et populus, sunt nominativi (non vocativi). — *Via maris*, graece ὁδὸν θαλάσσης. Nonnulli ante ὁδὸν supplent γῆ, simulque ad ὁδὸν subintelligunt κατὰ, hoc sensu: regio ad mare Galilaeae sita, seu regio, quae adjacet mari Galilaeae; ita ut his verbis unacum sequentibus: trans Jordanem designaretur tota regio ad Orientem maris Galilaeae sita. — Sed rectius alii, Maldonatum secuti, accusativum ὁδὸν absolute positum sumunt, ita ut vices adverbii h. l. sustineat, hoc sensu: versus, uti et Septuaginta hebr. דָּבָר adhibere solent; ergo: ὁδὸν θαλάσσης mare versus i. e. versus lacum Genesareth. Vulgatae versio: via maris (ubi via est casus ablativi), i. e. ubi via fert ad mare, in substantia sensus non divertit. Verbis his curatius designatur situs regionis Zabulon et Nephtalim; quare comma, quod plerique codices habent post vocem Nephtalim, ponendum est post vocem: maris. — *Trans Jordanem* πέραν...). Verba haec sunt sollemnis designatio regionis transjordanensis, seu regionis ab Oriente Jordanis sitae

(Peraeae), quam Christus saepe adiit. — *Galilaea gentium* est Galilaea superior, septemtrionalis ad tribum Nephtalim pertinens pars, in qua gentiles Judaeis mixti habitabant (1 Macchab. 5, 15.).

V. 16. *Populus* i. e. incolae. Verba haec sunt appositio praecedentium nominativorum. — *In tenebris*, nimirum spiritualibus, in ignorantia rerum divinarum et peccatis. Vid. comment. in evang. s. Joan. 1, 5. — Incolae regionum illarum tales facti sunt, quia nimis mixti erant cum gentilibus valdeque remoti ab Hierosolyma, ubi, tanquam in centro, praeprimis religiosa vita et notitia legis disci poterat. — *Lux* (φῶς), i. e. Messias, spiritualis collustrator, in quo magna lux veritatis et salutis apparuit, sol justitiae, qui illuminabat tenebras illorum hominum. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 1, 4. — *In regione umbrae mortis*; graece: ἐν ᾠρώρῃ καὶ σκιά θανάτου. Nonnulli particulam καὶ sumunt ut particulam explicativam, hoc sensu: in regione spissis tenebris obducta. Sed genitivus θανάτου potest apte referri etiam ad vocem ᾠώρῃ, hoc modo: in regione et in tenebris, quas inhabitat mors, in quibus mors imperium tenet. Per prosopopoeiam consideratur hic mors tanquam dominator et rex inferni, tenebris obvoluti. Verba autem haec significant idem ac: vivere in summa rerum divinarum ignorantia et peccatis. Hinc idem edicunt, quod prima versus pars exprimit, solummodo vividius.

3. Christus praedicans in Galilaea (v. 17.)

(Marc. 1, 14. 15.)

V. 17. *Exinde*. Hisce non negat evangelista, Christum jam prius (v. 12.) in Galilaea docuisse, sed tantummodo vult dicere: exinde, quum nimirum sedem fixisset Jesus Capharnaumi. — *Poenitentiam agite*. Sicut Joannes Bapt. prius homines ad poenitentiam excitaverat, ita et nunc Christus, ut ita confirmaret praedicationem Joannis; attamen suae exhortationi ad poenitentiam agendam simul adjunxit: *et credite evangelio*, uti apud Marcum (1, 15.) legitur.

4. Vocat quatuor discipulos (18 — 25.).

(Marc. 1, 16 — 20. Luc. 5, 1 — 11.)

V. 18. *Vidit duos fratres.* Viros hos Jesus non nunc prima vice vidit; erant enim Galilaei sectatoresque Joannis B. (Joan. 1, 41.), et dein Christi discipuli facti sunt, non tamen perpetui erant ejus comites, sed ad opificium suum, ad piscationem redierant. Dum ergo Matthaeus h. l. et Lucas, Marcusque (l. c.) Jesum eos vocasse dicunt, non necessario id cum relatione Joannis (1, 35. seq.) pugnat; Joannes enim de primo discipulorum horum cum Christo conventu, reliqui autem evangelistae de eorum vocatione in perpetuum Christi comitatum agunt. — *Simon qui vocatur Petrus.* Simon est nomen hebraicum; reliqua addita sunt, ut propius indicaretur, quisnam Simon intelligendus est. Nomen Petrus, quod ei Jesus in prima vocatione promisit (Joan. 1, 42.), in vocatione ad apostolatam ei imposuit (Marc. 3, 16.).

V. 19. *Venite post me, estote mei discipuli, nimirum perpetui; seu sequimini perpetuo me magistrum.* Fuit enim mos apud Judaeos, ut discipuli constanter sequerentur magistrum. — *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Alludit hisce ad conditionem Petri et Andreae externam, hoc sensu: Reddam vos, non piscium quidem, quales nunc estis, sed hominum piscatores, i. e. doctores, qui e mundo procelloso, veluti mari, doctrina, velut reti, homines mihi (regno meo) concilietis atque obligetis.

V. 20. *Secuti sunt eum, perpetui ejus comites facti sunt.* Inde elucet illorum fides et obedientia ac potentia gratiae divinae.

V. 21. *Jacobum Zebedaei, nimirum filium.* Vocem Zebedaei addit, ne confunderetur cum Jacobo, Alphaei filio (10, 3.). — *Vocavit eos, ut videlicet ipsum tanquam magistrum in perpetuum sequerentur.* Conf. dicta in commentar. in Luc. 5, 23. pag. 152.

V. 23. *In synagogis eorum, scilicet Galilaeorum (cf. 9, 35.).* In synagogis Judaeorum licitum erat, obtenta a synagogae praefecto venia, cuique viro huic negotio idoneo legere s. scripturam et de lecto disserere. Erant autem synagogae aedificia, domus congregationis, in quibus Judaei post tempora exilii (inde a

tempore Esdrae) quovis die sabbati ac festo, serius etiam cujusvis hebdomadis die secundo et quinto conveniebant ad preces faciendas et ut lectori aliquam sectionem legis (Parascham, coll. Act. 15, 21.) et post aliquod temporis intervallum pericopam aliquam propheticam (Haphtaram quandam, coll. Luc. 4, 17.) legenti et lecta verba interpretanti auscultarent. Quaevis synagoga habebat archisynagogum, praefectum, qui exercitia religiosa dirigebat ordinisque curam habebat; praeterea seniores (πρεσβυτέρους), qui eum juvarent; porro virum, qui praeorabat, tandem ministrum (ὑπηρέτην), qui libros porrigebat et similia peragebat (cf. Luc. 4, 16. seq.).¹⁾ — *Omnem languorem et infirmitatem, omnis generis morbos.*

V. 24. *Abiit opinio* (ἀκοή), fama, nuncius. — *Ejus*, de eo (genitivus objecti). — *Variis languoribus et tormentis comprehensos.* Omnia haec appositionis loco posita sunt ad male habentes, hoc modo: Afferebant ad Jesum omnes, qui male se habebant, nimirum homines diversis morbis et doloribus afflictos. — *Qui daemonia habebant* (δαμονιζομένους), qui a spiritibus malis obsessi erant. Distinguuntur daemoniaci h. l. ab aliis aegrotis. — *Et lunaticos* (σεληνιαζομένους), qui morbo comitiali, epilepsi, laborabant, qui morbus crescente luna (σελήνη) redit et augecit. — *Et paralyticos*, nervorum resolutione laborantes, vel ab una parte, vel in toto corpore.

V. 25. *Et Decapoli.* Decapolis erat regio Palaestinae a numero decem oppidorum maximorum ita dicta, trans Jordanem in tribu olim Manasse sita, et quorum incolae maximam partem non Judaei erant. — *De trans Jordanem* (πέραν..., ante πέραν est ἀπὸ supplendum), de regione trans Jordanem, quae a Decapoli ad mare mortuum versus austrum patet (seu de Peraea.) Vult his s. Matthaeus indicare, ex omni Palaestina confluisse homines ad Jesum.

¹⁾ Cf. Wilke-Loch lex. N. T.

Caput V.

Jesus Christus doctor et legislator.

Sermo montanus (c. 5. 6. 7.).

(Luc. 6, 17—49.)

Sermo montanus, qui etiam oratio montana dicitur, secundum optimorum interpretum¹⁾ sententiam, eadem est cum illa apud s. Lucam (6, 20. seq.) occurrente; adest enim idem exordium eademque conclusio in utraque; uterque scriptor s. addit, Christum hoc sermone finito, Capharnaum se contulisse, ibique centurionis servum aegrotum sanasse. Quod vero sermo apud Matthaeum longior sit, quam ille apud s. Lucam, ex hoc solummodo sequitur, s. Matthaeum plenius Christi dicta annotasse, quam s. Lucam, qui in gratiam ethnochristianorum scribens quaedam ad Judaeos spectantia omisit.²⁾ Si porro s. Matthaeus Jesum sermonem hunc habiturum, ut commodius audiretur, montem conscendisse dicit, id cum relatione s. Lucae non pugnat, qui (6, 17.) Christum descendisse in planitiem dicit; nam, postquam in planitiem illam descenderat Christus (coll. Luc. 6, 17.), et homines aegrotos, qui allati fuerant, sanaverat (coll. 6, 18. 19.), omnino iterum ex hac planitie in locum elatiorem ascendere potuit, uti habet Matthaeus v. 1.

Sermo hic non est inauguralis Apostolorum oratio, sed habitus censendus est ad sectatores Christi quoscumque, discipulos et Apostolos, audiente simul magna populi multitudine.³⁾ Vocabulum discipuli (μαθηταί) h. l. latiori significatu, ut saepius alias, sumendum est; id docet ipsum sermonis argumentum, quum, paucis quibusdam exceptis, nil is contineat, quod unice Apostolos, aliosque ipsius discipulos, futuros religionis ejus doctores spectaret, nihil praeterea con-

¹⁾ Hieron., Chrysost., Euthym., Theoph., Jans., Mald., a Lap., Schanz, Knabenbauer aliorumque.

²⁾ Cf. Reischl in Luc. 6, 20.

³⁾ Cf. Kistemacker, Schegg.

tinet, quod commode etiam reliquis cultoribus ejus et asseclis quibuscumque dictum non sit; neque etiam, si sermone hoc inaugurari Apostolos suos voluisset ad munus religionis doctorum, deesse possent talia, quae alias, ubi simili consilio ductus ad eos loquitur, adsunt (uti 10, 5.). Si in hoc Christi sermone, a Matthaeo consignato, occurrunt quaedam dicta, quae etiam aliis occasionibus a Christo prolata leguntur, inde non sequitur, Matthaeum huic sermoni montano sententias nonnullas alio tempore et loco a Christo prolatas adjecisse; poterat enim Christus eadem praecepta, praecipue ethica, coram diversis auditoribus repetitis vicibus pronuntiare.

Illis, qui dicunt, Christum non potuisse hunc sermonem continuum habere, quia turba hominum rudis erat et rerum spiritualium imperita, potest opponi, non esse opus, assumere, hunc sermonem mox ab initio praedicationis a Christo esse habitum; nam ipso prooemio apud s. Matthaeum (coll. 4, 23. 25.) jam satis indicatur, tempus longius effluxisse, Christum diu peragrassae Galilaeam, frequenter praedicasse et docuisse in synagogis et extra synagogas et praedicatione ac miraculis turbas ad se ex omni regione, etiam remotiore, attraxisse. Quapropter recte statuitur, in hoc sermone ab ipso Christo summam colligi et uno conspectu proponi, quae per longius tempus paulatim singula docens et explanans disseruerat. Quae sententia uti prooemio, ita et ipsa conclusione (7, 28.) commendatur.

Quod ipsum nexum hujus sermonis montani attinet, potest ille ita proponi: Christus (juxta 4, 17.) suum munus publicum iisdem verbis inchoavit, uti Joannes Bapt., nimirum excitando homines ad poenitentiam et significando, prope esse regnum Dei. In sermone montano, qui recte nominatur a nonnullis (Jans., a Lap.) summa evangelii et perfectio novae legis, Christus assignat condiciones seu animi dispositiones, ut quis regni hujus fiat particeps (3—12.). Hortatur dein Apostolos, ut regni hujus ministros, ut officiis suis diligenter et fideliter fungantur (13—17.); exponit relationem novi regni ad legem et quomodo legem adimplere necesse sit (17—48.). Ut vero legem perfecte observent, declarat, opus esse, ut in studio justitiae (in actionibus

virtutum) sibi caveant ab appetitu laudis humanae (6, 1—18.), ab avaritia et nimia rerum terrenarum cura (19—34.). — Quum autem ad omnia haec rite praestanda opus sit divino auxilio, hortatur eos, ut oratione constanti illud auxilium implorent (7, 7—11.). Dein brevi formula ac perspicua docet, quid ad vitae rationem bene ordinandam et retinendam aliis praestandum sit; porro monet, magno opus esse conatu et sui ipsius abnegatione, ut ea praestantes, quae oportet, ingrediantur ad vitam aeternam; monet, cavendum esse a falsis doctoribus, ostendens, quomodo eos cognoscant (12—27.). In epilogo (24—27.) declarat felicitatem stabilem ejus, qui hanc doctrinam opere exsequitur, et miseram sortem ejus, qui illam negligit.¹⁾

1. Octo beatitudines (v. 1—10.).

V. 1. *Videns autem Jesus turbas*. Verba haec arcte cohaerent cum fine capitis praegressi. — *In montem* (εἰς τὸ ὄρος), scil. illum, qui erat, ubi Jesus docebat, i. e. in montem proximum Capharnaumo, qui ex antiqua traditione mons beatitudinum, hodie Kurun Hattin (cornua τοῦ Hattin) vocatur. — *Ascendit*, ideo nimirum, ut commodius audiretur. — *Discipuli ejus*, h. l. non sunt omnes, quotquot eo tempore discendi causa conveniant homines, diserte enim distinguuntur a turbis; neque etiam quatuor illi discipuli, de quibus egerat capite praecedenti (18—22.), quum hoc sine dubio apertius indicasset; sed sunt 12 Apostoli et illi, qui Christum jam diutius sectati sunt, discipuli, Apostolos enim non post hunc sermonem demum electos fuisse, testatur locus parallelus Lucae.

V. 2. *Et aperiens os suum*. Est loquendi ratio usitata ab Hebraeis ibi, ubi agitur de initio sermonis momenti gravis atque clara altaque voce habiti, ita ut h. l. valeat idem ac: graviter ac nervose coepit dicere (Berl.).

V. 3. *Beati* (μακάριοι), i. e. beati praedicandi sunt. Christus enim in hoc sermone beatos vocat non eos, qui re jam ipsa, sed qui spe beati sunt (Mald.) — *Pauperes spiritu* (πτωχοὶ τῷ πνεύματι). Ordo verborum, analoga structura v. 8. occur-

¹⁾ Conf. Knabenbauer.

rens (καθαροὶ τῇ καρδίᾳ), et contextus totius pericopae hujus postulat, ut vox: pauperes jungatur cum voce: spiritu, et per pauperes spiritu juxta sententiam celeberrimorum interpretum intelligendi sunt homines, qui sibi conscii sunt paupertatis suae spiritualis, seu, quum paupertas spiritualis se manifestet vel in voluntate (quatenus est infirma et mala), vel in cognitione (intellectu, quatenus obfuscatus nescit veritatem), qui sibi conscii sunt suae perversitatis ac ignorantiae rerum divinarum, i. e. sibi conscii se esse justitia et veritate destitutos, ideoque abjecto omni studio bonorum terrestrium (coll. Luc. 6, 24.) anhelant et desiderant vera bona Messiana. Hinc quod ad sensum verba: pauperes spiritu, idem notant ac: humiles, vano fastu superbiaque destituti.¹⁾ Notio haec praeclare convenit ipsi initio sermonis Christi; ante omnia enim in auditoribus ejus necessarium erat id, ut miseriam suam spiritualem agnoscerent profiterenturque, se esse peccatores atque ignorantiae (rerum divinarum) tenebris obvolutos, ideoque auxilio, redemptione ex hoc misero statu indigentes, quia tales solummodo desiderium regni Messiani ejusque bonorum habebant. Huic paupertati praedicat Christus possessionem regni coelorum a se his in terris fundandam; nam, ut ex hac paupertate homines eriperet, eosque bonis Messianis in hac et altera vita ditaret, venit ipse Messias. S. Lucas (6, 24.) tantum habet: beati pauperes; unde nonnulli per pauperes intelligunt homines, qui inopes sunt divitiarum. Sed haud poterat Christus homines inopes jam ideo, quia sunt inopes, beatos praedicare; quapropter rectius alii exponunt, qui cum voce pauperes praeter inopiam divitiarum simul conjungunt notionem humilitatis, quippe quum docente s. Augustino vermis divitiarum sit superbia, quae ex iis plerumque oriri solet. Quapropter in substantia Matthaeus, qui habet: pauperes spiritu, et Lucas, qui tantum habet: pauperes, non differunt. Juxta Lucam (6, 24) per antithesin *vae acclamat divitibus*, i. e. illis hominibus, qui de opibus suis elati atque in illis suam confidentiam et felicitatem reponentes, non agnoscunt miseriam suam spiritualem, hinc etiam non desiderant vera bona Messiana, sed student congerendis bonis terrestribus, addens:

¹⁾ Cf. Chrysost., Ambr., Hier., Aug., s. Leo, s. Gregor., Bisp., Schanz, Grimm, Schegg.

habetis consolationem vestram; quasi diceret: Jam habetis vestrum solatium vestramque felicitatem in divitiis vestris, in quibus magis, quam in Deo confiditis, ideoque non pervenietis ad verum solatium, quale in Christo (in regno Messiano) tantummodo datur. Vocabant Judaei Messiam κατ' ἐξοχὴν τὸν παράκλητον (1 Joan. 2, 1.) et salutem Messianam τὴν παράκλησιν (cf. Luc. 2, 25.)

V. 4. *Mites*, qui illatis injuriis iracundia et vindicta non exardescunt. Congrue pauperibus spiritu subjunguntur mites, quia humiles solent esse mites. Repellit vero hisce Christus falsas opiniones Judaeorum, qui terrenum Messiae regnum expectantes et vindicta in omnes ethnicos, praepremis Romanos, exardescentes, putabant, quod Messias omnibus ethnicis devictis, ipsis (Judaeis) mundi imperium sit collaturus, docens, mites solummodo possessuros esse terram. — *Possidebunt terram*. Verba haec repetita sunt e Ps. 37. (v. 11.), ubi Palaestina seu terra Chanaan tanquam domicilium populo Judaeorum promissa, commemoratur, cujus promissionis impletio tanquam felicitas summa spectabatur. Quum autem terra Chanaan, Israëlitis promissa, esset typus regni Messiani, inde sequitur, verba: possidere terram, denotare: participem esse regni Messiani. Nonnulli interpretes¹⁾ verba haec explicant de coelo, alii de hac terra; sed nec de solo coelo, nec de hac terra sunt explicanda, sed de regno Messiano, quod in hac terra inchoatur et in coelo perficitur (Knabenb.).

V. 5. *Beati qui lugent*. Quum haec verba Christi generatim. sine restrictione prolata sint, etiam sine restrictione explicanda sunt, nimirum de omnibus lugentibus et dolentibus, sive ob peccata sua aut aliena, sive ob imperfectam conditionem suam spiritualem, sive ob luctam assiduam, quam cum carne et concupiscentia gerunt, sive ob calamitates hujus mundi, a Deo immissas aut permissas, verbo: de omnibus, qui solatio atque auxilio indigent. Ejusmodi homines praedicat Christus beatos, quia animus talium dispositus erat ad ipsum adeundum, audientum et ad doctrinam ejus amplectendam, unde eis tanquam membris regni divini solatium auxiliumque sperandum erat. Ideo dicit: *consolabuntur*, i. e. consolationem accipient, saepe in

¹⁾ Hier., Aug., Greg., Nyss., Jans., a Lap., Calm., Arnoldi.

hac vita, semper autem in futura, in coelo, quod est essentia. liter solatium, gaudium et exultatio. »Absterget (in coelesti Hierosolyma) Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt«. (Apoc. 21, 4.) Jam in V. T. Messias exspectabatur tanquam consolatio Israëli. (Luc. 2, 25.) et apud scriptores hebraeos *menachem*, consolator, appellatur. — Hisce opposite juxta Lucam (6, 25.) vae acclamat *ridentibus*, dicens: *Vae vobis, qui ridetis nunc*, i. e. qui hoc unum spectatis, ut in rebus hujus mundi gaudium capiat, et ideo illis gaudiis distracti, nullam eorum, quae animae salutem concernunt, curam geritis, — *quia lugebitis et flebitis* (utpote exclusi e regno Dei, ubi gaudium lugentibus his in terris incipit), fletu aeterno de vita vestra male consumpta.

V. 6. *Qui esuriunt et sitiunt*, qui magnopere desiderant. Nam fames et sitis saepe metaphorice denotat vehemens desiderium rei, quae designatur: utraque vox conjuncta auget desiderandi notionem. — *Justitiam* (δικαιοσύνην), i. e. et veram, internam justificationem, seu illum rectum statum, quem Deus hominibus inesse vult; nimirum ut a peccatis purgati vere sint sancti. De voce *δικαιοσύνη* conf. comment. in epist. ad Rom. 1, 17. Quia s. Lucas simpliciter dicit: *beati, qui nunc esuritis*, multi verba haec intelligunt de esurie corporali, ergo de misera atque acerba conditione, in qua tunc temporis plerique discipuli erant; dum alii ex Matthaeo supplent vocem: *justitiam*. Quum homines, misera sorte gaudentes, prompti ac parati sint ad suscipiendum evangelium (et justitiam in Christo), elucet, in substantia non dari sensus diversitatem, sive prior sive altera explicatio teneatur. — *Saturabuntur*, nimirum illa justitia ejusque bonis jam in hac vita, perfecte autem in altera vita, per aeternam felicitatem et gloriam. Hisce opposite juxta Lucam (6, 25.) vae intentat *saturatis*, i. e. iis, qui cibo et potu bonisque hujus vitae abundantes, gulae et crapulae indulgentes, nullo desiderio bonorum sublimiorum, spiritualium, ardent, dicens: *quia esurietis*, i. e. in altera vita, in regno Dei, ubi omne desiderium explebitur, miserrimi eritis. Nam fames et sitis h. l. cruciatum damnatorum significat (Calm.). Nam per ea, per quae quis peccat, et punietur.

V. 7. *Beati misericordes*. Misericordes sunt, qui prompto paratoque animo aliorum miseriis, sive corporalibus, sive spiritualibus, condolent et subveniunt, v. c. qui moestis solatium, egentibus stipem, aegrotis curam, reis praesidium afferunt etc. — *Quia ipsi misericordiam consequuntur*, et quidem jam in hac vita, quatenus eos vel vocat ad regnum Messianum et ad bonorum ipsius participationem; vel eis poenitentiam inspirat, et per eam peccata eis remittit (coll. Dan. 4, 24.); vel eis frequentem et copiosam gratiam aspirat, per quam multa bona opera conquirant, vel etiam misericordiam eorum rebus temporalibus remunerat, praecipue vero in altera vita dando eis vitam et gloriam aeternam (a Lap.). Recte jungit Christus justitiae misericordiam, partim, quia, ubi adest studium sanctitatis et justitiae, ibi misericordia deesse non potest; partim quia Judaei Messiam ut regem terrenum exspectantes, saevissimi erant in advenas, impii et cruenti in hostes (Calm.).

V. 8. *Beati mundo corde* (καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, mundi corde). Cor (καρδίᾳ) in s. literis designat vel intellectum, vel voluntatem. Intellectus est mundus (purus), si Deum solummodo cognoscit et agnoscit (Jerem. 24, 7. Ezech. 36, 26.); voluntas vero est pura, si omne ejus desiderium in Deum ejusque legem tendit. Hinc mundo corde sunt, qui toti tantummodo in Deo cognoscendo et appetendo (desiderando et cupiendo) vivunt, qui sunt puri sceleris, in quibus nihil est improbitatis, doli malitiaeve. — *Deum videbunt*, non oculis corporis, quia est purus spiritus, sed spiritu, uti ait, s. Augustinus (de civit. Dei 22, 29.; epist. 147. et 148.), et quidem hac in vita per fidem, eum in diēs clarius perfectiusque cognoscendo, in altera autem lumine gloriae, facie ad faciem, i. e. clare, distincte, immediate in ipsius essentia (coll. 1 Cor. 13, 12.).¹⁾ Si jam id omnibus hominibus integris scelerisque puris continget, singulari gradu fortunae hujus compotes erunt homines casti, virginei (Chrysost.), quum de illis in Apocalypsi (14, 4.) dictum sit: eos sequi agnum, quocunque ierit. — Ceterum haec loquendi ratio desumpta est a more regum orientalium, qui raro solent in publicum prodire; id (scil. regem videre) tantum

¹⁾ Cf. Estius, Bernardin. a. Picon. in 1 Cor. 13, 12.

amicis regis concessum erat, quapropter summus honor summaque fortuna habebatur, regem videre.

V. 9. *Beati pacifici*, i. e. illi, qui non tantum ipsi pacem et concordiam servant, sed etiam alios sibi, aliis et Deo conciliare student. — *Quoniam filii Dei vocabuntur*, quoniam Deum, qui est Deus pacis (Rom. 15, 33; 1 Cor. 14, 33; 2 Cor. 13, 11.), imitantur, erunt filii Dei et qua tales etiam aperte (in regno Messiano) agnoscentur, atque, quum filii sint haeredes patris, erunt haeredes Dei in gloria coelesti. Qui enim paci conciliandae operam dant, praebent se filios illius, qui est pax ipsa, et pacem in mundum attulit; nam per Christum pacificavit sibi Deus omnia (Col. 1, 20.). Ceterum verbum κληθήσονται h. l. non simpliciter positum est pro ἔσονται (Kuin.), sed cum emphasi et significat: erunt et ut tales agnoscentur. (Mald.)

V. 10. *Propter justitiam*, propter veram justificationem (aut aliquam virtutem) vel, quia haec in regno Messiano suppeditatur, propter regnum Messianum. — *Quoniam ipsorum est regnum coelorum*, tales enim praecipue apti sunt ad regnum Messianum in se aliisque promovendum et ad plenissimam ejus in altera vita possessionem.

V. 11. Quae versu 10. sententia generali in universum edixit Christus, eadem juxta nonnullos speciatim applicat ad praesentes Apostolos, quibus ob ipsius doctrinae professionem et praedicationem varia mala perferenda erant. Alii vero affirmant, verba haec directa esse ad Apostolos et ad omnes discipulos Christi. (Knabenbauer). — *Propter me*, ideo, quod mihi, virtutis magistro adhaeretis, meam fidem sequimini, praedicatis et propagatis. — *Maledixerint*; graece διεδόξαν, i. e. contumelia et conviciis (praesentes) affecerint. — *Et persecuti vos fuerint*, nimirum factis inferendo vim. — *Et dixerint omne malum adversum vos*, et omnis generis criminationes in vos absentes effutiverint (Aug.). — *Mentientes*, i. e. e mentitas. Nam vox haec jungenda est cum verbis: et dixerint omne malum. — *Propter me* (justitiae auctorem et largitorem) spectat ad: maledixerint, persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum. — Hisce opposita apud Lucam (6, 26.) intentat vae, cum benedixerint vobis homines; secundum haec enim faciebant pseudoprophetae patres eorum; i. e. vae vobis, si vos, discedendo a doctrina mea, carnis

et concupiscentiae vitia taxante et resecante plausibilia et carni grata praedicantes, homines perversi laudaverint, quia sic applaudebant falsis prophetis, plausibilia et erronea docentibus, patres eorum. Mundus enim, quod suum est, diligit, qui vero de mundo non est, eum mundus odit (cf. Joan. 15, 19.).

V. 12. Hic redditur causa, cur qui Christi sunt discipuli, beatos se existimare debeant, si magistri sui causa mala fuerint perpassi. — *Gaudete et exsultate*, gaudete non tantum animo (intrinsicus), sed etiam laetitia ovate (etiam extrinsecus laetamini, gaudium internum laetis corporis motibus gestibusque prodentes; id enim significat ἀγαλλῖσθαι). — *Quoniam merces vestra copiosa est in coelis*, quia praemia vestra, quae (ferendis adversariorum calumniis) meremini, ampla sunt in coelo; seu: quia praemia vobis destinata sunt ampla in coelo. Locus hic est classicus pro merito operum bonorum ex condigno. — *Sic enim*, scil. tribus modis supra dictis. — *Persecuti sunt prophetas*, quos scil. nostis, seu: de quibus in V. F. libris scriptum est, uti Jesaiam, Jeremiam, Ezechielem (coll. 4 Reg. 2, 23.). Verbis his probat (γὰρ), cur iis ampla praemia exspectanda sint; quum enim similes sint prophetis persecutione, ideo iis etiam similes erunt praemio.

2. Officia Apostolorum velut ministrorum civitatis Dei (v. 13—16.).

V. 13. Ab hoc versu usque ad v. 16. edocet Apostolos de munere ipsis divinitus delegato hortaturque, ut amplis suis et honorificentissimis officiis diligenter et cum fide fungantur (Berl.) — *Vos estis*, seu esse debetis, quemadmodum prophetae, populo Israël. — *Sal terrae*, sal hominum terram incolentium, nimirum idipsum praestando hominibus, quod sal rebus praestat. Terra h. l. idem, quod v. 14. mundus, significat nimirum genus humanum, homines, tum bonos, tum malos (Aug.). Jam sali proprium est, ut a putredine cibos purget, praeservet atque insipidos (sapore carentes) sapidos et gratos reddat. Quapropter etiam in sacrificiis V. T. sal adhibebatur (Lev. 2, 13.), ut eo victima quasi cibus Deo gratus offerretur. Hinc vult Christus, quum Apostolos sal vocat, dicere: Sicut sal cibos a putredine purgat, praeservat atque insipidos sapidos reddit; ita et vos

Apostoli estis ii, qui doctrina a vobis annuncianda et vitae exemplo homines a putredine peccati purgare, bonos ab ea praeservare atque omnes Deo gratos efficere debetis. — *Quod si sal*, cujus nimirum est condire omnia. — *Evanuerit*; videtur Vulgata legisse $\mu\alpha\rho\alpha\nu\theta\eta$ (a $\mu\alpha\rho\alpha\nu\epsilon\sigma\theta\alpha\iota$ exstingui, evanescere), quae tamen lectio nullis testibus probatur, nec etiam in contextum quadrat; quapropter tenenda est lectio: $\mu\omega\rho\alpha\nu\theta\eta$, insipidum (fatuum) factum fuerit, nimirum amisso sapore et acrimonia. — *In quo salietur*, quo alio sale sal (coll. Marc. 9, 49.) condietur, seu amissam vim saliendi recipiet? non enim datur sal salis (Jans.). Demptra imagine, seu sententia ad Apostolos applicata, sensus est: Si vos Apostoli, qui doctrina et vitae exemplo homines condire debetis, metu persecutionum et calamitatum, aut amore rerum saecularium, munus vestrum apostolicum negligatis, veritatis praedicationem subtrahendo ac indulgendo vitiis et cupiditatibus hujus mundi, quis vos ad bonam frugem reducet? (non enim apostolus apostolorum est). Quibus tamen verbis, uti Maldonatus observat, non docet, quod Apostolus (doctor) et doceri et emendari non possit, sed quod difficile possit. — *Ad nihilum valet ultra*, hoc est, uti clarius expressum est apud Lucam (14, 35.), sal fatuum nec in terram, nec in sterquilinum utile est; cum aliae res corruptae ad ultimum valere soleant (Jans.). — *Nisi ut mittatur foras*, nimirum e domo in plateas. — *Et conculetur ab hominibus*, scil. praetereuntibus. Ad Apostolos applicata sententia: Merito vos, utpote prorsus inutiles et sibi et aliis nocivi, a cunctis hominibus contemnemi.

V. 14—16. *Vos estis lux mundi*, i. e. quod sol est mundo, hoc vos hominibus praestare debetis; destinati estis, ut homines tenebris ignorantiae rerum divinarum et peccatorum obscuratos, luce doctrinae vitaeque evangelicae illuminetis (Hilar.). Apud Joannem (11, 9.) $\eta\omega\varsigma$ proprie vocatur sol; dein tropice ita dicitur doctor veritatis, qui ignorantiam pellit spiritualement. Lux mundi proprie est Christus (cf. commentar. meus in evang. s. Joan. 1, 4. 9; 8, 12.); Apostoli id sunt beneficio Christi, lux ab eo accensa, instar lucernae, quorum praeprimis est, lucem a Christo allatam, hominibus impertire et ita opus Christi continuare et promovere. — *Non potest civitas abscondi supra montem posita*. Pergit in Apostolis cohortandis, ut semper sint parati ad mundum

veritatis praedicatione et morum exemplo illustrandum. Nam Jesus non mittit Apostolos, ut veritas intra ipsos lateat, sed palam ipsorum exemplis et sermonibus manifesta efficiatur. Protasis est in verbis: non potest — usque ad finem v. 15., quae sententiae simul motiva continent, ut Apostoli se lucem praebeant; apodosin continet v. 16. — *Sub modio*. Modius erat mensura aridorum capiens apud Romanos sextarios sedecim; ponitur hic pro quocunque vase, quod inversum lucernam abscondere potest. — *Neque accendunt*, scil. homines. — *Lucernam*; graece: λύχνος, lychnus, lampas. — *Sed super candelabrum*, sed potius in edito loco, ut omnibus lucem praebeat. — *Sic*, uti lampas candelabro imposita. — *Luceat lux vestra*, lux vestrae doctrinae et sanctitatis. — *Coram hominibus*, in conspectu hominum. — *Opera bona*, opera legibus divinis consentanea. Ita declarat Christus, non sufficere, ut, qui sunt lucernae in ecclesia, bene doceant, sed ut etiam bonis operibus et vita doctrinae correspondente praefulgeant. — *Glorificent*, non solum verbis, sed etiam (bene) factis. — *Patrem vestrum*, Deum vobis maxime propitium, qui tam multum gratiae in vos contulit. — Ceterum, quod Christus h. l. dicit, non pugnat cum illis, quae postea (6, 1. 2. 5.) tradit, vetans nimirum, ne quis bene facta in conspectu hominum edat. In posteriori enim loco vetat Christus, ne opera bona coram hominibus eo consilio et fine faciamus, ut ipsi ab hominibus laudemur; hic autem vult, ea fieri hoc fine, ut ex iis homines videntes Deum laudent.¹⁾ Quia Christus eadem comparatione vel parabola de sale utitur in sermone ad turbas (Luc. 14, 34.), et quia saepius in s. scriptura ipsi fideles (christiani) nomine lucis designantur (Phil. 2, 15. Ephes. 5, 8. 1 Thess. 5, 5.), nonnulli interpretes (Knabenbauer) statuunt, quae v. 13 — 16. dicuntur. non ad solos Apostolos dirigi, sed enunciari generatim de omnibus fidelibus, qui, quum sint discipuli Christi et qua tales lucis ejus participes facti, lumen illud doctrina et vitae sanctae exemplo spargere debent. — Sententia haec, quam etiam nonnulli antiqui²⁾ tenebant, potest admitti.

¹⁾ Cf. Homilia s. Gregor. Papae 11. in Evang.

²⁾ S. Aug., s. Chrom., Beda.

3. Relatio regni Messiani (N. T.) ad legem V. T. (v. 17—48.).

Quum norma et regula vitae Judaeis in lege Mos. esset proposita, ideo lege quasi duce usus est Christus ad suam doctrinam declarandam. Ideo ab ipsa lege incipit et primo quidem exponit, quae intercedat relatio inter legem et suam doctrinam, inter legem et regnum cœlorum (Messianum) appropinquans.

V. 17. *Nolite putare.* Quum Christus de se professus est: Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare misit me (Luc. 4, 18.), locutus est parabolice de sua doctrina quasi de vino novo, non in utres veteres, sed in novos mittendo (Luc. 5, 37.), oportere nasci denuo, regenerari, jam venisse horam, quando ne in Jerusalem quidem adoraturi sint Patrem (Joan. 3, 7; 4, 21.), facile: enasci poterat opinio illa, quam impugnat, dicens: nolite putare. — *Veni*, nimirum e coelo in terram. Ita significat, se esse, qui venturus exspectabatur, i. e. Messiam. — *Solvere* (καταλῦσαι), i. e. vi sua privare, irritam reddere, evertere. — *Legem aut prophetas*, vetus Testamentum. Particula: aut (ἔ) negat nervosius eversionem prophetarum, hoc modo: Non modo pentateuchum, qui vulgo pluris habetur, quam ceteri V. T. libri, nolo evertere, sed etiam reliqua volumina sacra, quae pentateucho injuriâ postponi solent, intacta relinquo, i. e. plane nihil scripturae s. eversurus sum (Berl.). — *Adimplere* (πληρῶσαι), nimirum faciendo, quae lex praescribit; exhibendo, quae ceremoniis et figuris adumbrata, aut vaticiniis praedicta et prophetata erant; perficiendo, quae minus perfecta erant, nimirum praecepta moralia explicatius et clarius docendo ac pro poenis praemiisque temporalibus aeterna substituendo, et tandem gratiam legem adimplendi dando (Mald.).

V. [18. Sententiam enunciatam solemni assertionem confirmat. — *Amen.* De hac voce vid. comment. in evang. s. Joan. 1, 51. — *Donec transeat coelum et terra*, i. e. usque dum perierit coelum et terra, seu nunquam (lex interibit). Nam, etsi totus

mundus (rerum universitas) mutabitur (coll. 1 Cor. 7, 31. Rom. 8, 19. seq.), tamen quoad substantiam non peribit, sed manebit in aeternum, quamquam alius et in melius mutatus (2 Petr. 3, 10—13.). Coelum et terra est periphrasis mundi (rerum universitatis), ideo παρέλθῃ in singulari. — *Jota unum aut unus apex.* Jota litera hebraica omnium minima; — κεράια cornu; de literis apex, cornu parvulum, quo literae similes hebraicae inter se distinguuntur, v. c. כ et כּ, ך et ךּ, ן et ןּ. Hic loci Jota et apex metaphorice ponitur de minima V. T. parte. — *Lex*, scil. Mosaica, tanquam praecipua V. T. pars, posita pro toto vetere Testamento.

V. 19. *Quicumque ergo* (οὖν), est corollarium antecedentis. — *Quicumque;* ὅς ἐάν cum aoristo conjunctivi, ubi Latini futuro exacto utuntur, ponitur in N. T., ubi sermo est de re, quae cogitatur non tanquam certo futura, sed tanquam talis, quae, spectatis rei circumstantiis, fieri possit; v. c. 10, 11,¹⁾ Particula ἐάν post pronomina relativa in libris N. T. frequenter legitur pro ἂν. — *Solverit* (λύσῃ), non est ob antithesin cum sequenti verbo: fecerit, idem ac violaverit, transgressus fuerit, sed: vi (auctoritate) sua privaverit, irritum reddiderit (id quod v. 17. καταλῦσαι). *De mandatis istis*, quae verbis: jota unum aut apex unus, significata sunt; seu: aliquod praeceptum, etsi videretur levissimi momenti. — *Et docuerit sic*, et docuerit illa praecepta esse irrita reddita, vi sua privata. — *Minimus vocabitur in regno coelorum*, i. e. ultimo loco consistet in regno Messiano; a dignitate et praemio doctoris longe aberit, et inter eos reputabitur, qui infimum in eo regno occupant locum. Nonnulli²⁾ s. Chrysostomum secuti per minimum intelligunt nullum, hoc sensu: nullius pretii erit in coelo, quia ab eo excludendus est; cui tamen explicationi obstat, quod violatio praeceptorum leviter obligantium non excludat a coelo. — *Qui autem fecerit et docuerit*, qui autem totam legem (omnia mandata) tum ipse fecerit, tum simul eam totam observare alios docuerit. — *Magnus vocabitur in regno coelorum*, erit vere magnus in regno Messiano, in ecclesia, honore et praemio doctoris ornatus, gradum sublimem

¹⁾ Cf. Beelen gram. pag. 342.

²⁾ Mald., Jans., a Lap.

nanciscetur, utpote Dei voluntati etiam in minimis obtemperans, suamque voluntatem divinae in omnibus, etiam minimis, subijciens.¹⁾

V. 20. Redditur ratio (γάρ, enim), cur a suis discipulis postulet, ut cuncta mandata rite servant. — *Dico*, constanter et firmiter assevero. — *Abundaverit* (περισσεύσῃ), superaverit, praestantior fuerit. — *Justitia vestra*, ex legis observantia. Nam observatio legis est fundamentum justitiae (justificationis). — *Plus quam scribarum et pharisaeorum*, πλεῖον τῶν γραμμ., sic dicta comparatio compendiaria pro πλεῖον τῆς δικαιοσύνης τῶν γραμμ.) justitiam scribarum et pharisaeorum. Pharisei enim et legisperiti juxta suas laxas legis interpretationes literae solum inhaerebant, externas actiones curantes, dum spiritum legis (internos affectus, charitatem, humilitatem animi) prorsus negligebant (cf. Luc. 11, 39.).

V. 21. Christus ipse nunc declarat, qua ratione legem impleat, et quomodo nostra justitia debeat esse praestantior quam justitia legisperitorum et pharisaeorum, quum nonnulla decalogi mandata (quintum, sextum, secundum et praeceptum de dilectione inimicorum) exponit. — *Audistis*, scil. in synagogis, ubi lex explicabatur; merito dicit: audistis, quia locutus est ad discipulos e populo assumptos et ad turbas. Interpretes cum antiqui, tum recentiores divertunt, cuinam Christus h. l. et in sequentibus se opponat. Nonnulli interpretes praeprimis a catholici et quidam ex catholicis²⁾ affirmant, Christum se opponere perversae pharisaeorum legis interpretationi. Huic explicationi, juxta quam Christus legis interpres, non autem legislator esset, obstant ipsa verba Christi: Ego dico. — Alii (a Lap.) iterum ob v. 20. et 43. existimant, Christum tam legi, quam pharisaeis se opponere. — Celeberrimi Patres³⁾, et interpretes antiqui⁴⁾ et recentiores⁵⁾ docent, Christum non se opponere legi V. T. sed eam, quae aliquo sensu imperfecta dici potest,

¹⁾ Cf. Bisp., Schegg, Knabenbauer.

²⁾ Massl, Reischl, Bisp.

³⁾ Irenaeus, Clem. Alex., Hilar., Epiph., Basil., Chrysost., Ambros., Hieron.

⁴⁾ Mald., Jans.

⁵⁾ Berl., Arnoldi, Schegg, Schanz, Pölzl, Knabenbauer.

perficere. Quum populus (judaicus) ex Aegypto egressus rudis esset, legibus conditioni ejus accommodatis, regi, coërceri, et paulatim erudiri et ab imperfecto ad perfectius educari debuit, quia lex erat paedagogus ad Christum (Gal. 3, 24.), ideo debuit Christus plus et perfectius docere, quam paedagogus (Knabenbauer). — *Antiquis* (τοῖς ἀρχαίοις). Nonnulli dativum τοῖς ἀρχαίοις positum esse putant pro: ὑπὸ τῶν ἀρχαίων, ab antiquis, et per hos intelligunt antiquos legis doctores et interpretes. Sed huic explicationi obstat collocatio vocabuli; si enim ei opponeretur: ego autem, positum esset τοῖς ἀρχαίοις ante verbum ἐρρήθη (dictum est); dein, cum verba legis a Deo dicta sequantur, ineptum est, asserere, ea ab antiquis esse dicta; nec τοῖς ἀρχαίοις in sequentibus exemplis v. 27. 31. 38. 43. deesse posset. Quapropter tenenda est explicatio eorum¹⁾, qui τοῖς ἀρχαίοις sumunt aut ut merum dativum: antiquis, aut positum pro: πρὸς τοὺς ἀρχαίους, ad antiquos. Per antiquos intelligendi sunt Judaei, qui egressi ex Aegypto legem, decalogum, in monte Sinai acceperunt. — *Non occides*, ne homicidium committito. Est praeceptum legis (Exod. 20, 13.). — Futurum est positum pro imperativo. — *Qui vero occiderit, reus erit iudicio* (ἐνοχος τῇ κρίσει). Verba haec quoad sensum deprompta sunt ex ipsa lege (Exod. 21, 12, Lev. 24, 17. Num. 35, 12. 16.). Vox graeca κρίσις, quae proprie notat iudicium, h. l. coll. v. 22. tanquam synedrio opposita, denotat tribunal inferius, nimirum tribunal septem virorum, qualia in singulis Palaestinae urbibus ad legis praeceptum constituta de levioribus causis cognoscebant. Deferebantur autem ad tale tribunal etiam causae graviores, imo de ipsa poena capitali, gladio exsequenda, in illo cognoscebatur.²⁾ Sensus est: reus esto poenae a iudicio septemvirali homicidii crimini irrogandae, seu: reus esto poenae capitis.

V. 22. Versu hoc perficit Dominus Foederis novi legislator, legem rudi populo datam, ei aliquid addendo, ostendens spiritum illius praecepti, juxta quem non solum facta externa (homicidium opere patratum), sed etiam sola voluntas

¹⁾ Chrys., Theophyl., Euth., Thom. Aq., Mald., Jans., Fr. Lucas, Arn., Bisp., Pözl, Schanz, Knabenbauer.

²⁾ Cf. Jos. Flav., Antiqq. IV. 8, 14., Berl.

(mens) nocendi aut occidendi, odium, ira ejusque manifestationes per verba probrosa et injuriosa vetantur. Quum ira et odium est radix homicidii, merito odium proximi par homicidio, hinc et eodem apud Deum supplicio dignum deputatur; nam completum odium proximi, etiamsi lateat in animo, nec in opus erumpat, homicidium animo et voluntate constituit; talis homo proximum occidit in corde suo, ideoque homicidii reatum inducit. Quod enim perfecte quis odit, optat, non esse, et solo metu continetur, ne violentas illi manus inferat. Quapropter scribit s. Joannes (1 Joan. 3, 15.): „*Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est.*“ ¹⁾ — *Ego*, qui sum legislator novi Foederis, novae legis. — *Irascitur*; id debet intelligi de mala ira, quae tendit in vindictam; nam datur etiam ira justa et sancta, (v. c. ob malum ab homine patratum, cf. Ephes. 4, 26. Marc. 3, 5.). Hinc non est necessarium, ut adsit vox: temere (εἰς ἄν), quae in quibusdam codicibus legitur; ea stante etiam sententiae gravitas elevatur. — *Fratri*; ita dicit consulto, non autem: proximo, ut ita significaret, quod omnes omnino homines sint filii ejusdem patris coelestis, qui ideo mutuo fraternoque amore conjuncti sint oportet. Falsa est explicatio eorum, qui vocem: fratri explicant per: Judaeo. Voces judicio, concilio translatae sunt ad iudicium divinum, ut poena, quam talis incurrit, oculis quasi subjiatur. — *Qui autem dixerit*, scil. iratus ira. — *Raca* (ῥακά), est vox aramaica נָקִיל inanis, vacuus, absque cerebro, significat hominem stupidum, hebetem; vox haec illo tempore erat contumeliam, convicium exprimens. — *Concilio* (συνεδριον) i. e. synedrio. De eo vid. commentar. in evang. s. Joan. 1, 19. — *Fatue* (μωρός). Etiam vox μωρός (insipiens), uti ῥακά exprimit convicium, sed insuper majus. Juxta Hebraeorum cogitandi rationem, qui probitatem pietatemque nominare solebant sapientiam, improbitatem et impietatem stultitiam, sapiens est probus et pius, impius autem stultus. Hinc μωρός h. l. est homo impius, scelestus, imo talis, qui Deum existere negat, atheus. Distinguit ergo Christus tres gradus irae: primus est ira, animo concepta (vindictam petens); secundus est ira prorumpens per contumeliosa et inju-

¹⁾ Cf. Estius in l. c. Joan., Calm. in nostrum loc.

riosa verba; tertius ira prorumpens per maxime contumeliosum verbum (maximum convicium). — *Reus erit gehennae ignis*, per brachylogiam dictum pro: reus est, ut in gehennam ignis detrudatur (ἐνοχος ἔσται, εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός βληθήσεται). — Gehenna a hebraico גֵּי הַחִינּוֹם, vallis Hinnom, vel plene: גֵּי בְרִיחַ, vallis filii Hinnom, erat vallis amoenissima in vicinia Hierosolymae versus austrum sita, olim vero ab impiis Israëlitis dicata infando Molochi cultui, in cuius honorem etiam proles comburebant (coll. 4 Reg. 23, 10.), quam perversitatem ita detestati sunt posteriores Judaei, ut malefactorum hominum et animalium cadavera sordesque omnis generis eo projicerent. Et cum ad cadavera consumenda, ne ex putredine inficeretur aër, continuis ignibus opus esset, factum est, ut ille locus diceretur γέεννα τοῦ πυρός, et ejus nomine appellaretur etiam infernus, locus, ubi impii homines post mortem luunt poenas aeternas. Ita et h. l. debet gehenna intelligi.¹⁾ Quum in regno Messiano non dentur talia judicia, nec tales iudices, nec talis lex, qua juberetur eum, qui alteri irascitur, capite plecti, aut eum, qui alteri conviciatur, lapidibus necari, patet haec Christi verba spiritualiter esse sumenda, nimirum iram et odium non esse parvi pendenda.

V. 23. *Sic ergo*. Est conclusio ex dictis, hoc modo: Quum ira et odium eandem poenam ac homicidium in V. T. mereatur, ideo ergo, si offers. Simulque his inest exhortatio ad reconciliationem faciendam. — *Offers*, si offerendo tuo dono jam occupatus sis. — *Ad altare* (ἐπι), ad altare versus. Laici enim sacrificia ante altare deponebant, quae dein a sacerdotibus in altari ponebantur. — *Frater*, proximus, quivis homo. — *Habet aliquid adversum te*, quod proximus tuus sive juste, sive injuste habeat aliquid adversum te, et in periculo sit, tibi irascendi odiumque in te concipiendi. Verba haec ita esse intelligenda, docent antecedentia. Dixerat Christus, iram, odium severissime punitum iri; hinc consentaneum apparet, ut nunc dicat, irae et odio ante omnia esse occurrendum, atque inter omnia, etiam gravissima sanctissimaque negotia, id praeprimis curandum, ne quis ira et odio in alterum incendatur.

¹⁾ Cf. Wilke — Loch lex. N. T.

V. 24 *Prius* (πρῶτον), ante omnia, seu: omnium primum sit. — *Reconciliari*, ut cum proximo tuo in gratiam redeas efficiasque, ne tibi irascatur, odiumque in te concipiat. — *Et tunc* et secundum sit, ut sacrificium Deo offeras. Per sacrificium enim homo accedit ad ipsum Deum, ut eum offensum placet, ejusque misericordiam impleret. Deus autem non potest placari, nisi prius cum proximo, quem laesit, in gratiam redierit. Loquitur vero Christus de veteribus Judaeorum sacrificiis, quae etiam tunc vigeabant. (Cf. Mald.)

V. 25. Versu hoc et sequenti docet Christus, metaphora de re forensi sumpta, quid sit faciendum illi, qui alteri injuriam intulerit, scil. ei summopere esse curandum, ut proximo laeso reconcilietur. — *Esto consentiens adversario tuo*, obsequere voluntati adversarii, seu facilis esto ad pactionem juxta adversarii voluntatem cum eo faciendam. — *Εὐνοέω* proprie: benevolus sum, bonam voluntatem habeo; hic: obsequiosum me praebeo, facilis sum scil. ad praestandum, sive solvendum id, quod alteri debeo. — *Dum es in via*, scil. ad judicem, i. e. priusquam res ad judicem delata est. Coram judice enim pactio non admittebatur. Juxta jus romanum, quod tempore Christi in Judaea valebat, licuit accusatori adversarium in jus rapere, i. e. eum vi ad judicem ducere. — *Ministro* (ὑπηρέτῃ), viatori, apparitori, qui poenam de reis exigit. Debitor h. l. est, qui laesit; adversarius seu accusator est creditor, seu ille, qui laesus erat, via ad judicium est hujus vitae tempus; judex est Deus; viator (judicii minister) est angelus (coll. 2 Thess. 1, 7.); carcer est gehenna (Mald.).

V. 26. *Inde*, nimirum e carcere. — *Donec reddas novissimum quadrantem*, donec debitum tuum plene persolveris; in applicatione: nunquam, quia poenae pro peccatis mortalibus nunquam persolvuntur. Quidam ob voculam donec (ἕως) vocem φυλακή (carcer) explicant de purgatorio, in quo poena finitur; sed absque necessitate id statuitur. Cf. dicta 1, 25. — *Quadrans* erat quarta pars assis semiuncialis, in N. T. aequans duo lepta. Similis sententia Luc. 12, 58. seq.

V. 27. 28. Christus, postquam iram correxit, etiam concupiscentiam moderatur. — *Non moechaberis*, ne adulterare. Verba sunt deprompta ex lege (Exod. 20, 14. Deut. 5, 18.) —

Viderit mulierem (γυναικα), feminam quandam. Vox γυναικα intelligenda est cum Vulgata de quacumque femina, non autem cum quibusdam¹⁾ de uxore alterius. Nam ὁ βλέπων consideratur ut maritus, uti patet ex verbis οὐ μοιχεύσεις (ne adulterare). — *Ad concupiscendum eam*, hoc fine et hoc animo, ut eam concupiscat; quod jam non est titillari delectatione carnis, sed plene consentire libidini, ita ut non refrenetur illicitus appetitus, sed, si facultas data fuerit, satietur.²⁾ Non ergo hac lege vetantur nec damnantur primi et involuntarii concupiscentiae motus, hi enim, qui sunt sequelae peccati originalis, non sunt in hominis arbitrio et potestate; sed voluntaria, deliberata et procurata concupiscentia interdicitur (a Lap.). Vult itaque Christus succidere radicem et omnem tollere occasionem (Euthym.). — *Jam moechatus est eam in corde suo*, jam animo commisit adulterium et coram Deo, ubi voluisse est fecisse, adulterii reus est.

Ceterum per se intelligitur, a Christo hisce interdici omnem stuprandi cupiditatem.

V. 29. 30. Nunc adhortatur Christus, ut carnis libidinem summa vi opprimant, nec ullum reformident malum, quo subeundo, libidinem ad peccata trahentem extinguant. Sententiam hanc hyperbolice exprimit, imagine deprompta ab arte chirurgorum, qui, quum per unum membrum totum corpus in periculo est, ut corpus i. e. vitam conservent, illud unum membrum resecant, veluti manum vel oculum. Duas corporis partes et nobis carissimas et maxime necessarias, dextrum oculum ac dextram manum, Jesus nominat, ut imaginem reddat vividiores (Cf. Mald.). Sensus est: Carissima quaeque potius, quantumlibet incommodi et doloris id vobis inferat, sunt vobis abjicienda et contemnenda, quotiescunque vobis sunt occasio ad peccandum, quam, ut iis conservatis, culpam et peccatum committatis animaeque, salutis, jacturam faciatis atque in aeternum miseri evadatis (August.). — *σκοπεῖτε* proprie: facere, ut offendant seu impingat aliquis; metaph. aliquem ad peccandum sollicitare, ut h. l.

¹⁾ Erasmo, Mald., Berl.

²⁾ August. de serm. Dom. in monte lib. I.

V. 31. 32. Postquam Christus ad *castitatem* exhortatus fuerat, nunc legem veterem perfecturus, loquitur de divortio (de conjugii vinculi solutione), quale in V. T. in usu erat, hic docens presse, in N. T. nullum dari divortium, sed matrimonii vinculum indissolubile esse, dum duos proponit casus, in quibus adulterium committitur; nimirum, si quis ob aliam causam, quam ob *fornicationem* (adulterium), facta dimissione uxori suae ansam det ad adulterii crimen committendum, si scil. postea cum alio viro rem habuerit, quia etiam facta dimissione adhuc est uxor dimittentis; et si quis quamcunque dimissam duxerit. — *Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii*. Respicit h. l. Jesus locum Deuteronomii (24, 1. seq.). In eo absolute interdicitur matrimonium uxoris dimissae a secundo marito, vel eo mortuo, cum primo marito, et dein praecipitur viro (mulieribus enim non erat permissum, ut darent viris libellum repudii), ut det mulieri libellum repudii, seu schedulam, qua testabatur, se uxorem repudiasse seu dimisisse eique jus tribuere, alteri viro nubendi. Quod autem tale divortium legislator non probaret et tanquam tale, quod naturae matrimonii contrarium esset, consideraret, eo sat clare innuit, quod secundas nuptias dimissae uxoris generatim dicat pollutionem, eodem sensu, quo (Lev. 18, 20. 21. Num. 5, 13.) adulterium vocatur pollutio; hinc illas implicite huic exaequat. Vult itaque permissionem hanc divortii (seu solutionis vinculi matrimonialis) tanquam dispensationem, tanquam concessionem, infirmitati sui populi factam, considerari. Ut jam divortia restringeret, ut unicam divortii causam designat aliquam foeditatem (quid foedi); dein praecipit, ut libellus repudii detur uxori; et tandem illicitum declarat matrimonium uxoris dimissae cum primo marito, si alteri nupserit viro. Hoc ultimo praecepto, uti illo de conficiendo libello repudii praecipue impediabantur levia divortia. Quum nimirum libellus repudii scribendus esset, hac mora primus iracundiae aestus facile refrigescibat et animo tranquilliore omnis res dein melius perpendi poterat. Id eo magis valebat, ubi homo artis scribendi ignarus, scribam adire cogebatur, penes quem erat, libellos repudii scribere, et qui in tali casu multum conferre poterat ad concordiam suadendam,

animum viri pacandum et divortium impediendum.¹⁾ Ceterum dimissio illa docente Christo (19, 9.) permissa erat in favorem uxorum, ne, si Judaeis duro animo praeditis hoc omnino prohibitum fuisset, uxores ab eis male ac crudeliter tractatae, vel omnino necatae fuissent; sed ab initio non fuit sic (coll. 19, 8.); potius in primaria matrimonii institutione indissolubilitas ejus clare expressa, nec non et in natura matrimonii fundata erat. Quod autem causam divortii attinet, inter doctores Judaeorum diversae erant sententiae, quid verba illa legis עֲרֵירָא (Deut. 24, 1.) *rem foedam* significant. Perspicuum est, initio legislatorem in illis verbis non cogitasse de vero adulterio, quia istud poena lapidationis puniebatur (Lev. 20, 10. Deut. 22, 22.); potius per illa verba generatim intellexit rem impudicam, libidinem, lasciviam, impudicitiam. Quum autem aetate Christi adulterium non amplius poena lapidationis puniretur, nonnulli magistri Judaeorum rigidiores, Schammai et schola ejus, verba illa legis interpretabantur de adulterio tantum, hoc ut unicam divortii causam declarantes. Schola vero Hillelis verba legis sensu latissimo sumens, docebat, posse uxorem dimitti quamcumque ob causam (verba legis ita pervertens), v. c. si mulier cibos non apte paraverit, imo (docente Rabbi Akiba) et tunc, si maritus pulchriorem viderit foeminam. Jam huic laxae interpretationi opposite Christus, qui venerat, ut homines a peccatis eorumque sequelis liberaret atque eos ad originalem rectitudinem reduceret, etiam matrimonium ad primaevam suam institutionem revocaturus, omnem dimissionem illicitam declarat, excepta causa fornicationis (adulterii), hujusque causam dicit, *quod, qui uxorem dimittit, eam faciat moechari*, i. e. vir, qui a conjuge se separat, auctor existat adulterii ejus, seu ansam ei praebeat ad adulterii crimen committendum, si scil. illa alii viro nupserit, i. e. maritus criminis adulterii reus sit, quod uxor dimissa committit alii viro nubendo, quia ad id committendum uxori ansam dedit. Jam autem, si uxor dimissa alteri viro nubendo fit adultera, adhuc prioris viri esse debet, seu vinculum prius conjugale non est solutum. — *Excepta*

¹⁾ Aug. contra Faustum c. 26. et lib. I. de serm. Dom. in monte.

fornicationis causa (παρεκτός λόγου πορνείας.) Dum id dicit Christus, unicam nominat causam, ob quam liceat dimittere uxorem, ita ut non faciat eam moechari, seu ut non sit auctor (causa) adulterii uxoris, si cum altero viro rem habuerit; nimirum, si uxor propter adulterium dimittitur. Nam in hoc casu uxor, dum dimittitur, est jam adultera; nubendo iterum (seu rem cum altero viro habendo) tantum continuat adulterium, in quo jam erat. Quatenus igitur Christus adulterium dicit unicam mulieris dimittendae causam, eatenus sententiam scholae Schammai praefert sententiae Hillelis; dum autem dicit: *et, qui dimissam duxerit, adulterat*, utriusque scholae doctrinam tamquam falsam oppugnat, quatenus hi magistri non tantum dimissionem (i. e. separationem a thoro et mensa), sed etiam secundas nuptias concedebant, quas Christus absolute negat, dicens: *et qui dimissam*, i. e. quamcumque dimissam, ergo etiam ob adulterium (in textu enim graeco deest articulus, qua loquendi ratione nulla excipitur dimittendi causa) *duxerit, adulterat*. Si jam ille, qui quamcumque dimissam uxorem in matrimonium ducit, adulterium committit, sponte consequitur, dimissam illam a prioris matrimonii vinculo liberatam non esse, seu vinculum prioris matrimonii non esse solutum, sed durare.

Ex his jam facile intelligitur, vanam et prorsus erroneam esse acatholicorum sententiam, qui huic loco et illi 19, 9. innixi, docent, in casu adulterii uxoris viro licere uxorem dimittere et aliam ducere; nam de viri ejusmodi nuptiis secundis nil dicitur in hoc loco; Christus enim non dicit: qui dimiserit uxorem suam, *excepta fornicationis causa, et aliam duxerit*, moechatur, ex quo sequi videri possit, in casu adulterii uxoris eam non tantum dimitti posse, sed etiam aliam ducere licitum esse. Nec etiam sequitur, Christum dicere voluisse, mulieri ob adulterium dimissae alii viro nubere licere, uti acatholici volunt, verba: *excepta fornicationis causa* inserentes post: *qui dimissam duxerit*; nam Marcus (10, 11.) et Lucas (16, 18.) sine ulla exceptione scribunt: *quicumque dimissam duxerit, moechatur*. Porro, si haec exceptio intelligeretur, melioris esset conditionis mulier, dimissa ob adulterium, quam quae ob morbum aut aliqua alia de

causa dimissa sit, cum adulterae, vivente adhuc priore marito, alias nuptias inire liceret, alteri non liceret. Imo, si is esset sensus verborum Christi, ipse mulieribus, si quae novarum nuptiarum cupidae fuissent, marito suo adhuc vivente, adulterium commendasse censendus esset tanquam medium, quo vinculum prioris matrimonii solvere et cupidini suae possent satisfacere (Mald., a Lap.). Ex verbis illis potius id tantummodo colligendum est: Qui dimiserit uxorem suam in casu adulterii, non est causa (seu auctor) adulterii ejus, si alteri nupserit; fuit enim adultera, antequam alteri nupsit, nubendo iterum solummodo continuat adulterium, in quo jam erat. Nuptias vero secundas mulieris dimissae, vivente marito priore, cum alio contractas, adulterium esse, sive illa mulier fuerit a marito dimissa ob adulterium, sive ex alia quacumque causa, docent verba addita: *Qui dimissam* (quamcumque sine exceptione) *duxerit, moechatur*. Discrimen tantum id obtinet, quod in casu altero (ubi scil. uxor non propter adulterium commissum fuit dimissa) maritus prior etiam culpam adulterii illius habeat, quod ab illa alteri viro se conjugendo committitur. Pro his itaque Jesus, qui verbum ἀπολῶ sumit significatu: *e manu et potestate viri emittere*, loquitur de sic dicta separatione a toro et mensa, ita ut matrimonii vinculum non rumpatur. Judaei quidem, apud quos omnis dimissio dato libello repudii simul divortium (i. e. solutionem vinculi matrimonialis) involvebat, haud poterant Christum ita loquentem plene intelligere; sed Christus ut interpres et perfectior legis veteris, voluit hic presse loqui, alias (19, 9.) mentem suam clarius expositurus. Ex hisce vero simul patet, hunc locum (nec illum 19, 9.) non pugnare cum locis Marci (10, 11. 12.), Lucae (16, 18.) et Pauli (1 Cor. 7, 10. 39.), in quibus totalis matrimonii solutio interdicitur; potius cum eis consentire. Vide reliqua 19. 9.¹⁾ Arbitraria est versio verborum graecorum: παρεκτός λόγου πορνείας, per: licet adultera sit; quum παρεκτός significet semper: praeter, re (quae sequitur) excepta.

¹⁾ Cf. Mald., a Lap., Berl., Arnoldi, Reischl, Bisp., Frenzel de indissolubilit. matrim. comment. p. 26. seq.

Πορνεία fornicatio h. l. est adulterium (fornicatio in matrimonio cum tertio commissa), docente id toto contextu, in quo est sermo de vera uxore, et arcta relatione, in qua verba haec sunt posita cum loco V. T. Quapropter perperam demonstrare conatur Doellinger¹⁾ vocem *πορνεία* h. l. et 19, 9. significare fornicationem (concubitum viri et feminae extra matrimonium), affirmans, Christum solummodo hoc in casu permittere, ut vir dato libello repudii se ab uxore separet, si factis nuptiis detegeret, uxorem suam jam ante matrimonium fornicatam adeoque virginem, qualem se professa fuerat, non esse. In tali enim casu, uti dicit, juxta mores Judaeorum, apud quos quodvis matrimonium ea sub conditione iniebatur, ut sponsa adhuc virgo sit, nullum erat matrimonium; quia ex parte viri consensus, qui ad matrimonium valide ineundum ex utraque contrahentium parte absolute necessarius est, non erat supponendus, quum certo eam, si vitiatio ejus ipsi nota fuisset, in matrimonium non postulasset; sed erat fraus (deceptio) juxta legem poena lapidationis punienda. Quamvis haec lapidationis poena eo tempore non amplius locum haberet, in usu tamen, uti ille auctor observat, erat, ut vir fraude detecta talem vitiatam uxorem dato libello repudii parentibus illius remitteret: qua re autem non fiebat solutio vinculi matrimonialis, sed tantum declaratio nullitatis matrimonii, quo, uti addit, illaesa manet doctrina Christi de indissolubilitate vinculi matrimonialis. Inde etiam, uti dicit, intelligitur, cur unicus Matthaeus hujus exceptionis faciat mentionem, quum hic solus scripsit in gratiam christianorum, collectorum ex Judaeis, apud quos leges istae in usu erant. Sed recte alii observant, ex hac explicatione sequeretur corollarium juri ecclesiastico catholico inimicum. Tunc enim maritus quisque, qui uxorem inito matrimonio repererit non virginem, matrimonium ut nullum proclamare, et novum ut sibi concedatur, inire postulare posset. Nec porro verum est, quod auctor ille affirmat, vocem *πορνεία* semper significare fornicationem, nunquam vero, nec in N. T., nec apud 70, nec apud profanos scriptores adulterium. Contrarium jam inde patet, quod defectio populi Israël a Jehova et cultus idolorum in A. T. (Hos.

¹⁾ Christenthum und Kirche.

2, 4; 3, 3; 4, 14.) vocetur πορνεία, i. e. adulterium, quum necessitudo populi Israël cum Jehova repraesentaretur saepe sub imagine conjugii (cf. 12, 39.). Etiam apud Jeremiam (3, 9; 13, 27.) voces πορνεία et μοιχεία, πορνεύειν et μοιχεύειν promiscue adhibentur; praeprimis autem apud Ezechielem (23, 43. seq.), ubi, quamvis Samaria et Hierosolyma expresse nominentur adulterae, tamen earum agendi ratio idololatrica dicitur πορνεία. Generatim est πορνεία notio latior, μοιχεία vero strictior; utrum πορνεία significet fornicationem, an vero adulterium, ex contextu eruendum est. Ita Clem. Alex. (Stromm. 3.), Chrysostom. (hom. 73. in Joan.), Basil. (can. 21. ad Amphilocho.) vocem πορνεία adhibent significatu adulterii. — Schegg verba: excepta fornicationis causa ita explicat: quia adulterium jam juxta legem morte puniebatur, hinc hoc in casu matrimonium morte solvitur. — Tali modo interpret hic supponit, Christum rigide juxta legem (Lev. 20, 10.) mortem adulterae postulare; cui tamen jam pericopa de adultera (Joan. 8, 3. seq.) adversatur. Porro, si tunc temporis adulterae adhuc poena mortis multatae fuissent, aut si Jesus legi mortem adulterae postulanti conformiter locutus fuisset, exceptio illa a Christo facta superflue addita esset, quia tum non posset interrogari de dimittenda adultera; si autem adulterae non amplius occiderentur (uti revera non amplius erat in usu), utique verba: excepta fornicationis causa, continere debent exceptionem, quo in casu permissa sit separatio ab uxore. — Prorsus etiam arbitraria est explicatio Patritii, qui πορνεία h. l. sumit significatu: concubinatus, matrimonium vetitum ob propinquum consanguinitatis gradum.¹⁾ Huic obstat, quod in toto contextu sermo sit de re matrimoniali, et de vera uxore.

Alii²⁾ verba: παρεκτός λόγου πορνείας vertunt: seposito sermone de fornicatione, ac si Christus dicere velit: de casu et quaestione πορνείας, quae inter pharisaeos disceptatur, ego nihil dicere volo. Hanc igitur clausulam referre vult ille auctor ad disceptationem inter rabbinos Hillel

¹⁾ Cf. Bisp., Reischl in Matth. 19, 9.

²⁾ Dreher in periodico Katholik 1877, II. p.

et Schammai, quid sit illud Deut. 24. 1. עֲרוּת דְּבָר, et Christum dicere, seposita hac quaestione, de qua nihil decernere velit, imo ne loqui quidem, a se statui, ut quicumque uxorem dimiserit etc. At explicatio haec, si verba spectentur, est dura; si contextus consideretur, nulla re indicatur, Christum illam disceptationem velle a se repudiare, quum suam legem non statuatur contra pharisaeos, sed ratione habita libelli repudii. — Durum nimirum est: praeter disputationem fornicationis vel praeter causam fornicationis explicare: de ea re nolo sermonem fieri, idque durius quoque, quia haec parenthesis eo loco inseritur, quo ut talis jam non cognoscitur, sed quo ex ipsa collocatione refertur ut exceptio vel limitatio ad πᾶς ὁ ἀπολύων τ. γ. (Knabenbauer p. 230.)

V. 33. Nunc transit Christus ad juramentum. — *Non perjurabis*, sive falsum jurando, sive non complendo, quod jura-veris. Verba haec habentur Exod. 20, 7. Deut. 5, 11. Lev. 19, 12. — *Reddes autem Domino juramenta tua*, persolve, quod juramento promiseris, tamquam Domino debitum. Verba haec occurrunt Num. 30, 3. Deut. 23, 21. Rabbini jam utramque sententiam conjunxerant, omnem vim ponentes in verbum: Domino, docentesque tantum juramenta per Deum (invocato nomine Jahve facta) obligare, omnia alia juramenta, quae fiunt per res creatas, sive per coelum, sive per terram, sive per civitatem sanctam, sive per caput, non obligare, nullam vim habere. Huic jam pharisaeorum doctrinae oppositae Christus legem veterem de juramento explicat.

V. 34. *Non jurare omnino* (ὅλως). Nonnulli interpretes¹⁾, quia in sequentibus posita est particula μήτε — μήτε, quae est particula partitiva (disjunctiva), id quod antecedit: non jurare omnino, in suas partes dividens, non autem posita est particula μηδέ-μηδέ, quae est particula conjunctiva, ad antecedens aliquid addens, affirmant, vocem ὅλως (omnino) non esse absolute, sed relative positam sumendam, ita ut juramentum per Deum non sit prohibitum, sed solum illa juramenta, quae postea enumerantur. Notant simul, si abso-

¹⁾ Mald., Bisp., Reischl, Pözl.

lute interdictum esset jurare, in sequentibus sententiis non posset deesse juramentum per Deum. — Sed graeci interpretes et plerique alii¹⁾ affirmant, verbis Christi omne juramentum prohiberi, et ad praeceptum hoc generale addi quasdam juramenti species in more positas et male intellectas. Atque haec explicatio tenenda est. Nam discrimen illud inter μήτε et μηδέ non observatur ubique et μήτε — μήτε etiam ponitur, ubi alterum membrum priori adjungitur.²⁾

Explicationem hanc postulat oppositio ad v. 33. facta et etiam postulatur rationibus in v. 35. adductis; haec enim juramenta vetantur, quia proprie sunt juramenta per Deum, hinc, uti etiam vox ἕως indicat, omne interdicitur juramentum.

Quum in novo Foedere ipse Christus juravit (Matth. 26, 63.) et s. Paulus saepius dicta sua juramento confirmavit (Rom. 1, 9. 2 Cor. 1, 23. Gal. 1, 20. Phil. 1, 3.), quaeritur, quo sensu sit intelligendum Christi praeceptum? Christus sua prohibitione docet, jusjurandum per se non esse bonum, neque appetendum (s. Aug.), et christianos merito ea inter se esse debere fide et dilectione, ut nulli inter eos juramento locus relinquatur. Ast possunt quandoque adesse tales circumstantiae, ob quas juramentum est necessarium; hinc etiam licitum; si nimirum alioquin proximus adduci non potest, ut id credat, quod expedit et recta ratio exposcit, ut ei persuasum sit.³⁾

Ast ne putarent, solum juramentum per Deum factum prohiberi, addidit, simul explanans verum sensum aliorum juramentorum: *Neque per coelum, quia thronus Dei est*, quia, qui per coelum jurat, simul jurat per eum, cujus coelum, quasi solium est, qui coeli dominus est, adeoque juramentum tale etiam sanctum et obligatorium est. Solium (thronus) dicitur coelum, quia in hoc Dei opificio astris ornatissimo, divina majestas eximie elucet, quemadmodum regum terrenorum majestatem splendida ornamenta varii generis conspicuam reddunt. (Rosenmüller.)

¹⁾ Jans., Schanz, Knabenbauer.

²⁾ Conf. Winer Grammatik des neuen Sprachidioms §. 55, 6.

³⁾ Conf. Estius Commentar. in epist. 1. Jacobi 5, 12.

V. 35. *Quia scabellum pedum ejus*, quia, qui jurat per terram, jurat per eum, qui terram creavit, qui et terrae dominus est. Dictio: *scabellum pedum*, desumpta est e Jesaia (66, 1.) ubi terra opposita coelo, tanquam Dei solio, *scabellum pedum ejus* compellatur. — *Quia civitas est magni Dei*, quia, qui per Hierosolimam jurat, jurat per Deum, cui urbs haec sacra est. Hierosolymae erat Dei templum, erat quasi regia regis Judaeorum, hinc urbs Deo sacra (cf. 4, 5.). Quum Judaei Deum sibi cogitarent tanquam regem suum supremum (Jes. 41, 21.), h. l. verba: *rex magnus*, valent idem ac: *Deus*.

V. 36. *Neque per caput tuum*, per vitam, salutem tuam; nam et ita per Deum juras, vitae, salutis, auctorem. — *Quia non potes unum capillum facere album aut nigrum*, quia non es capitis, vitae tuae dominus, nec tantum potestatis habes, ut unius capillorum tuorum colorem pro arbitrio tuo mutare valeas. Docet ergo Christus his versibus, per quancumque rem jura-verit homo, jusjurandum ob rerum istarum ad Deum relationem pertinere ad Deum et obligare; hinc non levi animo jurandum. Cf. 23, 16.

V. 37. Christus autem nunc docet, quomodo in regno ipsius juxta ideam divinam esse debeat. — *Sit autem sermo vester*, nimirum si quaerenti respondetis. — *Est, est, non, non*, i. e. vestrum sit, in respondendo rem quamcunque aut simpliciter negare, aut simpliciter affirmare, non addita ulla obtestatione. — *Quod his abundantius est*, quidquid supra simplicem affirmationem aut negationem addideritis, seu quaevis obtestatio. — *A malo est* (ἐκ τοῦ πονηροῦ). Christus non dicit: malum est, sed a malo, quia juramentum quando est necessarium non est malum, potius aliquid sanctum, quum juramentum sit professio Dei omniscii et veracis. Est autem ejus necessitas a malo. Necessitas juramenti orta est ex mendacio et inde oriunda incredulitate et diffidentia hominum. Quum autem diabolus est pater mendacii (Joan. 8, 44.), hinc necessitas jurandi ultimo a diabolo originem habet, seu diabolus habet auctorem. Si nulla essent mendacia in mundo, nullo opus esset juramento in hominibus; et si religio christiana universum mundum penetrasset hominesque omnes in melius transmutasset, juramenta

sponte cessarent, uti id invenitur in primis christianis. Non diversa est interpretatio, qui verba a malo sumunt genere neutro, per eam vocem intelligentes malam, corruptam hominis naturam. Si enim homo lapsus non fuisset, inter homines nullae obtestationes, nullum jusjurandum intercederet. Nam, qui jusjurandum exigit, dubitat de veritate alterius, et qui sua sponte jurat vel obtestationes interponit, concedit, se esse dubiae et ancipitis fidei. Utrumque igitur, et quod jusjurandum ab altero postulatur et quod quis sua sponte jurat, homines lapsos, corruptos, peccatis deditos ponit. Quum igitur homines non tales sint, quales juxta ideam divinam esse debeant, ideo necessitas jurandi potest adesse. Quia etiam Deus in s. scriptura jurasse perhibetur, quatenus ob diffidentiam vel pusillanimitatem hominum promissiones suas firmare vult, haec altera explicatio praeferenda est.

V. 38. Nunc Christus aliis exemplis docet, quomodo venerat legem veterem perfectam redditum. — *Oculum pro oculo et dentem pro dente*, nimirum dabis. Verba haec sunt legis Mos. (Exod. 21, 24. Lev. 24, 20. Deut. 19, 21.); sensusque est: In lege statutum erat, ut jure talionis puniantur et hac ipsa re cohibeantur caedes et laesiones aliorum. Hoc jus talionis juxta legem (Lev. 24, 20. Deut. 19, 21.) nonnisi judicis decreto exercitium est; postea tamen quivis homo privatus id exercuisse videtur; quare docet, in regno ipsius non vindictam, sed charitatem regnare debere.

V. 39. *Ego autem dico vobis, non resistere malo*. — Vox malo potest vel masculino vel neutro genere sumi. Si prius fit, per malum esset intelligendus homo malignus, injuriosus, et Christus h. l. praecepisset, ne homini inferenti injuriam resistamus, repugnemus. Nonnulli (Mald., a Lap.) vocem istam neutro genere accipiunt, hoc sensu: ne malo seu injuriae illatae resistamus eamque averruncare studeamus. Sed priorem explicationem postulant sequentia: sed, si quis te percusserit. — In sequentibus per exempla illustrat regulam vitae christianae: non resistere malo, docetque illi potius charitatem et patientiam christianam opponendam esse. Sensus totius versus est: Noli, si quis te malo affectit, ei vicissim re-

pendere; potius ad aliud malum, etiam majus christiana charitate et patientia perferendum paratus sis.

V. 40. *Qui vult tecum iudicio contendere*, litigare coram iudice. — *Et tunicam tollere*, tunicam tuam ut pignus pro debito quodam auferre. Tunica est vestis interior vilis, quae nudo corpori induebatur. — *Dimitte ei et pallium*, pretiosius vestimentum, pallium, quod ne iudex quidem actori tuo addicere potest. Juxta legem Mos. (Exod. 22, 26.) pallium tantummodo usque ad vesperam pignori poterat haberi, quia pauperes eo noctis tempore simul tanquam tegumento utebantur. Ceterum pallium (ἡμάτιον), quod erat vestis superior, totum corpus operiens, erat pannus quadratus. Sensus totius versiculi est: Quidlibet temporale, etiam necessarium aut maxime pretiosum, potius auferri nobis sinamus, quam ut pro eo lite, qua animi magis exacerbantur, contendamus. — Lucas (6, 29.) ordinem invertit.

V. 41. *Quicumque te angariaverit mille passus*, qui te coegerit ire secum quintam partem milliarii germanici. — Verbum angariare (ἀγγαρεύειν) est persicae originis. Apud Persas angari (ἀγγαροί) erant cursores (tabellarii) publici, ex instituto Cyri, regis Persarum, in certis stationibus cum equis ad itinera adhibendis dispositi, quorum alter alteri mandata regis traderet, ut eo citius ad locum destinatum perferrentur. His angaris id juris erat, ut possent, si opus esset, cujusvis heri equos navesque atque adeo sibi obvios homines ad cursum secum rapere. Hinc angariare est: cogere vel impellere aut ad iter praestandum, aut ad onus ferendum, vel ad quodvis ministerium subeundum. (Cf. Berl.). — μίλιον milliare, spatium mille passuum, aequabat milliare romanum, octo stadia Graecorum, quintam partem milliarii germanici. — *Vade cum illo et alia duo*, i. e. duplum operae a te expetitae praesta. Verba: et alia (ἔτι ἄλλα), quae in codicibus graecis fere omnibus desunt, sunt spuria.

V. 42. *Qui petit a te, da ei*, gratis sibi dari roganti da. — *Et volenti mutuari a te, ne avertaris*, et qui a te mutuum sumere sine usuris velit, noli ei, quod a te petit, negare, tergum ei obvertendo, etiamsi praevideas, eum vel nolle, vel non posse reddere. — Christus h. l. sine dubio in mente habet, ut mu-

tuam demus pecuniam sine usuris, quum foeneratio Judaeis per legem Mos. (Exod. 22, 25. Lev. 25, 37. Deut. 23, 20.) interdicta esset. Vult ergo Christus hisce, ut liberales simus erga eos, qui rebus adversis premuntur. — Ceterum dicta a v. 39—42. non esse absolute praecepta, ita ac si homini christiano semper, omnibus in circumstantiis, essent observanda, nec ulla modesta et legitima defensio esset permessa, inde patet, quod partim iisdem praeceptis semper satisfaciētes, saepius laederemus praeceptum maximum de Dei et proximi amore; partim contrarium docet exemplum Christi, qui illi Caiphae satelliti, qui unam ejus maxillam percussit, non etiam alteram praebuit (Joan. 18, 23.) sed, etsi non manu, tamen lingua restitit, ita dicendo: „*Si male locutus sum, convince me mali sermonis; si autem bene, quid me caedis?*“ — Idipsum docet et s. Pauli exemplum (Act. 23, 3.), qui jussu Ananiae, summi sacerdotis, virgis caesus, non modo non alteram maxillam praebuit, sed quantum potuit, restitit, et minis adeo Ananiam insectatus est. Imo si praecepta illa absolute intelligenda essent, ne magistratibus quidem et praepositis liceret punire homicidas, latrones, fures, immorigeros... contra apertam doctrinam et agendi rationem Apostolorum (coll. Rom. 13, 1. seqq., 1 Pet. 2, 13. 14, Act. 17, 35—40; 22, 23—29.). »Praecepti haec sunt, dicit Maldonatus, primum, ut vindictam non quaeramus;... consilii autem est, ut quamvis neque charitas, neque Dei gloria id a nobis exigit, mortificationis tamen nostrae causa ad verbum haec omnia faciamus.«

V. 43. Nunc Christus proponit summum religionis christianae florem, dilectionem inimicorum. — *Diliges proximum tuum* (πληρώσον σου). In libro Levitici (19, 18.), unde haec verba desumpta sunt, legitur: diliges tuum 𐤀𐤋, quae vox hebraica significat amicum, socium, contribulem, ita ut ea lege Judaeis praeciperetur, ut eos diligenter, quibuscum iis esset societas aut consuetudo. Quum autem Judaeis vi legis tantum esset societas et commercium cum gentis suae hominibus et cum proselytis, elucet, hoc praeceptum dilectionis proxime solos hos in mutua vitae consuetudine spectasse (coll. Exod. 23, 4. 5. Deut. 22, 1.). — Verba:

et odio habebis inimicum tuum — in lege Mos. non sunt scripta. Ideo plerique merito existimant, fuisse hanc conclusionem a doctoribus Judaeorum inductam ex variis legis locis, in quibus Judaeis interdicebatur, ne foedera ineantur cum alienigenis (Deut. 7, 2.), nec facerent pacem cum Ammonitis et Moabitis (Deut. 23, 6.), aut praecipiebatur, ut deleantur Amalecitrae (Exod. 17, 14. Deut. 25, 19.), uti ex variis Psalmis imprecatoriis, in quibus maledicta et probra enunciantur in inimicos Dei et populi. Quum religionis morumque puritatis servandae causa Judaei prohiberentur a commercio cum gentilibus, quum gentiles plurima facerent, quae apud Judaeos immunda censebantur, etiam facile fieri potuit, ut pharisaei, aemulatores legis, tale odium ut rem sacram proponerent (Knabenb.).

V. 44. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, talibus, qui animum hostilem, inimicitias erga vos gerendo, produnt, bene cupite (et facite, si possibile). Ideo dicit ἀγαπάτε, et non φιλεῖτε, quod verbum dicitur de amore, quo juncti secum amici, familiares, cognati esse solent (cf. Joan. 11, 3.). — *Benefacite his, qui oderunt vos*, opere beneficia eis praestate, qui odium erga vos quoquo modo prodiderunt. — *Et orate pro persequentibus et calumniantibus vos*. Est tertius charitatis gradus. Attamen verba, quae in nonnullis codicibus graecis leguntur: *benedicite iis, qui vobis maledicunt, benefacite his, qui oderunt vos*, uti et verba: *calumniantibus vos ante: et persequentibus vos*, quum in compluribus codicibus, versionibus et Patrum citatis non reperiuntur, e Luca (6, 27. seqq.) huc traducta esse videntur (cf. Kuin.).

V. 45. *Ut sitis filii patris vestri*, ut, sicut liberi parentibus sunt similes, indolem referatis Patris vestri coelestis (cf. commentar. in evang. s. Joan. 1, 12.). Vid. 5, 9. Verba haec motivum continent. — *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super justos et injustos* (ὅτι.); i. e. nam Deus beneficia sua confert in bonos et malos. Particula ὅτι valet idem ac γάρ: enim; quia h. l. causa affertur, cur inimici diligendi sint.

V. 46. Verbis his inest alterum motivum. — *Habebitis* (ἔχετε), ergo quum in graeco est praesens, proprie: habetis,

hoc sensu: quid praemii, apud Deum decreti (reservati) habetis? — *Publicani* (τελωναι a τέλος vectigal et ὠνέομαι emo); graeca vox verti debet per: portitores, qui publicos redditus exigebant. Publicani enim erant equites romani, qui conduxerant vectigalia publica; his subditi erant portitores (τελωναι), seu vectigalium exactores, qui a mercatoribus, nautis aliisque tributa exigebant. Quod quum turpissimo lucri studio ducti acerbè et inique facerent, omnibus hominibus maxime erant exosi, imprimis Judaeis, sive ex gentilibus erant, sive ex Judaeis. Quare in N. T. eodem numero habentur, quo peccatores, meretrices, raptores, latrones, i. e. homines nequissimi, sceleratissimi (Berl.).

V. 47. *Fratres, cognatos.* — *Quid amplius facitis*, quid eximii facitis, quo nimirum aliis antecellitis. — *Hoc*, ut suos cognatos saluent. Lectio: ethnici praeferenda lectioni: portitores (τελωναι). Cf. 23, 7.

V. 48. *Ergo* (ὁυν), i. e. quum talis amor coram Deo pretii expers est. — *Estote perfecti*, eo nimirum, quod juxta Dei exemplum inimicos vestros diligitis. — *Vos*, in oppositione ad pharisaeos, legisperitos, portitores, et gentiles. Quum autem ille, qui in charitate Dei imaginem perfecte refert, etiam in aliis perfectus fiat, in hac ad perfectionem cohortatione etiam simul latet cohortatio ad omnimodam perfectionem in virtutis pietatisque operibus.

Caput VI.

Continuatio sermonis montani.

Capite antecedenti inde a v. 20. ostendit Christus, non esse acquiescendum litterae legis, sed se a suis asseclis postulare justitiam, quae multum emineat prae justitia pharisaeorum et scribarum; nunc docet, quomodo eandem justitiam pharisaeorum superare debeant in modo et intentione faciendi ea, quae sint suis communia cum illis. Quum operibus bonis hostis valde perniciosus sit appetitus laudis humanae, ideo monet, ut in studio justitiae sibi caveant ab appetitu laudis humanae.

V. 1. *Attendite* (προσέχετε, scil. τὸν νοῦν), mentem diligenter ac sedulo advertite. — *Justitiam* opera justitiae, opera bona, actiones virtutum. — *Coram hominibus*, publice (cf. 5, 16.). — *Ut videamini*, eo consilio, ut videamini ab hominibus. — *Alioquin*, si vobis non caveritis. — *Mercedem non habebitis*. Quum in graeco est praesens, sensus est; praemium apud Deum in coelo reservatum non habetis (cf. 5, 12. 46.). Nominat autem Patrem, ut eo nomine nos excitet ad studium placendi Deo, non vero hominibus. Nunc a toto ad partes descendit, enumerans tria virtutum opera, quae in externis actionibus consistunt.

a) De eleemosyna (2 — 4.).

V. 2. *Ergo* (οὖν), quae quum ita sint, nimirum quod nihil praemii apud Deum reservati habeat homo, si hominum causa justitiae studeat. — *Noli tuba canere ante te*, in eroganda stipe omnem ostentationem et strepitum sedulo declina. Ita et non proprie verba haec sunt accipienda, uti nonnulli ea sumunt, contententes, pharisaeos stipem daturos buccinatoribus usos fuisse, ut pauperes ad stipem accipiendam concurrerent; pro qua tamen sententia deest testimonium historicum. — *Hypocritae* in N. F. sunt simulators pietatis. — *In synagogis*, in conventibus sacris; in his nimirum pharisei stipem erogare solebant. — *Receperunt* (ἀπέχουσιν), seu: jam reportatam habent (tenent). — *Mercedem suam*, honorem et laudem ab hominibus, ideoque nil amplius iis exspectandum est.

V. 3. *Te*, antepositum ad agendi rationem pharisaeis oppositam gravius designandam. — *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*, i. e. eleemosyna tua tam occulte fiat, necesse est, ut, si manus sinistra oculos haberet, videre tamen non posset, quid dextera faciat, seu: beneficia in alios confer quam potes occultissime (cf. Lap.). Ceterum actio h. l. tribuitur dexterae, quia longe frequentior esse solet usus ejus, quam sinistrae.

V. 4. *Ut sit eleemosyna tua in abscondito*, tibi soli et Deo cognita. — *Qui videt in abscondito*, in occulto, hinc etiam, quae in occulto fiunt. — *Reddet*, scil. stipes, quas in alios contulisti, i. e. te olim remunerabitur beneficiis coelestibus. — In nonnullis codicibus graecis h. l. et v. 6. atque 18. occurrunt adhuc verba:

ἐν τῷ φανερόν (palam, in publico), i. e. die iudicii extremi, coram omnibus (coll. Luc. 14, 14. Rom. 2, 16.); sed sive adsint, sive desint, sensus non mutatur.

b) De oratione (5—15.).

V. 5. Nunc docet, non esse propter hominum laudem fundendas preces. — *Oratis, non eritis*, pluralis praeferendus singulari numero. — *Qui amant*, qui cum delectatione et complacentia preces fundunt. — *In angulis platearum*, in bivii et triviis; ubi plures viae coeunt ac magnus hominum concursus esse solet. — *Stantes*. Judaei preces fundere solebant vel stantes (3 Reg. 8, 22; 19, 18. Marc. 11, 25. Luc. 18, 11.), vel flexis genibus (3 Reg. 8, 54; 19, 18. Luc. 22, 41. Act. 9, 40.). — *Ut videantur*, eo consilio, ut videantur ab hominibus et tamquam pii laudentur. Christus non absolute improbat preces in synagogis, nam et ipse eas frequentabat; nec etiam preces publicas, ipse enim publice oravit (Joan. 11, 41.); sed vituperat eas tantummodo preces publicas, quae impuro motivo suscipiuntur, eo nimirum, ut orans laudem hominum venetur.

V. 6. Verbis his nil aliud voluit Jesus, nisi per oppositionem coarguere simulatorum vanitatem atque docere, preces esse faciendas sine ostentatione, ita ac si id fieret oclulis foribus (cf. v. 4.).

V. 7. Nunc docet, in precibus vitandam esse etiam loquacitatem, supervacaneam et inanem studio affectatam verborum copiam. — *Multum loqui*. Verbum βαττολογέω alii (Suidas) derivant a Batto quodam balbutiente; rectius tamen alii putant, verbum hoc esse onomatopoeieticon, i. e. a voce graeca sonum balbutientium imitante; hinc βαττολογεῖν balbutire, garrere, multa et inania facere verba. Cui explicationi favet sequens πολυλογεῖν. Bene scribit s. Augustinus (epist. 121. ad Dioscor.): »Multum loqui in precando est rem necessariam superfluis agere verbis; multum autem precari est ad eum, quem precamur, diuturna et pia cordis excitatione pulsare; nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur.« *Ethnici*, sicut homines, qui verum Deum nec agnoscunt, nec colunt.

V. 8. *Scit enim Pater vester.* Verbis his affert causam, cur in precibus gentilium consuetudo sit vitanda, quippe quae minus rectam in precantibus scientiae Dei notitiam supposebat. Ast, si tamen ad Deum preces fundimus, id facimus, ut nostrae dependentiae a Deo nostraeque fiducia in eum documenta demus, et ut docente s. Augustino cor nostrum, quod per orationem serenatur et purgatur, capax efficiamus ad excipienda munera divina, quae spiritualiter nobis infunduntur. — Ceterum verbis his Christus haud improbat preces longiores, nec repetitiones earundem precum (v. c. orationis Dominicae, rosarii), hoc patet ex ejus agendi ratione, quum et ipse saepe longas fuderit preces, imo et easdem repetierit (Matth. 26, 44.); idem ex praxi discipulorum Christi ejusque ecclesiae elucet.

V. 9. Quum ostenderet Jesus, quomodo preces non sint faciendae, nunc data hac occasione monstrat, quomodo sint instituendae. Eadem precationis formula occurrit Luc. 11, 1., ubi Christus a discipulorum quodam rogatus, ut eos precari doceret, sicuti Joannes B. id suis discipulis fecerit, eandem proponit. Desunt tamen ibi nonnulla membra, ideoque minus plena est, quam ista apud Matthaeum. Quum utroque loco prorsus opportune adsit, recte colligitur, Christum his eam protulisse. Similiter etiam vera videtur eorum sententia, qui statuunt, Christum voluisse et certam in futurum servandam formulam precum proponere, et exemplo docere, quanam praecipue sectatoribus suis et quomodo a Deo sint expetenda. Quapropter ecclesia mentem Domini assecuta, tum ipsam hanc precandi formulam de verbo ad verbum servatam adhibet, tum ad Apostolorum exemplum aliis etiam precum formulis utitur, huic et generatim genio doctrinae Christi conformibus.¹⁾ — *Sic;* spectat vox haec ad sequentem precationem, quo autem non simul praecipitur, ne alia simili sententia in precibus utamur (Aug.). — *Vos,* qui non estis gentiles. Orationem hanc Tertullianus (de orat. c. 1.) dicit brevium totius evangelii et s. Cyprianus eam appellat coelestis doctrinae compendium (de orat. dom. 2.). — *Pater.* Patrem statim ab initio vocari vult Christus Deum a suis ob summam illius boni-

¹⁾ Cf. a Lap., Calm.

tatem, quam praeprimis ostenderat, Filium suum pro salute nostra in mortem tradendo; sed simul hocce nomine voluit animum nostrum ad fiduciam in Deum erigere. In V. T. Deus plerumque Dominus, (quum homines in numero essent servorum), raro autem vocabatur Pater; si in summo versaretur periculo Judaeus, Deum nomine Patris, sed cum tremore allocutus est. Quod ergo in A. T. raro et nonnisi cum tremore fiebat (quasi per anticipationem), id in N. F. semper fiat oportet. Nam in N. T. homo per redemptionem in Christo Deo suo restitutus, novus, renatus, simulque filius Dei (adoptivus) esse coepit (cf. Rom. 8, 15. seq.). — *Noster*. Vocabulum hoc monet, omnes homines tamquam fratres considerandos esse. — *Qui es in coelis*. Verbis his designantur coeli ut habitatio Dei, ut thronus divinae majestatis. Sed verba haec simul significant summam majestatem et potentiam Dei; nam ideo, quia in coelis habitat, Deus est infinitus, supra omnia elatus, omnipotens. Tandem monent haec verba, ut mentem nostram ad coelum, patriam, haereditatem nostram (Hebr. 13, 14.) convertamus. Inde etiam elevatio manuum in precibus fundendis, quasi naturalis expressio desiderii interni. — *Sanctificetur nomen tuum*, tua summa majestas et perfectio ab omnibus agnoscatur et celebretur, seu: pie tu colaris a cunctis hominibus, et quidem non solum te Deum cognoscendo et voce celebrando, sed et vitae sanctitate et studio spargendi cognitionem Dei omnesque ad ejus amorem adducendi. Nam vox: nomen hic loci notat ipsam Dei essentiam, ipsum Deum. Verbum graecum ἁγιάζειν, quod proprie notat: sanctum facere, in sacrum cultum seligere, etiam notat: tamquam sacrum venerari, colere, ut h. l.; quapropter s. Chrysostomus verbum hoc explicat per: δοξάζεσθαι, celebrari, glorificari.

V. 10. Petitio haec cum priore arte cohaeret; nam Dei gloria tanto magis (ad extra) extenditur, quanto magis regnum ejus propagatur. — *Adveniat regnum tuum*, regnum tuum (ecclesia Christi) magis magisque propagetur inter homines eosque vi sua sanctificante in dies transformet atque consummatum omnes beatos reddat. — *Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra*, omnia fiant in terra tuae voluntati convenienter; seu: quaecunque decrevisti ab hominibus vel facienda, vel patienda,

haec homines omnia tuis jussis et desideriis convenienter et faciant et patienter ferant.¹⁾ In regno enim Dei voluntas Dei debet esse lex. — *Sicut in coelo*, tam prompte alacriter et exacte, uti angeli et sancti in coelis voluntati tuae plene obsequuntur.

V. 11. Quum in praegressis tribus petitionibus nos edoceat Christus precari vel optare, quae Dei sunt, nunc, quia gratia naturam supponit, petitione quarta nos jubet a Deo petere victum corporalem; natura enim prius vult vivere, dein bene vivere. — *Panem nostrum supersubstantialem* (τὸν ἄρτον ἐπιούσιον). Vox panis denotat aut panem sensu proprio, aut quemvis cibum (1 Reg. 2, 5. hebr., Eccl. 9, 11, 10, 19. Neh. 5, 14. 18.), unde frequens est dictio: panem manducare, panem apponere (Gen. 43, 31. 1 Reg. 28, 20; 30, 12. 3 Reg. 13, 16. 21, 7. Jer. 41, 1; 52, 33. etc.); aut habere potest significatum metaphoricum. Graecum adjectivum ἐπιούσιος praeter hunc locum tantummodo legitur apud Lucam (11, 3). Vulgata adjectivum hoc (juxta s. Hieronymum) h. l. vertit: supersubstantialem, apud Lucam vero: quotidianum. — Quia in vetere versione latina utroque loco legitur: quotidianum, et quia ita legunt antiqui interpretes²⁾ et graeci interpretes³⁾ vocem ἐπιούσιος explicant ἐφ' ἡμέραν (quotidianum), tenenda est explicatio illorum⁴⁾ qui per panem nostrum intelligunt victum corporalem, vitae nostrae divina providentia deputatum; et quia ille quotidie nobis est necessarius, eum flagitamus quotidianum. Quod jam vocem ἐπιούσιος attinet, nonnulli recentiorum eam derivant a part. praes. ἐπιών-οὔσα-όν verbi ἔπειμι (inf. ἐπιέναι), succedo, sequor, atque explicant ἄρτος ἐπιούσιος panis crastinus, provocantes ad s. Hieronymum, qui refert, in evangelio Nazaraeorum secundum Hebraeos lectum fuisse: mahar (crastinum). Sed recte observatur ab aliis, vocem ἐπιούσιος non necessario significare: crastinus, sed potius: imminens, adveniens,

¹⁾ Cf. Veith, Vater Unser.

²⁾ Tert., Chrom., Beda, Rab., Mald.

³⁾ Chrys., Greg., Nyss., Cyrill, Alex.

⁴⁾ Chrys., Greg., Nyss., Basil., Theophyl., Euth., Mald., Jans., Schanz, Pözl, Knabenbauer.

appropinquans, ita v. c. ἡμέρα ἐπιούσα dicitur de die illucescente (Aristoph.), imo de ipso die, qui jam illuxit, de die hodierno (apud Platonem). — Alii ex recentioribus¹⁾ vocem ἐπιούσιος derivant ab οὐσία et ἐπί, panis ad nostram substantiam pertinens, panis nobis sustentandis idoneus; seu uti Syrus vertit: panem necessitatis nostrae. — Alii (Schanz) vocem derivant ab ἐπύσσει (verbi ἔπειμι, inf. ἐπείναι) quae adest, quae praesto est; ergo ἄρτος ἐπιούσιος, cibus necessarius ad vitam sustentandam. — Eodem modo etiam nonnulli vocem: supersubstantialem accipiunt, i. e. panem ad substantiam necessarium, qui super substantiam adveniat, qui sit substantiae congruus.

Ex dictis sequitur, quaecumque etymologia vocis ἐπιούσιος acceptetur, in substantia sensus nullum esse discrimen. Nam si verba ἄρτον ἐπιούσ. explicantur: panem quotidianum, vel panem pro die instante (imminente), certe intelligendus est panis pro eo die ad vitam sustentandam necessarius; si autem verba illa explicantur: panem ad nostram substantiam pertinentem, seu panem ad vitam nostram sustentandam necessarium, quum eum petamus hodie, iterum petimus panem, quo nobis pro eo die opus est. In utraque itaque explicatione admonemur, ut singulis diebus petamus, et ut omnem pro futuro sollicitudinem abiciamus.²⁾ Nonnulli interpretes³⁾ verbo illa interpretantur de solo pane spirituali, de cibo animae (aut de doctrina Christi, de Christo, de gratia, aut de ss. Eucharistia). Ast recte observant alii⁴⁾, si verba illa intelligantur de pane spirituali, haec petitio eadem esset cum antecedenti, vel in ea includitur secundum illa verba Christi: meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me (Joan. 4, 34.). — Dein spiritualem cibum potius deceret, petere non tantum pro hodierno die, sed da nobis in aeternum. Nec verum est, Christum, quia prohibuit sollicitudinem rerum temporalium, non potuisse nos docere, ut petamus rem tempo-

¹⁾ Mald., Bisp., Arnoldi.

²⁾ Conf. Knabenbauer.

³⁾ Tert., Cypr., Ambros., Cyrill. Hier., Hieron.

⁴⁾ Mald., Jans., Knabenbauer.

ralem. Prohibetur enim tantummodo sollicitudo mundana et carnalis, non pia illa, qua a Deo sublevari necessitatem nostram exoptamus. Nec dici potest, indecens esse, in oratione coelesti victum corpori necessarium petere, quum ea petitione documenta praeclara contineantur de Dei benigna providentia, de rerum omnium ab ipso gubernatione et de fiducia in eo ponenda. — Quid pro anima et vita animae indigeamus, in subsequentibus efflagitare docemur. Quare ex verbis ipsis et ordine petitionum explicatio de victu corporali est retinenda.¹⁾

V. 12. Quum vita corporis nullius est pretii, si homo in Deo non vivat, ideo docemur, efflagitare, quae necessaria sunt ad animae vitam. Et quum haec vita supernaturalis in remissione peccatorum nobis tribuitur, ideo flagitare docemur, ut remittat et condonet nobis Deus peccata nostra, quae appellat debita, quia nos peccatis quasi aere alieno obstricti sumus Deo; et quum nos illa debita pendere vel reparare nullo modo possumus, ideo insufficientiae nostrae memores, quotidie flagitare docemur, ut Deus nobis illa debita condonet. — *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*; vel ut alia lectio habet (quae ob codd. Aleph. et B praefenda est): sicut et nos dimisimus (*ἀφίημεν*), nimirum omne odium, omnem vindictae iraeque affectum in alios jam deponentes. Verbis his exprimitur ex una parte conditio, ex altera autem mensura et norma ad veniam obtinendam. Nonnulli interpretes (Bisp.) particulam *ὥς* (sicut) sumunt causative, ita ut idem valeat ac: nam. Sed rectius alii²⁾, quum Christus ipse dicit: in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis (7, 2. Marc. 4, 24.) juxta veteres³⁾ vocem *ὥς* (sicut) explicant de mensura et norma; notantes per se patere, mensuram et normam sisti in remissione, quum cetera omnia valde sint diversa omnemque mensuram et comparisonem excedant longissime. — Petitio haec optime illustratur parabola de servo Regi debente (Matth. 18, 23. seqq.).

¹⁾ Conf. Knabenbauer.

²⁾ Schanz, Pözl, Knabenbauer.

³⁾ S. Cypr., Gregor., Nyss., Aug., Theophyl.

V. 13. Petitionem priorem prorsus convenienter excipit petitio, ne nova committamus peccata, tentatione victi. — *Et ne nos inducas in tentationem.* Quum docente s. Jacobo (1, 13.) Deus, ut sanctissimus, neminem tentare (i. e. ad peccandum irritare) dicatur, h. l. verba ista de sola permissione Dei explicanda sunt, ita ut sensus sit: Ne permittas, ut in tales incidamus casus et pericula, quibus ad peccandum gravius incitemur et cadere possimus. — *A malo.* Potest explicari vel de satana, tentationum auctore (Chrys.), vel neutro genere sumi atque explicari de malo quocunque (de principiis mundi perversis, malis exemplis, calamitatibus et miseriis hujus vitae). In substantia sensus nullum est discrimen, nam a diabolo origo principiorum perversorum, erroris, omnium religionis christianae et salutis christianorum impedimentorum, uti et saepe origo miseriarum et calamitatum hujus vitae, praecipue ob religionis christianae professionem perferendarum, derivatur.

Doxologia, quae huic ultimo versui annexa est: „*quia tuum est regnum, et potestas, et gloria in saecula, amen,*“ juxta communem interpretum sententiam e liturgicis libris Matthaei evangelio illata est (cf. Mald.).

Oratio haec Dominica inde a s. Augustino a catholicis interpretibus dividitur in allocutionem et septem petitiones; quarum tres priores spectant ad Dei honorem: nomen tuum, regnum tuum, voluntas tua, reliquae ad nostram utilitatem; hinc dicimus: nostrum, nostra, nobis, nos.

V. 14. 15. Versus hi continent additamentum ad v. 12., quo Christus positive et negative docet, nos ad veniam a Deo obtinendam indulgentes esse debere erga alios homines (adversarios nostros), condonantes injurias (offensas). Qui enim a Deo petit remissionem peccatorum, verum de iis dolorem habeat necesse est; verus autem dolor non est sine humilitate, sine agnitione miseriae suae spiritualis. Humilitas vero facit hominem placabilem. Qui ergo proximo suo offensam non vult condonare, ille expers est humilitatis, hinc et expers doloris de peccatis; ideo et ei non dimittuntur peccata.

c) De jejunio (16 — 18.).

V. 16. Nunc tertium exemplum de jejunio recte servando affert Christus ad generalem versus 1. sententiam illustrandam. In lege Mos. solum dies expiationis, dies 10. mensis septimi ut dies jejunii praecipiebatur (Lev. 16, 29; 23, 27.). Hic sunt jejunia privata intelligenda, quae (coll. Luc. 18, 12.) pharisaei feria quinta, qua Moses in montem Sion ascenderat, et feria secunda, qua de ipso descenderat, observabant, ut pietatis laudem haberent (Calm.). — *Tristes*, σκυθρωποί (ex σκυθρός tetricus et ὤψ) sunt, qui tetrico et tristi vultu incedunt. Ita solebant pharisaei incedere, ut eorum sanctitatem homines admirarentur. — *Exterminant* (ἀφανίζουσι), deformant (nimirum aut defectu curae, aut alicujus medicamenti artificio). — *Jejunantes*, pii. — *Receperunt mercedem*; cf. v. 2.

V. 17. Sensus est: Vos contra, dum jejunatis, in ipso jejunio tales praebere oportet, ac si non jejunaretis ac si laeta essetis mente. — *Unge caput*. Erat nimirum Judaeorum, dum animo laeti essent, aut cum laeto convivio interesse vellent, consuetudo, ungendi caput oleo et lavandi faciem. Ceterum lectio: ἐν τῷ κυριώτερον praeferenda est lectioni: ἐν τῷ κυριωτέρῳ.

d) De cura bonorum coelestium (19 — 34.).

V. 19. Nexus. In praegressis locutus erat Christus de bonis operibus, de eleemosyna, oratione et jejunio, atque docuerat, quid in istis faciendum, quid evitandum sit. Nunc autem (v. 19, 20.) cohortatur ut sibi caveant ab avaritia et nimia rerum terrenarum cura. — *Thesaurizare* (θησαυρίζειν) colligere. — *Thesaurus* (θησαυρός). Per thesauros h. l. intelligenda sunt generatim omnia bona (terrena), quaecunque sint, omnes varii generis possessiones et divitiae. — *Ubi*, i. e. in terra. — *Ubi aerugo et tinea demolitur et ubi fures effodiunt et furantur*. Aerugo (Metallrost) in graeco est σής, quod denotat tineam, i. e. vermiculum, vestes rodentem. — *Tinea*; in graeco est βρώσις erosio, corrosio (Fraß, Zernagung), quod spectat ad metalla. — *Demolitur*, consumit, corrumpit (coll. Luc. 12, 33.). — *Effodiunt*, nimirum domum (murum). Verbis his ostendit

Christus, prorsus intuitam esse possessionem rerum terrenarum sensusque est: Nolite conquirere vobis bona his in terris (opes terrenas), quae vario modo amittere potestis.

V. 20. Sensus: Potius curae habete, ut in coelo habeatis thesauros, videlicet bonorum operum, quae vobis nulla re eripi possunt, sed vos sequuntur in aeternitatem (Apocal. 14, 13.).

V. 21. Versu hoc rationem affert Jesus, ut auditores colligere studeant thesauros in coelo, non autem in terra; et sensus est: Nam in quo quisque summum pretium repositum esse credit, seu: quod quis summum bonum existimat, ad id fertur omne ejus desiderium, seu: ad id toto corde (animo) conversus est. Cor (καρδιά) h. l. ut fons et sedes desideriorum, studiorum consideratur (cf. Luc. 12, 33. 34.).

V. 22. 23. Nunc perpulchra imagine illustrat Christus sententiam versu antecedenti prolatam, et quidem procedendo a minori ad majus. — *Lucerna corporis tui est oculus.* Oculus vocatur lucerna corporis, quatenus membris corporis quasi viam monstrat instar lucernae, ut singula possint suis officiis rite fungi. — *Simplex* (ἀπλοῦς), integer, sanus. — *Totum corpus lucidum erit*, omnia corporis membra illuminabuntur (seu luce fruuntur), ut possint singula recte sua peragere officia. — *Nequam* (πονηρός), malus, vitio laborans. — *Totum corpus tenebrosum erit*, omnia corporis membra erunt quodammodo tenebris obvoluta, nec recte suas exercere poterunt functiones. Applicatio similitudinis hujus ad Christi sententiam priorem (v. 21.) haec est: Quod in corpore oculus, id efficit in spirituali hominis organismo cor (mens, intentio hominis). Si hoc est sanum, bene dispositum, unice Deo (qui est sol veritatis aeternae), rebusque divinis intentum, cuncta hominis opera erunt bona; si autem cor (intellectus et intentio) est malum, intentum rebus abjectis (divitiis, honoribus, voluptatibus), omnia opera nostra erunt mala. — *Si ergo lumen, quod in te est*, si oculus ipse, qui corpori instar luminis est. — *Tenebrae sunt*, in tenebras versus fuerit. — *Ipsae tenebrae quanta* (scil. erunt, ἔσται), quanta erit caligo reliqui totius corporis, omni alio lumine destituti! — In applicatione: si animus (mens) malis concupiscentiis et affectionibus obnubilatus fuerit, lumen fidei et gratiae negligit aut abjicit, in quantis et quam densis

tenebris tunc versaberis? magis magisque opera tenebrarum edes, erroribus et peccatis te implicabis.

V. 24. Occurrit nunc Jesus objectioni, quam quis proferre potuisset, hoc modo: Possum thesauros in terra colligere et simul thesauros in coelo conquirere. Opponit ei proverbii verbis: *Nemo potest duobus dominis servire*. Inde a lapsu Adami diabolus factus est princeps hujus mundi (cf. comment. in evang. s. Joan. 12, 31.); qui ergo mundo (rebus hujus mundi) servit, servus est diaboli. — *Non potestis Deo servire et mammonae*, non potestis rebus divinis studere, dum addictum rebus terrenis (opibus, honoribus, voluptatibus) animum habetis; alterum alteri necessario aut praeferendum, aut postponendum. Servitium diaboli et servitium Dei non possunt conjungi; nam Deus trahit ad superiora sibi servientem, diabolus vero per res terrenas trahit ad inferiora. — *Mammona* (μαμωνᾶς); occurrit vox haec apud Chaldaeos מַמְּוֹנָא, et notat divitias. Hic loci, ubi vox haec opponitur Deo, et cum ea copulatum est verbum *servire*, consideratur ut persona, ut deus (idolum) divitiarum (id quod Pluto Graecorum). Sensus totius versus est: Ne dicas, posse te thesauros in terra colligere et Deo simul servire; nam valet regula: duobus dominis nemo servire potest. — Ceterum per se intelligitur, dum dicit Christus: duobus dominis, eos contraria jubere, et quidem eodem tempore; hinc non est necessarium, ut unum alterumve addatur.

V. 25. *Ideo*, quia nemo duobus dominis simul servire potest, Deo autem serviendum est. — *Ne solliciti sitis*, scil. anxie. — *Animae vestrae* (ψυχῆ), de vita, scil. sustentanda. Sensus totius est: Nolite anxie solliciti esse de vita sustentanda et corpore vestiendo; nam Deus benignissimus, qui majora, nempe vitam et corpus, vobis praebeuit, etiam res minoris momenti, victum nimirum et vestitum vobis suppeditabit.

V. 26. Exemplis nunc illustrat Jesus, cur homini non liceat de vita sustentanda esse sollicitum, quia Deus naturis a se creatis omnibus cura paterna prospicit. Et quidem hoc versu ostendit, talem curam esse stultam. — *Volatilia coeli*, aves, quae sub coelo vagantur, et quae sibi relictæ, non ab hominibus nutriuntur, uti aves domesticæ. Apud Lucam (12, 24.) speciatim nominantur corvi.

V. 27. Nunc ostendit, curam (anxiam) talem inutilem esse. — *Ad staturam suam* (ἐπὶ ἡλικίαν αὐτοῦ). Qui¹⁾ cum Vulgata vocem ἡλικία de statura exponunt, statuunt, adesse hic conclusionem a minori ad majus, hoc sensu: Parum refert, quae statura sit aliquis; attamen omni vestra anxia sollicitudine non potestis uno cubito majores fieri, multo minus vitam vestram sustentabitis tali vestra sollicitudine. — Sed praeferenda est explicatio eorum, qui ob v. 25. vocem ἡλικία exponunt de aetate, vitae spatium (decursu); nam quivis edit, ut vivat, non ut crescat (de infantibus aut pumilionibus tantum posset id jocosae dici), nec quis revera velle potest, staturam suam uno cubito celsiorem fieri; tandem Hebraei juxta suum loquendi modum solebant vitae spatium, quod per imaginem mensurae definitae sibi fingeant, metiri (coll. ps. 38, 6.). Explicationem hanc postulat etiam locus apud Lucam in illa parabola divitis (12, 16—21.). — Si ἡλικία explicetur de aetate, vitae spatium, sensus est: Vitae conservandae anxia cura etiam propterea vana est, quia tali cura nec minimum temporis spatium aetati suae addere quis valet (cf. Schegg).

V. 28. Alterum exemplum (de vestitu) adducit Christus, docens exemplo liliorum, anxiam curam de vestitu stultam esse. — *Lilia agri*. Addit: agri, ut lilia agrestia, quae sponte sua nascuntur in agris orientalibus, ab hortensibus distinguat, quae hominum cura et plantantur et aluntur. — *Quomodo*, quam pulchre. — Lectio in plurali: crescunt, laborant, nent, praeferenda est lectioni in singulari. — *Non laborant, neque nent*, ut nimirum tam eleganter vestiantur.

V. 29. *Nec Salomon*. Commemoratur Salomon tamquam rex Judaeorum ditissimus et splendidissimus. — *In omni gloria*, quam nimirum vestes splendidae, solium, sceptrum et corona ei tribuerunt (2 Par. 9, 15.).

V. 30. Sequitur conclusio ex praecedentibus. — *Foenum*, herbam agrestem. Jesus lilium (et flores varios) quod in graminibus crescit et ad graminum genus pertinet, ideo h. l. dicit gramen, herbam, (χόρτος), ut lilia in rebus vilibus et abjectis esse significet. — *Quod hodie est, et cras in clibanum*

¹⁾ Chrys., Euthym., Jans., Mald., a Lap.

mittitur. Verbis his indicatur breve tempus, quo lilia haec durent, ut exiguum eorum momentum eo clarius pateat. — *In clibanum mittitur*. Orientales nimirum solebant arefactas herbas adhibere ad alendos ignes in fornacibus. — *Sic*, tam pulchre et tali modo, quin laborent et neant. — *Vos*, scil. amicit, quibus animam dedit, corpus efformavit, ad quorum usum omnia visibilia creavit, propter quos Filium suum unigenitum tradidit. — *Modicae fidei*, qui exiguam fiduciam in Deo ponitis, quia anxie solliciti estis de vita et vestimento. — *Fides radix fiduciae*; ubi defectus fiduciae, ibi et defectus verae fidei.

V. 31. Repetit Jesus monitum v. 25. allatum tamquam conclusionem e praecedentibus. — *Nolite ergo*, talium scil. exemplorum cogitatione de divina providentia muniti.

V. 32. Hic affert duplicem rationem, cur non sint anxie solliciti de terrenis: primum, quia talis cura est gentilibus, immortalitatem, vitam post mortem ignorantibus propria; et quia Deus, qua omniscius, indigentias hominum penitus cognitas habet.

V. 33. *Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus*, prima cura haec vobis sit, ut studeatis regno Dei (Messiano) et justitiae, quam Deus postulat et largitur ut absolutam conditionem, ut quis sit civis regni illius. — Ejus, i. e. Dei, seu quam Deus postulat. In voce primum indirecte innuit, non esse interdictam curam de rebus terrenis; haec tamen debet esse secundaria, quum res ad vitam necessariae non ita sint quaerendae, ut earum sollicitudo a regno Dei quaerendo nos abducatur. — *Adjicientur*, quasi mantissa (cf. a Lap.) »Junior fui, ait psalmista (36, 25.), etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem.«

V. 34. *In crastinum* (εἰς τὴν αὔριον, scil. ἡμέραν) diem, i. e. de tempore futuro. — *Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi*, dies crastinus auxiliis, quae adhuc abscondita sunt, ipse sibi prospiciet. Dies h. l. et in sententia sequenti per prosopoeiam tanquam persona repraesentatur. — *Sufficit diei malitia sua*, quisque dies sat habet aerumnarum et miseriarum ideoque non est opus eas anticipatis futuri temporis molestiis et aerumnis augere. Graeca vox κακία, quae proprie denotat malitiam, significat etiam aerumnam, afflictionem, ut h. l.

Caput VII.

a) Admonet, ut sint alieni a judiciis temerariis, severis (v. 1—6.).

V. 1. Ut veram justitiam sectatores Christi attingant, monuerat eos Christus in praecedentibus, ut sibi caverent ab appetitu laudis humanae (6, 1—18.) et ab avaritia, a nimia rerum terrenarum cura. Nunc autem suos Dominus a tertio quodam vitio immunes reddere studet, monendo eos, ne temere et severe judicent de aliis; uti id pharisaei et scribae fecerant. — *Nolite judicare*. Alii verba haec generatim sumunt; sed non prohibetur quodlibet iudicium, quo peccata aperta vel condemnantur, vel corripiuntur. Alii (Euthym., Theophyl.): ne condemnate ($\chi\rho\iota\upsilon\tau\epsilon = \kappa\alpha\tau\alpha\chi\rho\iota\upsilon\tau\epsilon$); sed haec notio nimis angusta est. Sententia illa ita est explicanda: Ne alios severe, sine misericordia iudicate. In severo iudicio (sine misericordia) utique simul sita est condemnatio. — *Ut non iudicemini*, ne et Deus vos severe, sine misericordia, iudicet (saepe jam his in terris, certe autem in extremo iudicio). »Iudicium enim« ait s. Jacobus »sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam« (2, 13.). Ad vocem: iudicemini est supplendum: a Deo.

V. 2. Adest hic proverbialis dictio, qua motivum additur ad monitum praegressum, et sensus est: Par pari vobis referetur a Deo, futuro iudice vestro. — Qualis nimirum nostra erga alios erit benignitas aut severitas, talem et Deus se erga nos exhibebit.

V. 3. *Quid* ($\tau\iota$), hic idem ac: quomodo, i. e. quomodo fit, ut videas. — Festuca hic metaphorice sunt leviora vitia; et trabs metaph. vitia graviora. — Frater h. l. idem ac: alter.

V. 4. Sensus est: Quomodo corrigere velle potes vitia alterius leviora, quum ipse longe gravioribus es oneratus?

V. 5. Sensus: Primum propria vitia longe graviora emenda, et tum demum, quin similes, vitia aliorum leviora corrigere studeas.

V. 6. In antecedentibus cohortatus est Christus, ne severe, sine misericordia, alios judicemus, potius nobis emendandis operam demus; nunc vero monet, ne, neglecto omni iudicio sancta hominibus perversis communicemus; seu aliis verbis monet Apostolos reliquosque sectatores suos de falso fervore (zelo), ad quem facile eos poterant seducere pharisaeorum principia et exempla. — *Nolite dare sanctum canibus.* Sanctum (τὸ ἅγιον) juxta usum loquendi V. T. significat proprie carnem victimarum et panem sacrificalem (Lev. 22, 2.), quibus sacerdotes et offerentes vesci tenebantur, quas vero res nullatenus ad profanum usum adhibere aut canibus projicere licebat. H. l. sanctum significat s. sacramenta; margaritae vero sunt singulae doctrinae religionis christianae (mysteria fidei), quae quasi pretiosae margaritae sunt illis, qui eas animo fidei suscipiunt. Canes sunt homines obstinati, religionis christianae hostes et contemtores, oblatrantes veritati veluti canes. Porci vero homines spurcissimi, voluptatibus obscenis dediti, luto peccatorum obvoluti veluti porci. — *Ne forte conculcent eas pedibus et conversi dirumpant vos,* ne illa mysteria et doctrinas risui exponant, ludibrio habeant, vos autem ipsos vexent et interficiant. — Huic Christi praecepto originem debet disciplina arcani ecclesiae christianae primis temporibus.¹⁾

b) Exhortatur ad orandum (v. 7—12.).

V. 7. Nonnulli hunc statuunt nexum. Quum nimirum Jesus v. 6. monuit Apostolos, ne sanctum dent canibus, et margaritas projiciant porcis, facile auditores, desiderio flagrantibus, poterant dicere: utinam nos istas margaritas haberemus. Desiderio huic occurrit Christus consolabiliter exhortans: petite, et dabitur vobis. Melior est explicatio eorum, qui s. Chrys. secuti, statuunt hunc nexum: Quia Christus in sermone montano magna et admiranda praecipit, ne asseclae ejus dicant, se omnia illa implere non posse, nunc monet, implorandum esse oratione constanti auxilium divinum. Tres sententiae hoc versu enunciatae sunt synonymae, atque ideo junctae, ut monito major vis comparatur. Antiqui jam Patres et inter-

¹⁾ Doellinger, Kirchengesch. I. S. 290.

pretes docent, verbis his commendari a Christo instantiam et perseverantiam orationis.

V. 8. Exhortationem suam ad rogandum confirmat generali sententia, experientia ipsa probata; ita ut sensus sit: nam quisque, qui petit, accipit. Ex hisce autem verbis Christi non sequitur, hominem, Deum rogantem, revera semper accipere debere, quae rogat; fieri enim potest, ut ea, quae petit, vel in se sint mala, vel ei, quamvis in se non sint mala, exitio forent, si ei concederentur; vel autem non eo modo, quo petenda sunt, petantur. (Cf. Mald.). Ast hisce non obstantibus verus precator, qui cum humilitate et animi fervore petit, semper a Deo exauditur; hic enim proprie in precibus suis postulat, ut fiat voluntas Dei; quum autem haec semper fit, ergo semper exauditur.

V. 9. 10. Veritatem sententiae suae (scil. quod omnis, qui petit, accipit), probat Christus exemplo, cujus postea (v. 11.) facit applicationem. — *Aut.* Particula haec novam inducit rationem, hoc sensu: aut fors inter homines aliter fit? nonne accipit ab iis, quod perseveranter petit? In hoc versu adest *anacoluthon* (inconsequentia quoad constructionem), quod s. scriptoribus frequens est. Hoc ita potest resolvi: quis vestrum, si filius petet (*αἰτῆσαι* ita hic et v. 10. legendum) ab eo panem, lapidem ei dabit? Lapis h. l. imago rei inutilis. — Serpens imago rei nocivae.

V. 11. *Mali*, nimirum relate ad Deum benignissimum; ita multi juxta s. Chrysostomum. Alii (Mald.) explicant de parentibus revera malis, non solum propter inclinationem ad malum ex peccato originali ortam, sed quia nemo invenitur liber ab omni peccato, quae explicatio praeferenda est. In versu hoc adest conclusio a minori ad majus, haec: Quod si parentes humani, quamvis sint peccatores, petentibus liberis suis prompto animo suppeditant necessaria; quanto magis Deus, optimus omnium hominum Pater, concedet vobis, liberis suis, voluntatem ejus exsequi conantibus, quaecunque vobis fuerint necessaria. — *Bona data sunt dona salutaria* in oppositione ad lapidem et serpentem. — *Dabit bona* (*ἀγαθὰ*); Lucas (11, 13.) habet: *Spiritum sanctum* (Vulg. bonum), qui est auctor et largitor omnium bonorum et donorum Dei.

V. 12. *Omnia ergo, quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* — Ergo (ὅν); particula haec cum s. Chrysostomo referenda est ad ea, quae proxime praecesserunt, hoc modo: ergo ut bona, quae orando petitis, a Deo Patre impetretis, vos quoque bona, quae proximi a vobis petunt, illis tribuite, et quidem eodem modo (ὁμοῦς), sicut vultis vobis eadem tribui. Alii s. Hilarium secuti, part. ὅν referunt ad totum sermonem montanum (Knabenb.). Loco: sicut (ὁμοῦς) ob antecedens: omnia, expectatur: haec (ταῦτα); sed dicit; sicut, ut significet non tantum rem (materiam), sed etiam modum, quo proximo bona praestanda sint. — *Haec est enim lex et prophetarum*, haec enim est summa doctrinae, quam libri V. T. per valde varia praecepta de proximo diligendo tradunt seu continent (cf. Gal. 5, 14.). Quia autem ex norma Christi proximus diligendus est propter Deum, in hac dilectione proximi etiam Dei dilectio includitur.

c) Hortatur ad laborem et vigilantiam (v. 13—23.).

V. 13. 14. Exhortatur auditores, ut omnibus viribus student ingredi in regnum Dei, in civitatem vitae aeternae. Triplex adest periculum et triplex tentatio: difficultas, quam natura ad malum prona experitur in exercitio virtutum, in compescendis concupiscentiis; blandimenta vitiorum et deliciae, quas natura corrupta sibi promittit; exemplum plurimorum, qui vitam degunt secundum concupiscentias pravas. — *Intrate*, intrare conamini (Luc. 13, 24.). — *Ad vitam*, beatitatem aeternam. Repraesentatur h. l. sedes beatitudinis aeternae tamquam civitas (arx) quaedam, in monte praecipiti sita, ad quam per viam arctam et per portam angustam sit enitendum. — *Per angustam portam*; per hanc est intelligenda vera poenitentia; per viam arctam (quia via saepe notat vivendi rationem) intelligi debet vita praeceptis divinis consentanea, via virtutis, pietatis et sanctitatis, tum quia terminis divinae legis, maximeque christianae hactenus traditae, circumscripta est, ita ut neque ad dexteram, neque ad sinistram vagari hominem sinat, ut ulli omnino cupiditati satisfaciat; tum quia incesso difficilis est, (quum postulet multas suimet ipsius abnegationes et mortificationes); tum denique, quia unica omnino

est, a qua ne quidem latum unguem fas est deflectere, ideoque pauci sunt, qui hanc salutis viam eunt. — Per latam portam et spatiosam viam intelligenda est corrupta natura humana, concupiscentia, quam sequi non tantum non durum et difficile, potius jucundum est; nam animum ferri patitur, quocumque gestiat, ideo multi sunt, qui ingrediuntur hanc viam ad aeternam perditionem ducentem. Porta lata et via spatiosa sponte se offerunt, sufficit, si homo sequatur naturam corruptam; porta autem angusta et via arcta quaeri debent et inveniri; ideo dicit: qui inveniunt eam (cf. Luc. 13, 24.). — *Qui intrant per eam*, scil. portam, non autem: viam (ὁδόν). — Lectio τί στενή (quam angusta) praeferenda est lectioni: ὅτι στενή et τί = πᾶ quam (Cf. 11, 30.).

V. 15. Verbis his monet Christus omnes illos, qui viam ad beatitudinem aeternam ducentem jam ingressi aut ingressuri sunt, ut caveant sibi a falsis prophetis. Per falsos prophetas intelligit Christus falsos doctores christianos (omnium temporum), qui speciem doctorum a Deo ad homines missorum simulabant, atque doctrinas suis (Christi) contrarias spargebant et alios seducebant. Nam propheta saepe etiam dicitur quisque doctor, legis et voluntatis divinae interpres. — *Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Verba haec rhetorice amplificanti notionem falsi doctoris, et notant: omnes hi simulant se doctores, Dei jussu ad homines missos, Dei ministros, speciem pietatis, sanctitatis et charitatis prae se ferentes, dum sentiendi ratione perversa et moribus depravatis perniciem et exitium moliuntur. Prorsus falsa est expositio nonnullorum (Kuin.), qui verba haec interpretantur: induti palliis ex pellibus ovium confectis; quia Elias aliique prophetae pallia ex pellibus ovinis confecta gestassent.

V. 16. Ut tales perversos doctores valeant dignoscere, nunc tradit Jesus indicium (signum) eos dignoscendi. — *A fructibus eorum cognoscetis eos*, si propius observaveritis eorum vitam et agendi rationem, eorum opera, cognoscetis, eos esse falsos doctores, non autem Dei ministros. More Hebraeorum ipsi doctores falsi comparantur cum arboribus malae indolis, et opera eorum cum fructibus arborum. — *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* Verbis his dictum suum re-

rum naturae prorsus conveniens esse ostendit Jesus. Si in dicto hoc gnomico a speciali ad universalia ascendatur, sensus est: Nemo enim prudens expectat a re quacumque, quod indoli ejus inconveniens est; hinc (in applicatione) etiam a falsis doctoribus non potes sancta (sanctam vitam) expectare, quum id indoli eorum repugnet.

V. 17. *Sic*, i. e. uti exempla (de spinis et tribulis) modo commemorata docent. Sensus est: Uti in rebus naturalibus fieri solet, ut arbores fructus edant, indoli suae convenientes, seu, ut fructus manifestet indolem arboris aut bonae aut malae; ita (in applicatione) etiam indoles hominis aut bona aut mala in operibus ejus manifestatur.

V. 18. *Non potest arbor bona malos fructus facere*. Eadem sententia nunc negative gravitatis causa exprimitur. Dum autem Christus dicit: non potest, id non ita sumendum est, ac si homo malus nunquam posset edere fructus bonos, boni quid facere; nam etiam malus tantum habet vis moralis, ut quandoque boni quid edere valeat; sed ita, quod illi falsi doctores, quamvis illa bona opera conentur simulando exprimere, non diu sub ovina pelle lateant (nam nemo diu potest fictam ferre personam), sed fructibus, operibus indoli eorum perversae congruentibus se prodant, praecipue, cum coeperint aliquibus tentationibus ea ipsa vel subtrahi, vel negari, quae isto velamine consecuti sunt, vel consequi cupierunt.¹⁾

V. 19. Versus hic interjectus est, ut auditoribus poenae aeternae, quae falsis doctoribus aliquando infligentur, (allegorice), ob oculos positae sint. Sed verbis: *quae non facit fructum bonum*, simul significatur, non sufficere, ut doctor christianus nulla edat opera mala, sed ut effugiat perniciem, bona edat opera necesse esse.

V. 20. *Igitur* (ἄρα), particula concludentis; nam hic versus est conclusio ex v. 18. et repetitio ex v. 16.

V. 21. Quod antea Dominus speciatim de doctoribus dixerat, quod opera eorum sint summa (caput) rei, nunc in universum de omnibus auditoribus suis (christianis) profert, dum docet, ad consequendam beatitatem aeternam non solam sufficere fidem, sed necessaria esse opera fidei conformia. —

¹⁾ Cf. Jans., a Lap.

Qui dicit mihi Domine, Domine, qui nomen meum professus fuerit, qui me suum Deum, Messiam, redemptorem et salvatorem agnoverit, seu: qui fidem in me habuerit. Apud Judaeos discipuli magistros appellare solebant dominos. In N. T. vox haec (respectu Ps. 110, 1.) erat allocutio Messiana (Joan. 13, 13.); in ecclesia autem erat summa (caput) totius professionis christianae. Repetitio vocis significat vehementiam, ardorem. — *Intrabit in regnum coelorum*, consequetur beatitatem aeternam (coll. v. 22.). — *Sed qui facit voluntatem Patris mei* etc. ille tantum sectatorum meorum, qui obedientiam praestat voluntati Patris mei coelestis, seu, qui fidei in me convenienter vivit, seu mandata mea observat, (quum Patris et Filii voluntas coll. Joan. 5, 30. est eadem).

V. 22. *In illa die*, die iudicii extremi. Vid. comment. in Joan. 6, 39. — *In nomine tuo*, virtute, beneficio et auxilio nominis tui, fide a nobis pronunciati. — *Prophetavimus*. Alii generatim: tuo (divino) instinctu (afflatu) concitati locuti sumus, sive futura praedicendo, sive scripturas interpretando, sive populum docendo, sive verba publice faciendo. Alii speciatim: futura praediximus. — *Virtutes* (δυνάμεις), miracula (causa posita pro effectum). Intelligendi sunt h. l. homines, qui a Deo sic dictas gratias gratis datas, i. e. dona (χαρίσματα) ad aliorum salutem promovendam acceperunt, de quibus est sermo 1 Cor. 12, 8. seq. Hi possunt alios salvare, et tamen ipsi perire. Tales gratias habebat v. c. Judas proditor; nam et potestatem accepit (coll. 10, 1.) miracula patrando et daemones ejiciendi, ut reliqui Apostoli, et tamen erat malus (Joan. 12, 6.) Cf. Mald.

V. 23. *Confitebor* (ἐμολογήσω). aperte confitebor. Vid. 10, 32. — *Nunquam novi vos*, nunquam vos pro meis habui, seu agnovi. — *Ut malos scivit quidem eos*, sed pro suis eos nunquam agnovit. — *Discedite*, scil. a me, qui mala facinora editis, indigni enim estis meo consortio et felicitate inde in socios meos redundante.

d) Sermonis epilogus (peroratio 24—29.).

V. 24—27. *Ergo*, i. e. quia is eo, quod miracula patravit, in iudicio extremo non salvabitur, nisi etiam, voluntati Dei obedientiam praestiterit, seu bona opera ediderit. — *Omnis*, qui est anacoluthon. — *Verba haec*, doctrinam meam, in sermone

hoc (montano) traditam. — *Assimilabitur* (similis fiet), ac si esset *ὁμοιωθήσεται*, quum tamen in graeco sit: *ὁμοιώσω* comparabo, nimirum si eum cuidam comparem. Non est hic cogitandum de iudicio extremo (Mald.), quia tum per pluviam, flumina et ventos essent terribiles iudicii extremi eventus intelligendi, quod tamen facere nefas videtur, quia isti eventus nullibi alias his verbis describuntur. Potius verba: pluvia, flumina et venti, designant omnia, quae homini christiano in salute aeterna consequenda impedimento sunt, ut adversitates, persecutiones, tentationes. Sensus imaginis huius est: Si quis doctrinam meam non tantum fide suscipit, sed etiam doctrinae huic convenienter vivit, hujus aedificium fidei superstructum est solidissimo et immobili fundamento (Christo), ita ut ipse consistat immobilis et inconcussus contra omnes hujus vitae aerumnas, persecutiones et tentationes; qui autem doctrinam meam solummodo externe suscipit, non autem simul etiam vita factisque exprimit, hujus aedificium fidei nititur fluxo fallacique fundamento, ita ut irruentibus vitae hujus aerumnis, persecutionibus et tentationibus non valeat resistere, sed corruat, deficiendo a fide. Et quum lapsus ejus, qui fidem in Christum susceperat, major sit, quam illius, qui nunquam de Christo quid audierat, ideo dicit: *et fuit ruina illius magna*.

V. 28. *Admirabantur turbae super doctrina ejus i. e. obstupuerunt*, tum quia nova erat, clara, divina (utpote nobilissima et sublimissima complectens) ac auditoribus satisfaciens; tum quia modus docendi tam inusitatus erat.

V. 29. *Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut scribae eorum, et pharisaei*, docebat, quemadmodum is, qui haberet potestatem et jus a superiori illud faciendi (nimirum docendi tanquam legislator), cui non necesse sit alienam auctoritatem adducere ad sua dicta roboranda. Magistris videlicet Judaeorum usitatum erat, longam rabbinorum seriem, rationum loco inducere; Jesus vero doctrinam suam non tantum utilitate et evidentia ejusdem commendabat, sed et animos movebat et ad obsequium praebendum flectebat, loquens tanquam is, cujus propria auctoritas sufficiat, tanquam Messias, inquit: Ego sum, qui loquor, ego praecipio (Calm.).

Caput VIII.

Jesus miraculorum patrator (8 1—9, 34.).

1. Sanatio viri leprosi (v. 1—4).

(Marc. 1, 40—45. Luc. 5, 12—14.)

In sermone montano manifestum fecit Jesus, se esse verum, a Deo missum Messiam, prophetam, esse novatorem legis, legislatorem et regem moralis ordinis in novo Dei regno; et ne quis de veritate hujus dubitaret, firmat id miraculis, quibus se tanquam legatum divinum, benefactorem hominum et etiam redemptorem naturae physicae (creaturae irrationalis) probaverat. (Cf. commentar. in evang. s. Joan. 12, 31.) Quapropter evangelista nunc plura enarrat miracula a Christo patrata, sed non observato historiae ordine; curatio enim socrus Petri, paralytici c. 9. et manus aridae c. 12. contigerat ante sermonem montanum. Juxta s. Marcum (1, 40. seq.) et s. Lucam (5, 12.), qui postea electionem duodecim, qui sermoni montano intererant, (coll. Marc. 3, 13. seq. Luc. 6, 12.) referunt, sanatio haec etiam contigerat ante sermonem montanum, dum juxta s. Matthaeum finito sermone montano; quapropter etiam hic Matthaeus ordinem chronologicum non servasse dicendus est.¹⁾

V. 1. *Quum descendisset de monte. secutae sunt eum turbae multae.* Graecus dativus ἀντῷ (καταβάντι ἀντῷ) est pleonastice additus (uti 8, 5. 23. 28; 9, 27. Marc. 9, 28.).

V. 2. *Et ecce leprosus veniens.* De particula ecce, conf. 1, 20. Lepra morbi genus, quo Orientis et Aegypti populi maxime vexabantur et etiam nunc interdum vexantur. Misera leprosi sors augebatur multum eo, quod ab urbibus et consortio hominum excluderentur tanquam maxime immundi. — *Adorabat eum* (προσκύβει), nimirum in genua provolutus et quidem vera adoratione, quia leprosus Christo tribuit potestatem

¹⁾ Cf. Tischendorf. synops. evang. p. XXIX., Wieseler, chronolog. Synopse S. 306.

absolutam (Chrys.). — *Si vis*, scio, tibi esse potentiam me sanandi, sit tibi et voluntas. — *Domine* idem ac: quum tu sis Messias expectatus. — *Mundare*, sanum facere.

V. 3. *Tetigit eum*. Hoc fecit Christus, ut fidem leprosi adjuvaret, atque tum illi, tum praesentibus palam faceret, se velle petitioni hominis satisfacere. — *Mundata*, sanata est lepra ejus, seu homo ille a lepra liberatus est.

V. 4. Silentium imposuit Christus homini sanato hic ideo, ne (coll. Marc. 1, 45.) divulgatione miraculosae sanationis a populo, falsis de Messia opinionibus infecto, tumultus excitaretur (coll. Joan. 6, 15.). — *Sacerdoti*, nimirum illi, ad cujus munus pertinet, in leprosorum conditionem inquirere. — *Munus*, (coll. Lev. 14, 4.) duas aviculas vividas, quarum altera mactabatur, altera dimittebatur. Die octavo autem adhuc offerre tenebatur duos agnos et ovem anniculam, tres decimas similae et olei sextarium (Lev. 14, 10.). — *In testimonium illis*. Alii pronomen illis (αὐτοῖς) referunt ad vocem antecedentem sacerdoti, eam collective sumentes, ut sit idem ac sacerdotibus; attamen hi in ipsis verbis explicandis in diversas abeunt expositiones. Alii (a Lap.) sensum hunc statuunt: ut unusquisque eorum (sacerdotum) intelligat, te esse sanatum. — Sed adventus hominis ad sacerdotem nondum erat documentum sanitatis ejus; declaratio sanitatis per ipsum sacerdotem fieri debebat. Alii (Chrys., Theophyl.) sensu hoc: ut hac re non solum documentum habeat unusquisque sacerdotum, me non esse legis Mosaicae contemptorem ac eversorem, sed etiam, me esse legatum divinum, Messiam, qui plagam divinitus inflictam uno verbo sanat. (Knabenb.). Alii pronomen illis referunt ad turbam praesentem (v. 1.) hoc sensu: ut praesens hominum turba, dum haec omnia rite facias, edoceatur, te esse sanatum nullumque contagium per te peritescendum (Calm.). Huic explicationi obstat id, quia de populo non est sermo, ideo durum est, vocem illis ita exponere; dein quum sanatio leprosi ex ipsius aspectu constaret, Christus rem inutilem dixisset.

2. Sanat centurionis servum (5—13).

(Luc. 7, 1—10.)

V. 5. *Centurio* (ἐκατόνταρχος), qui 100 ducit milites; centuriones subjecti erant tribunis (χιλίαρχοις), qui praeerant singulis cohortibus. Quum tempore Christi Judaea jam occupata esset a Romanis atque in Galilaea nullus esset Romanorum exercitus, recte (coll. Marc. 6, 21.) cum s. Chrysostomo plures statuunt, hominem hunc Herodi Antipae militasse.

V. 6. *Puer* (παῖς), servus, famulus (coll. Luc. 7, 2.). — *Jacet* (βέβληται proprie: jactus est); verbum hoc indicat perseverationem conditionis miserae. — *Paralyticus*, laborans nervorum resolutione, magnis vexatus doloribus (cf. 4, 24.). Juxta s. Lucam erat moriturus, morti proximus.

V. 8. *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Verba haec sunt documentum summae humilitatis et modestiae in homine gentili et milite. — *Ut intres*; ἵνα sequente conjunctivo pro infinitivo. Cf. 4, 3. — *Tantum dic verbo et sanabitur puer meus.* Verbis his summam fidem in Christi potentiam absolutam expressit, nimirum quod illum vel absentem (corpore), sola voluntate posse sanare crederet. Dic verbo, jube verbo, scil. ut servus meus convalescat. Lectio: verbo (dativus instrumenti) praeferenda est ob testes lectioni: verbum.

V. 9. Verbis his rationem affert, cur Domino opus non sit, ut sit praesens corpore. Sensus est: Mihi enim, aliorum potestati subjecto, subditi mei dicto audientes sunt; quanto magis tibi, qui absoluta in morbos, vitam, mortemque potentia instructus sis, omnia, hinc et morbi obtemperabunt, ita ut possis solo imperio servum meum curare (Aug.) Audierat enim de Christi miraculis variis, unde adjutus gratia Dei sublimem illam de Christi dominio et potestate notionem hausit. Est argumentatio a minori ad majus.

V. 10. *Miratus est.* Admiratio oritur ex antecedenti ignorantia et subsequenti scientia. Quum Christo, ut Deo omnia nota essent, hinc et fides centurionis, Christus tantum ut homo, et quidem, quum per scientiam infusam etiam ut homo omnia cognosceret (docente Thoma 3. p. q. 15. a 8.),

relate ad scientiam acquisitam (experimentalem), quam sibi per experientiam comparaverat, fidem centurionis miratus dici potest, i. e. eam magnam insolitamque expertus (cf. Hebr. 5, 8.). Cf. dicta in commentar. in evang. s. Luc. 2, 52. p. 137. — *In Israël.* Non hoc sensu: In nemine Israëlitarum, sed ab incepta evangelii praedicatione; nam erant singuli, ut beata Virgo, Abraham, Moses, Joannes Bapt., in quibus major erat fides. Opponitur tantum fides centurionis gentilis fidei populi Israël, quem Christus sua praedicatione ad fidem in se excitare studebat.

V. 11. Adnectit Jesus hoc versu et sequenti praedictionem de tristi sorte Judaeorum ob defectum fidei. — *Multi h. l. ob antithesin v. 12. sunt ethnici.* — *Ab oriente et occidente,* e toto terrarum orbe, ab omnibus mundi plagis. — *Recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno coelorum,* felicitatis aeternae participes fient. Nam Judaei aequae ac gentiles felicitatem vitae coelestis sub imagine convivii sibi cogitabant. Indicat his verbis Christus, fore ut nationes exterae (ethnici), religione christiana suscepta, felicitatem eam consequantur, qua in coelis probi gentis Judaicae patriarchae fruuntur.¹⁾

V. 12. *Filii regni,* i. e. Judaei. — De phrasi: filius esse alicujus rei, vid. comment. in evang. s. Joan. 12, 36. Christus Judaeos appellat filios regni, i. e. eos, ad quos regnum Messianum proxime pertinet, partim quia regnum hoc illis speciatim et proxime promissum erat; partim quia apud illos revera in theocratia vetere initium sumsit; partim quia illi in ipsius praeparationibus istud quodammodo possidebant. Nam A. et N. F. constituunt unum totum; quum igitur Judaei essent filii Foederis Abrahamitici, simul etiam erant filii Foederis novi, seu regni Messiani. — *Ejicientur in tenebras exteriores,* in gehennam. Significatur poena damni. Persistit in imagine de conviviiis desumpta, quatenus coenaculum, in quo tempore vespertino convivia agitabantur, multis facibus accensis illuminabatur; unde omnes, qui extra coenaculum illud erant, extra in tenebris versabantur. (Mald.) — *Ibi erit fletus et stridor dentium,* i. e. in gehenna manebit eos miseria gravissima, seu poenas gravissimas experientur.

¹⁾ Cf. Mald., a Lap.

V. 13. *Sicut credidisti, fiat tibi.* Collegerunt veteres interpretes¹⁾ ex hoc et aliis consimilibus locis, fidem unius alteri prodesse. — *In illa hora*, ea hora sanitatem aegrotus recuperavit, dum Jesus verbum hoc edixerat. — Centurionem hunc non fuisse ex gente Judaeorum, docent ea, quae s. Lucas (7, 5. 9.) habet et Matth. v. 10., ubi Judaeis opponitur.

Existimant ergo plures (August., Chrysost.), fuisse eum ethnicum, quod omnino probandum est, si gente quidem ethnicus dicatur, religione autem Judaeis aliquo modo junctus; verosimiliter erat (coll. Luc. 7, 3.) proselytus portae (cf. 23, 15.). Sententia haec etiam eo firmatur, quod ipsi seniores Judaeorum (coll. Luc. 7, 3.) ejus nomine ad Jesum veniunt, et valde honorifica de eo dicunt; porro quod (coll. Luc. 7, 5.) synagogam extruxit. Historia haec est eadem, quae apud Lucam (7, 1—10) legitur. Nam uterque evangelista in loco et tempore constituendo convenit; in utraque narratione eadem commemorantur adjuncta plurima; in utraque eadem verba characteristicam referuntur, quae mirandam centurionis fiduciam manifestant. Adest solummodo diversitas circa modum rem proponendi. S. Lucas nempe rem plene enarrat, uti revera evenit; s. Matth. vero h. l. uti alias saepius brevitatis studiosus fuit, et ideo centurionem ea, quae is per alios (legatos) dixit fecitque, per se dixisse et fecisse notavit.²⁾ Vel etiam dicere possumus, centurionem post legatos ad Christum missos, accessisse ad Christum honorandum.

3. Sanat socrum Petri aliosque (14 — 17.).

(Marc. 1, 29 — 34. Luc. 4, 38 — 41.)

V. 14. Curatio Simonis socri aliisque adhibita juxta Marcum (1, 29. seq.) et Lucam (4, 38. seq.) non hocce, sed priori tempore ante sanationem leprosi et sermonem montanum facta est. — *In domum Petri*, in domum socerorum Petri (coll. 1 Cor. 9, 5.), in qua Petrus et (coll. Marc. 1, 29.) frater ejus Andreas Capharnaumum venientes, habitare solebant, quae autem brevi-

¹⁾ Cyrill. Hieros., Chrys., Ambros.

²⁾ Cf. August. l. 2. de consens.

ter domus Petri dicitur. Alii statuunt, Petrum et Andream Capharnaumi sibi piscatus et commercii causa domum acquisivisse, quum Apostoli non statim omnia reliquerint. Inde facile intelligitur, quod locus hic non pugnet cum relatione Joannis (1, 44.), qui Petrum Bethsaida oriundum fuisse dicit. — *Et febricitantem*, nimirum graviter, uti s. Lucas habet. Particula καὶ (et) h. l. est explicativa.

V. 15. *Ministrabat*, verosimiliter cibos, et quidem Christo ejusque comitibus. Verbo hoc significat, non solum liberatam a feбри, sed praeter morem vulgaris medicinae subito etiam vires ei fuisse restitutas. Juxta traditionem nomen socrus erat Johanna, nomen uxoris Petri Concordia, et filiae Petronilla.

V. 16. *Vespere autem facto*. Hebraei duas numerabant vespas; alteram ab hora diei 9—12 (a nostra 3—6 pomeridianam), sive ad solis occasum, alteram a solis occasu usque ad ingruentem noctem. Collatis locis parallelis Marci (1, 32.) et Lucae (4, 40.), qui habent: cum occidisset sol, hic de secunda vespera est cogitandum. Solis occasum expectabant illi, qui aegrotos ad Christum attulerunt, quia (coll. Luc. 4, 31.) sabbatum erat, quo die aegrotos apportare juxta pharisaeorum disciplinam non licebat. Ad aegrotos ad Christum apportandos moti erant factis miraculosis, quae a Christo patrata partim ipsi viderant, partim fama audierant. — *Verbo*, sola imperii vi. — *Omnes*, quos videlicet ei obtulerant.

V. 17. *Ut adimpleretur*, i. e. sanavit omnes ideo, ut imple-retur vaticinium prophetae Jesaiae (53, 4.). Verba citantur juxta textum hebraicum. Mirum posset videri, quomodo Matthaeus Jesaiae verba, quae proprie de peccatis eorumque poenis agunt, quas Christus in se suscepit et passione et morte sua in cruce exsolvit (1 Pet. 2, 24.), poterat transferre ad morbos (infirmittates) corporis, quos sanaverat? Poterat id facere; nam morbi corporis sunt effectus et sequelae peccati, hinc sanationes morborum miraculosae erant anticipati effectus, fructus passionis Christi relate ad sequelas peccati, qui sua satisfactione peccata, fontes malorum, abstulit, ideo etiam potestatem habet auferendi et sanandi ea,

quae ex peccato nata sunt (Knabenb.). Loco: accepit (ἐλαβεν) verti debet: abstulit, et loco: portavit (ἐβάστασεν), asportavit, amovit.

4. Duo discipuli Christi fieri volentes (18 — 22.).

(Luc. 9, 57 — 62.).

V. 18. *Videns*, quum vidisset, nimirum alio tempore quodam (non eadem hora). — *Turbas multas*. Verba haec causam indicant, cur abire voluit. Quum homines isti curiositate, non autem studio doctrinam ejus audiendi venissent, indignos eos putavit, ut ipsi cum eis esset consuetudo; fors etiam ideo hoc fecit, ne turba ad motus inordinatos excitaretur, unde adversarii ejus ansam arripere possent, eum ut concitatore et seductorem populi calumniandi. — *Jussit ire trans fretum* (εἰς τὸ πέραν), in litus lacus Genesarethani adversum, orientale, seu jussit trajicere lacum. Verba nimirum εἰς τὸ πέραν adhibentur a s. scriptoribus ad designandam regionem, quae vel trans lacum Genesarethanum, vel trans Jordanem sita est.

V. 19. *Unus* (εἷς), quidam (τις). — *Sequar te*, perpetuus tuus comes et discipulus fieri cupio. Juxta v. 21. hic legisperitus jam sectator (discipulus) Christi erat, sed nondum perpetuus. Cf. dicta 4, 19.

V. 20. *Vulpes foveas habent et volucres coeli nidos*, i. e. latibula, ubi tute quiescunt. Memorantur hic vulpes et volucres ad designandas creaturas pauperes, viventes de iis, quae in dies reperiunt. — *Filius hominis*; de hac formula vid. comment. in evang. s. Joan. pag. 71. — *Non habet, ubi caput reclinet*. Verbis his summa significatur paupertas. Sine dubio ea fuit hominis Christum sequi volentis indoles, ut putaret, se Christum sequentem, honores, divitias vitaeque commoditatem esse consecuturum; hinc Christus, cui ejus indoles nota erat, statim ab initio eum admonuit, discipulis suis commoda terrena minime esse exspectanda.

V. 21. *De discipulis*, eorum scil. qui hucusque inter Jesu auditores erant. H. l. ergo vox discipulus non de 12 Apostolis, sed sensu latiori (de sectatoribus Christi generatim) accipienda est; unde simul elucet, vocem discipulus aequiparari

verbo scribae (γραμματεὺς) v. 19. — *Permitte primum sepelire patrem meum*, permitte, ut, priusquam te sequar, abeam ac patri modo mortuo justa solvam, et tunc te sequar (quod supplendum est). Cf. 10, 37. Apud Judaeos mos erat, mortuos sepeliendi eadem die, quo quis obierat.

V. 22. *Sequere me*, esto discipulus meus. — *Dimitte mortuos sepelire mortuos*, i. e. mortuorum sepeliendorum curam relinque hominibus infidelibus, fide gratiaque destitutis, qui ergo mortui anima sunt. Lucas (9, 60.) addit: *Tu autem vade et annuncia regnum Dei*, qua scil. via perveniatur ad regnum coelorum, nimirum per fidem et vitam conformem evangelio (a Lap.). Primum mortuos metaphorice, alterum proprie accipiendum est. Tertius casus legitur apud Lucam (9, 61.): *Sequar te, Domine, sed permitte mihi primum renunciare his, quae domi sunt*, i. e. bonis, quae domi sunt eaque cognatis distribuere, vel renunciare familiaribus (nam et id possunt graeca verba τοῖς εἰς τὸν οἶκον denotare. Ait ad illum Jesus: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei*, i. e. quemadmodum non est aptus ad ducendum seu regendum aratrum, qui a tergo respicere voluerit, quia necesse est oculos habere ante se intentos in sulcum, ut rectus esse possit; ita non est aptus ad officium praedicatoris regni Dei vel ad ejus sequelam tanquam ejus discipulus, qui, cum id susceperit semel, deinde ad alia negotia, curas et negotiationes distrahitur, quae eum inde deducant. Cf. 2 Tim. 2, 4. Metaphora in hoc dicto Christi sumpta est ab aratoribus, qui manu stivam tenentes, oculos habent ante se in sulcum intentos, ut rectus sit (Jans.). Ceterum Christus minime inhumanitatis quoad officia defunctis praestanda argui potest; contrarium docet historia de Lazaro (Joan. c. 11.). Dicto illo (v. 22.) Christus solummodo vult docere, ipsum (vocantem ad evangelium) sequi, esse primum hominis officium; nam nullam majorem esse posse pietatem, quam ipsum (Christum) sequi (Mald.). Res v. 19 — 22. relatae juxta s. Matthaeum videntur gestae ante transmissum Jordanem, quum juxta s. Lucam (9, 57. seq. coll. 8, 22.) serius, nimirum ultimo anno Domini, brevi post iter Hierosolymitanum ad festum tabernaculorum contingerint. Sed quum Matthaeus etiam alias temporis ordinem non curat, res eo ipso tempore

evenisse dicendae sunt, quo Lucas eas refert.¹⁾ Alii autem interpretes statuunt, Lucam loqui de eventu, qui alio tempore contigerat (Knabenbauer).

5. Tempestas sedata (v. 23—27.).

(Marc. 4, 35—41. Luc. 8, 22—25.).

V. 23. *Discipuli ejus*, i. e. Apostoli, quia Christus dimissis turbis naviculam conscendit.

V. 24. *Ecce*, postquam nimirum in lacum Tiberiadis venit navigium. — *In mari*, in lacu Tiberiadis. — *Motus magnus*, tempestas immanis. — *Ipse vero dormiebat*, nimirum vero somno, quibus verbis exprimitur securitas potestatis, quod omnibus timentibus solus intrepidus quiescebat (Ambr.)

V. 25. *Perimus*, in summo vitae discrimine versamur. — *Suscitaverunt eum dicentes: Domine, salva nos*. Hac agendi ac loquendi ratione discipuli (Apostoli) ostenderunt, fuisse illis persuasionem, tantam esse magistro potentiam, ut et periculo praesentissimo eripere eos valeat. Quum plures eorum essent piscatores, atque ordinaria media adhibere ipsi optime scirent²⁾, utique a Christo extraordinarium auxilium expectabant.

V. 26. *Quid timidi estis*, cur trepidatis de vita vestra, quum ego praesens sim? — *Modicae fidei*, parvae fidei. Ideo eos ita nominat, quia prae nimia trepidatione animum abiciebant, putabantque Jesum dormientem nullam ipsorum curam habere, hinc eo tantum vigilante, non autem etiam dormiente esse tutos (Chrys.). — *Imperavit ventis et mari* (ἐπετίμησε), increpavit ceu herus famulum. Quod Christus ventos et mare increparet, ostendit se Dominum et regem naturae, cujus imperio, uti morbi et daemones, ita et elementa naturae obediunt. Simile legitur de Deo in A. F. (Ps. 17, 16; 103, 7; 105, 9.)²⁾; ergo increpatione hac naturam divinam prodit.

V. 27. *Porro homines mirati sunt*, tam Apostoli (coll. Luc. 8, 25.), quam alii, qui (coll. Marc. 4, 36.) erant in aliis naviculis. Navicula, uti ait Tertullianus (de bapt. c. 12.), figu-

¹⁾ Cf. Patrit. I, 405.

²⁾ Cf. Bucher, Leben Jesu S. 492, Schegg.

ram ecclesiae praeferbat: quod in mari, id est saeculo (mundo), fluctibus, id est persecutionibus et tentationibus inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente, donec orationibus sanctorum in ultimis (in fine saeculorum) compescat saeculum et tranquillitatem suis reddat.

6. Sanat duos daemones (28 — 34.).

(Marc. 5, 1—20. Luc. 8, 26—39.).

V. 28. *Et quum venisset trans fretum*, in litus orientale lacus Tiberiadis. — *In regionem Gerasenorum*. Nomen Gerasenorum in Vulgata h. l., apud Marcum (5, 1.) et Lucam (8, 26.) legitur. In textu autem graeco legitur ex melioribus codicibus apud Matthaeum Γαδαρηῶν, apud Marcum Γερασσηῶν (ita Tischendorf et Westcott-Hort), apud Lucam (juxta Westcott-Hort) idem, quod apud Marcum, Γεργεςσηῶν vero, uti edidit Tischendorf. Hoc nomen discrimen nonnulli ita explicant. Quum Gadara juxta Jos. Flavium (Bell. jud. 1. 4. c. 7. 3.) esset metropolis Peraeae valida, distans a Tiberiade stadiis 60, apparet, illa lectione regionem generatim describi ac nominari ex urbe magis nota et valida (εἰς τὴν χώραν τῶν Γαδαρηῶν). Locus vero, quo appulerunt discipuli, non potest esse Gerasa (hodie Djeräsĥ), uti nonnulli putant, quia haec urbs nimis remota erat a lacu Tiberiadis, et nomen aliunde notum potuit pro simili, sed satis ignoto, irrepere in textum sacrum. Locus, quo appulerunt erat locus, ubi hodie ruinae exstant nomine Gersa, Kersa, Kursi designatae, prope lacum Tiberiadis, quo loco praecipitia sunt crebra. Hunc locum etiam Origenes describere videtur, eum vocans Gergesa (unde illa lectio Γεργεςσηῶν), urbem antiquam. Idem fere apud Eusebium de Gergesa (in Onomast.) et apud Euthymium legitur.¹⁾ — *Duo habentes daemones*. S. Lucas et Marcus locis parallelis de uno tantum daemone loquuntur, ideo tamen non adest pugna. Loquuntur de uno, sive quia persona nobilior erat (Aug., Beda), sive quia de uno tantum insigniore audiverant. Vel potest difficultas ita removeri: Quum Matthaeus narret,

¹⁾ Conf. Knabenbauer, Schanz.

illos duos Christo occurrisset, cum is venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, Marcus vero et Lucas dicant, illum unum obviam Christo venisse statim ac is e navi egressus fuerat, potest statui, statim ut Christus in litus e navi descendit, unum illorum ei obvium fuisse, alterum vero non statim ac Christus de navi fuerat egressus, sed post aliquod temporis spatium supervenisse. Matthaeus itaque non servato temporis ordine de utroque simul loquitur, Marcus et Lucas solum de primo.¹⁾ — *De monumentis exeuntes*, i. e. de sepulchris. Judaeorum scil. sepulchra erant speluncae amplae sub terram vel ex nativa rupe arte manuque factae, ad montium latera extra civitatem sitae. Quaedam tam spatiosae erant, ut columnis suffulcirentur, unde et Judaei hostium suorum furorem fugientes in monumenta abire solebant. Jos. Flavio teste saepe etiam latrones in illis habitabant, hinc et daemoniaci illi facile in ejusmodi monumentis morari poterant (cf. Kuin.). Si s. Lucas (8, 27.) dicit, daemoniacum fuisse virum e civitate, non pugnat cum Matthaeo, erat enim e civitate scil. oriundus, sed tempore isto in sepulchris morabatur.

V. 29. *Clamaverunt*. Verba sequentia a daemoniacis nomine daemonum, seu potius a daemonibus per daemoniacos prolata sunt. — *Quid nobis et tibi*, quid nobis tecum negotii aut rei est? seu: nihil est nobis tecum rei. Nam praecipiebat eis exire, uti Marcus et Lucas referunt. — *Fili Dei*, i. e. Messia. Locus hic docet, Christum a daemonibus cognitum fuisse. Non mirum, si tamen ei obviam iverunt; verosimiliter sublimior vis eos id facere coëgit, ut manifestum fieret, Christum potestatem habere in mundum spiritualem, sicut in morbos et tempestates maris. — *Venisti ante tempus*, scil. extremi judicii. — *Torquere nos*. Daemones quidem poenas inferni inde a lapsu suo ubique secum gerunt easque semper sustinent, instar febricitantis, qui etsi in lectis eburneis aut in locis ponatur apricis, fervorem tamen aut frigus insiti sibi languoris evitare non potest. Ast, quum post lapsum Adami interim magnum in mundum influxum exercent, homines nimirum obsidendo, tentando, ad peccandum seducendo eisque nocendo

¹⁾ Patrit. in Marc.

per creaturas humanis usibus servientes, adhuc solatio quodam et voluptate fruuntur; plena et summa poena post iudicium extremum in daemones cadet, quum perfecta rerum per peccatum turbatarum restitutione atque boni ac mali absoluta separatione, in aeternum in gehennae abyssum detrudentur (Apoc. 20, 9; 2 Pet. 2, 4; Jud. 6.). Quum jam quaevis diminutio vel coarctatio daemonum influxus in mundum, novum eis paret tormentum, ideo Christo, quem hunc eorum influxum diminuturum, imo et fracturum cognoverant et viderant, putantes, eos jam nunc illis poenis, quae in iudicio extremo eos manent, ab eo affectum iri, dicunt: quare venisti ante tempus torquere nos? nimirum nos ex hominum corporibus ejiciendo et in tartarum in perpetuum detrudendo. Videntur ergo hi daemones timere, ne diem iudicii extremi, quem ipsi remotum putabant, Christus anticipet, ac velut iudex in eo illos ad tartara illico condemnet. Veritas explicationis hujus confirmatur loco Lucae (8, 31.), ubi vox torquere (*βασανίσαι*) explicatur per: ne juberet eos in abyssum ire, i. e. ne eos in tartara pelleret.¹⁾

V. 30. *Erat autem non longe*, non procul. In graeco legitur *μακρὰν*, quod procul notat; sed quia notio vocis procul est relativa, ut, quae uni in propinquo esse videntur, alius remotiora dicat, hic autem, docente materia substrata, non de tam remoto sermo est, recte ad sensum vertit Vulgata: non longe (cf. Fritsch.). — *Grege porcorum*. Fuisse dicit Marcus (5, 31.) duo fere millia porcorum. Judaeis non licebat animalia haec, quia immunda erant, alere; hinc domini gregis erant gentiles, vel tales Judaei, qui legis servandae parum studiosi, mercaturam illis faciebant cum gentilibus.

V. 31. *Daemones autem rogabant* etc. S. evangelista aperte daemones loquentes inducit. Rogant daemones (coll. Luc. 8, 31), ne in tartara detrudentur, quia timent, ne in gehennam detrusi statim eodem modo, quo post iudicii diem, excrucientur, sed ut in regione, a gentilibus maxime inhabitata, manere possint, et quidem, quum in hominibus habitare se non posse scirent, ut in porcis, animalibus immundis, Judaeis abo-

¹⁾ Cf. Mald., a Lap.

minabilibus, id eis permetteret. — Juxta Marcum (5, 9.) et Lucam (8, 30.) Christus daemonem (primarium) interrogat prius, quod sit nomen ejus; qui ei dixit: Legio, i. e. magna multitudo. Vox haec etiam a rabbinis adhibetur ad significandam magnam multitudinem; quapropter etiam daemon explicandi causa addit: »quia multi sumus«. Sumsit autem sibi ille daemon hoc nomen a Romanorum exercitu depromptum, ut se illo designaret tanquam ducem totius cujusdam gregis daemonum, qui illum obsederant. Interrogabat vero Christus ideo, ut ex responsione existimari posset de magnitudine tum mali, quo infelix ille homo premebatur, tum potestatis ejus, tot daemones ejicientis.

V. 32. *Exeuntes*, scil. daemones (non morbi, uti rationalistae volunt) ex hominum corporibus. Patet id ex v. 31., praeprimis vero ex locis parallelis Marci (5, 13. et exeuntes spiritus immundi) et Lucae (8, 33. exierunt ergo daemones ab homine). Nec potest Christus, quum permetteret, ut daemones porcos invaderent eosque praecipites agerent, injuriae in illos homines illatae argui, quum ipse ut legatus divinus, imo qua Deus ipse, penes quem est supremum omnium rerum terrenarum dominium, jure divino egit; quemadmodum nemo conqueri potest, si fulgur domum ejus incenderat, aut grando segetes ejus devastaverat. Poterat autem Christus damnum hoc permittere (quia non omnes homines ad vitia vitanda et virtutem colendam beneficiis moventur, teste ipsa experientia) etiam ideo, ut tali modo ad eum Salvatorem hominum attenti redderentur, atque animalibus mortuis ipsi homines fierent vivi (animo), et ita salutem consequerentur aeternam, qua obtentata utique damnum illud evanescit.

V. 33. *De eis, qui daemonia habuerant*, i. e. etiam ea, quae daemoniacis evenerant. — *Rogabant*, quia vel ipsius Christi personae metus eos invaserat; vel quia timebant, ne majoribus ab eo damnis afficerentur. S. Marcus (5, 15.) addit, homines hosce invenisse eum, qui daemoniacus fuerat, ad Jesu pedes sedentem, vestitum et sana mente, atque (quod etiam Lucas 8, 38. narrat) hunc hominem Christum rogasse dicit, ut in comitatum ejus admitteretur (coll. 5, 18.), Jesum autem hoc non permisisse, potius ei praecepisse ut domum revertatur nuncietque, quod sibi Deo

propitio evenit; idque ideo, ut facto hoc divulgato incolae regionis illius praepararentur ad facilius admittendam doctrinam divinam per ejus Apostolos aliquando ipsis annunciandam.

Caput IX.

1. Sanat paralyticum (v. 1—8.).

(Marc. 2, 1—12. Luc. 5, 17—26.).

V. 1. *Transfretavit*, trajecit lacum Tiberiadis, rediens in oppositam ripam. — *In civitatem suam*, Capharnaum, quae ideo ita dicitur, quia Jesus in ea domicilium sedemque suam habebat. Ceterum prima hujus versus pars, in qua est de trajectu, illis jungenda est, quae sunt in fine capitis 8.; altera, in qua de Christi adventu Capharnaum, iis, quae continuo sequuntur.¹⁾

V. 2. *Offerebant ei*, attulerunt ad domum, in qua Jesus docebat. Narrantibus Marco (2, 4.) et Luca (5, 19.) homines illi, qui paralyticum in lecto portabant, quum ob multitudinem hominum non possent per vestibulum domus eum ad Jesum afferre, ascenderunt in tectum domus, ubi Jesus docebat, et remotis tegulis hominem una cum lectulo in coenaculum, quod immediate sub tecto in superiori domus parte erat, ad Christum demiserunt. Domus tectum autem conscendere poterant, quia, uti plures affirmant, domus orientalium habent tecta plana, easque in exteriori pariete instructas scala, qua ascensus dabatur in tectum, quin opus esset intra domum subire.²⁾ Cf. 24, 17. — *Paralyticum*; cf. 4, 24. — *Et videns Jesus fidem illorum*, nimirum paralytici et portantium (Chrys.). Fides hic dicitur persuasio de Christi potentia et benignitate, ex qua oritur summa fiducia. (Knabenbauer.) — *Dixit paralytico: confide*, bono esto animo, quia plus, quam cupis, impetrabis. Habuit quidem jam fiduciam; sed conspectus Christi, virtutum magistri et peccatorum castigatoris, uti et peccatorum commissorum re-

¹⁾ Patrit. II, 397.

²⁾ Calm. in Marc. 2, 4.

cordatio istam poterat infringere, ideo dicit ei: confide. — *Fili*. Nomine hoc, quod est amica et blanda compellatio, eum alloquitur, quia cor ejus misericordia erga eum accensum erat. — *Remittuntur tibi peccata tua* (ἀφεώνται perfectum doricum pro ἀφείνται), remissa sunt peccata tua. Quia nimirum morbus erat sequela et poena peccatorum ejus, haec Christus, cor ejus poenitens videns, primum ei remittit. Vide dicta Joan. 5, 14.

V. 3. *Quidam de scribis*. Juxta Lucam (5, 17.) aderant pharisaei et legisperiti. — *Dixerunt intra se*, apud se cogitabant (cf. 3, 9.). Lucas (5, 21.) addit: dicentes, i. e. hunc in modum. — *Blasphemat* (βλασφημεῖ), impie in Deum loquitur (et agit); putabant enim (coll. Luc. 5, 21.) neminem posse peccata remittere, nisi Deum; quum igitur Christum potestatem peccata remittendi sibi vindicantem audirent, eum blasphemiae seu impiae loquendi et agendi rationis arguebant. Cf. 12, 31.

V. 4. *Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum*, quum Jesus pro sua omnium rerum scientia perspexisset eorum perversas cogitationes. Hacce scientia ostendit eis jam Christus se esse Deum, utpote καρδιογνώστην (cf. Joan. 2, 25.). — *Ut quid* (ἵνατι), cur, quare? — *Cogitatis mala in cordibus vestris?* cur cogitatis, me impie in Deum loqui, quod paralytico peccata ipsius remisit?

V. 5. Versus hujus verbis probat, se recte dixisse, cur mala cogitatis in cordibus vestris? Sensus est: Si dixissem, surge et incede, vos nihil mali in his verbis suspicati essetis. At haec dicere, i. e. at dicendo (solo verbo) efficere, ut paralyticus sit sanus, factu non est facilius, quam dicendo: remissa sunt tibi peccata tua, alicui peccata remittere; utrumque postulat potentiam a Deo datam et concessam. Dicere h. l. cum emphasi; dicere cum effectum.

V. 6. *Ut autem sciatis* etc. Verbis his Jesus tacite docet, se esse Messiam. — *Tunc ait paralytico*. Alii verba haec parenthetice interjecta esse putant ab ipso evangelista; alii rectius ellipsin statuunt hoc modo: dico paralytico; tum paralytico dicit etc. Sensus totius versus est: Ut jam intelligatis, non tantum Deo in coelo, sed etiam mihi Messiae esse potestatem peccata remittendi in terra, et me non esse blasphemum, si dico: remissa sunt tibi peccata tua, te paralyticum jubeo lectum tuum, testimonium infirmitatis, in sanitatis recuperatae

probationem sumere salvumque hinc abire. Sic ex sanatione probat, se habere potestatem remittendi peccata.

V. 8. *Timuerunt*, omnes praesentes stupor (coll. Luc. 5, 26.) et timor occupavit, nimirum ob potestatem peccata remittendi miraculo comprobata, quam inter ipsos existentem, hucusque ignorabant. — *Glorificaverunt*, laudibus celebrarunt Deum. — *Qui dedit potestatem talem hominibus*. In voce: hominibus proxime Christus significatus est; sed, quum ipse qua homo in intimo nexu existit cum genere humano redempto, cum ecclesia N. F., cujus est caput, vox haec etiam de genere humano potest intelligi. Nam quod divinae virtutis et potentiae Christo datum est, id universo hominum generi in ejus persona tributum est. Sed haec Christi potestas continuatur in ecclesia, partim in sacramentis, per quae hominibus peccata remittuntur; partim in charismatibus fidelibus concessis (Reischl).

2. Vocatio Matthaei (Levi v. 9—13.).

(Marc. 2, 14—17. Luc. 5, 27—32.).

V. 9. *Et cum transiret*, cum digrederetur ad lacum Tiberiadis. — *Inde*, de domo, ubi paralyticum sanaverat, et de urbe Capharnaum, in qua tunc morabatur. — *In telonio* (non: ad mensam, super quam vectigalia numerari solebant), in domo (loco), quae erat in vicinia lacus Tib., ubi vectigalia et tributa mercium a portitoribus exigebantur ab illis, qui per Jordanem et lacum Genesareth e Syria et vicinis regionibus aliis merces inferebant. — *Matthaeum nomine*. Quae h. l. de vocatione Matthaei leguntur, eadem Marcus locis parallelis (2, 13.) et Lucas (5, 27.) narrant de vocatione Levi, qui eadem cum Matthaeo persona est. Cf. Prolegom. § 1. — *Et surgens secutus est eum*, rebus scil. suis relictis (coll. Luc. 5, 28.); supponi enim potest, Matthaeum aut miracula quaedam vidisse, et praedicationi Christi saepe interfuisse aut saltem de Jesu multa audivisse.

V. 10. *Et factum est discumbente eo*, i. e. accumbente eo ad mensam, nam ἀνακειμαι accumbo dicitur de iis, qui mensae jam coenantes accumbunt. De modo accumbendi mensae vid.

commentar. in evang. s. Joan. p. 261. — *In domo*, scil. Matthaei, docente Luca (5, 29.). — *Publicani* (τελῶναι), portitores (cf. 5, 46.). — *Et peccatores*, alii homines nequam. — *Discumbebant*, convivantes mensae accumbebant.

V. 11. *Et videntes Pharisei*, nimirum quidam, revera Christum convivantem viderant, vel ex aliis audierant, Christum apud Matthaeum cum portitoribus convivatum fuisse. — *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester?* Conversatus est Christus cum hominibus malae famae, quia ad meliorem frugem eos voluit reducere.

V. 12. *At Jesus audiens ait*; quia nimirum scivit, verbis ad discipulos dictis se ipsum a phariseis peti, ipse responsum dedit eis. — *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*, sicut non indigent medico (corporali) sani, sed aegroti, ideoque non dedecus medici est versari cum aegrotis — ita non indigent moraliter sani, justi, morali medico, sed moraliter aegroti, peccatores; tales autem ex vestra propria opinione sunt homines isti, hinc adire eos non modo nullum dedecus est, sed et necessarium. — Verba haec, quum jam in V. T. Jehova se nominat medicum (sanatorem) Israël aegroti (Exod. 15, 26.), facile poterant ab auditoribus intelligi.

V. 13. Versu praegresso causam reddidit, cur cum peccatoribus conversetur; versu hocce autem ex s. scriptura probat, se recte agere, quum haec ipsa charitatem misericordem praeferat sacrificio. — *Euntes discite*. Verba haec sunt formula rabbinica et provocant ad meditandum, quoad sensum valent: agite discite. — *Quid est*, quid sibi velit, quod Deus per Hoseam prophetam (6, 6.) enunciavit. — *Misericordiam volo et non sacrificium*, charitas misericors erga alios magis mihi placet, quam sacrificium. Nam verba: „*misericordiam volo et non sacrificium*“ — non continent absolutam, sed relativam tantum negationem, uti id manifestum est ex eodem prophetae loco; sequitur enim illico: „*cognitione Dei magis delector, quam holocaustis.*“ — *Non enim veni vocare justos, sed peccatores*, i. e. recte dixi vobis, agite discite, quid est etc. nam mandatum mihi a Patre datum postulat, ut in peccatores misericordiam exerceam; seu: nam a Patre missus sum in terram, non ut justos, sed ut peccatores vocem ad salutem Messianam,

eos ad Deum reducam. Vocare h. l. absolute positum: vocare ad salutem Messianam. Quum omnes homines, docente s. scriptura (Rom. 3, 23.) sint peccatores, et quicumque justi sint, non sunt, nisi per Christum, merito dicit non veni vocare justos. — *Sed peccatores*, moraliter aegros, quales sunt omnes, et ideo indigent medico morali. Verba: in poenitentiam (εἰς μετάνοιαν), quae nonnulli codices habent, ut additamentum ex Luca (5, 32.) delenda sunt. Cf. Mald.

3. De jejuniis privatis (v. 14 — 17.).

(Marc. 2, 18—22. Luc. 5, 33—38.).

V. 14. *Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis*, et (coll. Luc. 5, 33.) pharisaei. *Jejunamus frequenter*, crebra sponte agimus jejunia (πολλά idem quod πολλάκις frequenter). H. l. est sermo de jejuniis privatis (cf. 6, 16.). Nonnulli putant, fors convivium in domo Matthaei instructum esse feria 2. aut 5., die, quo pharisaei jejunare solebant.

V. 15. *Numquid possunt*. Verbum: possunt h. l. de morali possibilitate accipiendum est, quod alicui convenit. — *Filii sponsi* (υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, proprie filii thalami), sunt illi, qui apud Hebraeos sponsam in domum sponsi comitabantur, ibique per septem plerumque dies nuptias celebrabant, sponsumque et sponsam ad conclave deducebant, dein generatim, qui ad convivium nuptiale invitati erant, hinc sponsi sodales et amici. De voce filii vid. 8, 12. — *Lugere*, hinc et jejunium agere; jejunium enim est signum luctus, unde etiam apud Lucam legitur: jejunare, cum quo simul notio luctus jungenda est. Verosimiliter Jesus hanc generalem exprimere voluit sententiam: Nemo prudens facere solet, quod certo tempori et loco non convenit. Hanc autem sententiam ad discipulos suos applicando, hoc edicere voluit: Sicut amici sponsi, quamdiu nuptiae celebrantur, non solent jejunare et lugere, ita inconvenienter agerent discipuli mei, si, quod vos poscitis, jejunarent et lugerent, quamdiu ego, magister eorum, cum illis sum. Comparat se Christus sponso, cui ipse Joannes Bapt. eum comparaverat (coll. Joan. 3, 29.); tempus muneris ejus publici (ejus praedicationis) erat tempus conjugii ejus et nuptiarum; sponsa

autem ecclesia (genus humanum redemptum), quam sibi efformaverat; sponsi amici sunt Apostoli, eorumque officium sponsam, homines per fidem ad Christum adducendi. — *Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus.* Verbis his respicit Christus tempus violentae mortis suae. — *Et tunc jejunabunt,* inde a morte mea (usque ad alterum meum adventum) jejunia agent atque lugebunt, quod et Apostoli fecerunt et semper in ecclesia fit. Inde elucet, auctoritate ecclesiastica esse jejunia instituta.

V. 16. In praegressis dixerat Christus, discipulos se praesente non posse jejunare et lugere; nunc docet, eos id non posse etiam ob suam ipsorum indolem praesentem, cum nondum ea virtute praediti sint, ut graviora quaedam ab eis exigeret. — *Nemo autem immittit* (ἐπιβάλλει) adsuit (coll. Marc. 2, 21.). — *Commissuram* (ἐπιβλημα), assumentum, seu particulam. — *Panni rudis* (ἀργύρου ex α priv. et γνάτω pannum polio), panni infulloncati et impexi. Lucas loco parallelo (5, 36.) habet: *commissuram a novo vestimento* (i. e. pallio vulsam); quia pallia orientalium sunt panni quadrati, quibus involvuntur, hinc idem dicunt Matthaeus et Marcus, qui habent: *commissuram panni rudis.* — *In vestimentum vetus,* (ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ), ad reparandam detritam vestem (pallium) ac laceram. — *Tollit* (ἀρπεί), abrumpit, quando nimirum madefactum contrahitur contractumque fila vestimenti veteris facile deducit et rumpit. — *Plenitudinem ejus* (πλήρωμα αὐτοῦ). Vulgata vocem πλήρωμα sumit ut accusativum. Si ita sumitur, ad verbum: tollit ex praecedentibus ut subjectum supplenda est vox: assumentum (ἐπιβλημα), et per plenitudinem (πλήρωμα) intelligendum est id, quod adhuc plenum et integrum est in veste vetere (integritas), ita ut sensus sit: nam assumentum abrumpit id, quod adhuc plenum et integrum est in veste vetere.¹⁾ — Sed stante hac explicatione non intelligitur, ad quid sit pronomen ejus (αὐτοῦ) referendum. Alii (Reischl), pariter vocem πλήρωμα ut accusativum sumentes, per πλήρωμα intelligunt complementum, id, quo opus habet ad se complendum, hoc sensu: Particula panni infulloncati adsuta vesti veteri, madefacta et contracta, abrumpit de

¹⁾ Jans., Mald.

veste vetere, quo opus habet ad complendum id, quod contractum fuerat. Sed explicatio haec nimis artificiosa est. — Quapropter praeferenda est explicatio eorum,¹⁾ qui πλήρωμα sumunt ut nominativum, atque per istud intelligunt id, quo expletur lacuna, seu id, quod supplet detritam vestem, ergo supplementum (assumentum), ita ut sensus sit: Abrumpit enim supplementum (seu id, quod complendo veteri vestimento adsuitur) de vestimento (vetere) aliquid (τῆ), nimirum, quando madefactum contrahitur, contractumque fila vestimenti veteris facile deducit et rumpit (Berl.). — Ejus (αὐτοῦ), i. e. vestimenti veteris. Explicationi huic favet locus parallelus Marc. 2, 21., sive lectio Vulgatae teneatur, sive illa Lachmanii et Tischendorfii: αἴρει τὸ πλήρωμα ἀπ' αὐτοῦ τὸ καινὸν τοῦ παλαιοῦ, aufert supplementum ab eo (aliquid), novum (supplementum) veteris (vestimenti, pallii).

V. 17. *Neque mittunt* (βάλλουσιν), infundunt. Usurpatur enim verbum βάλλω etiam de rebus fluidis, ita ut notet infundere. — *Vinum novum in utres veteres*. Utribus coriaceis vel pelliceis apud orientales liquida asservari et deportari solent. — *Sed in utres novos*, quia utres novi sunt validiores firmioresque, ita ut ferventis vini recentis vi non facile rumpantur. In utraque imagine (v. 16—17.) sequens latet cogitatus generalis: Non est faciendum cum re quavis, quod naturae, indoli ejus non conveniat. Per hunc cogitatum generalem voluit autem Christus, respiciendo ad discipulos suos, specialem sententiam hanc exprimere: Sicut absurdum (coll. Luc. 5, 36.), imo nocivum esset, vestimentum vetus resarcire particula (assumento) panni recentis (infulloncati), aut utribus vetustis infundere vinum recens — ita absurdum et nocivum esset, discipulis meis, qui similes sunt vestimentis detritis utribusque vetustis, genus vivendi asperum et austerum, cui non sunt assueti, imponere, quum periculum foret, ne et hujusmodi institutum sine fructu periret, et ipsi desperatione acti, me et salutem suam deserant; sed sicut recens vinum utribus novis infunditur, utpote qui robusti et firmi ferant vim ejus, sic prorsus austerum vivendi genus discipulis meis conveniet, quando per Spiritum s. innovati, ad istud praeparati fuerint, tunc duriora et asperiora suscipient, et qui-

¹⁾ Kuin., Berl., Bisp., Schanz, Knabenbauer.

dem ex amore, non autem ex metu poenarum (uti faciebant Judaei). Quod postea et factum est (coll. Act. 13, 2, 3; 27, 9.). Ita antiqui interpretes.¹⁾ Alii²⁾ statuunt, Christum utraque imagine respicere institutionem veteris legis, ostendens veteres illas formas non congruere indoli Messianae et novo spiritui, ita ut sensus sit: Sicut absurdum et nocivum esset, vestimentum vetus resarcire particula panni recentis, ita absurdum et nocivum esset, novam doctrinam (meam) vitamque spirituales adnectere et coarctare formis illis veteribus (ceremoniis, ritibus); et sicut nocivum esset, utribus vetustis infundere vinum recens, ita nocivum esset, novum, igneum spiritum religionis meae (christianae) ocludere formis illis veteris Testamenti. Ipse spiritus novus (christianismi) ex se novam procreare debet formam. Applicatio sententiae hujus generalis ad jejunia V. T. facilis est. Lucas (5, 39.) adhuc tertiam similitudinem addit: Et nemo bibens vetus (vinum), statim vult novum; dicit enim: vetus melius est; i. e. nemo facile assuescit novis statutis et praeceptis, postquam vetera in consuetudinem venerunt. — Ceterum hisce dictis Christus haud reprobare voluit jejunia aut austerum vivendi genus; verba ejus directa sunt tantum in pharisaica jejunia, quae non aguntur ex animi dolore de peccatis commissis, aut spiritu poenitentiae, sed tantum ex consuetudine aut gloriae humanae causa.

4. Sanat mulierem sanguine fluentem et Jairi filiam vitae reddit (18 — 26.).

(Marc. 5, 21—43. Luc. 8, 40—56.).

V. 18. *Haec* (ταῦτα). Quum narratio de Jairo apud Marcum et Lucam non possit conjungi cum interrogatione de jejunio, quam hi duo referunt, nonnulli statuunt, quaestionem hanc de jejunio bis fuisse motam; vel autem pron. haec (ταῦτα) non deberi evangelistae, sed ejus in graecum translatori (Knabenbauer). — *Ecce princeps* (ἀρχων); hic docentibus Marco (5, 22.) et Luca (8, 41.) erat praefectus synagogae Capharnaënsis (ἀρχισυνάγωγος), nomine Jairus (cf. 4, 23.). — *Unus*

¹⁾ Mald., Jans., a Lap., Calm.

²⁾ Reischl, Bisp., Sepp, Schanz, Knabenbauer secuti Orig., Cyrill.

(ἐίς) quidam (τίς). — *Accessit et adorabat eum*; cf. 8, 2. — *Domine, filia mea modo defuncta est* (ἄρτι ἐτελεύτησεν, scil. βίον). Dum juxta Matthaeum Jairus ad Christum ait, filiam suam jam defunctam esse, et apud Marcum (5, 23.) ea animam agere legitur (in agone esse, ἐσχάτως ἔχει), quod idem est cum Lucae: ipsa moriebatur, nulla adest pugna. Dum nimirum pater domum reliquerat, puella morti proxima (in agone erat), et quum ad Jesum auxilium quaerens venisset, per conjecturam dixit, eam jam mortuam esse. Hinc juxta hanc explicationem sensus verborum patris apud Matthaeum, sequens est: *Filia mea, quae, dum domo digressus sum, in agone erat, nunc verosimiliter jam mortua est* (Aug.). Vel vero: Jairus ad Christum adiit, eique supplicavit pro salute filiae jam jam moriturae (uti Marcus habet et Lucas), dein Jairo unacum Christo domum redeunti nuncius allatus est de filiae obitu; tum vero Jairus, quod Marcus et Lucas in narrationibus suis aperte non posuerunt, Christum, sicut Matthaeus narrat, non pro salute, sed pro vita filiae restituenda precatus est. Matthaeus enim brevitate studiosus, rei gestae substantiam solummodo narrat, dum Marcus (nec non et Lucas paucis omissis) plene eventum, uti contigerat, refert.¹⁾

V. 20. *Et ecce mulier*. Juxta evangelium Nicodemi erat mulier haec Veronica, oriunda juxta Eusebium (hist. eccl. I. 7.) urbe Paneas (Caesarea Philippi). — *Quae sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis*. Morbus hic, ubi jam inveteratus est, difficillime sanatur. Juxta Marcum (5, 26.) multa perpessa est a compluribus medicis, omnesque facultates suas erogavit, quin conditio ejus misera melior reddita fuisset. — *A tergo*, videlicet ob pudorem, quia quum esset immunda, timebat, ne morbus ejus notus fieret, et quia fors noluit moram facere Christo rebus suis. — *Tetigit fimbriam*. Vox κράσπεδον non est, uti nonnulli volunt, extrema pallii pars, limbus (Saum); sed est cirrus, filamentum laneum contortum, Quaste, Troddel, qualia in extremitate pallii dependebant. Plura de hoc vid. 23, 5.

V. 21. 22. *Salva ero, sana ero, seu sanabor*. — *Conversus*, non quasi ignoraret, nec, si juxta Marcum (5, 30.) et Lucam

¹⁾ Patrit. in Marc. 5, 23.

(8, 46.) quaerebat, quis me tetigit, id fecit ob ignorantiam, scivit enim, uti Marcus et Lucas narrant, virtutem de ipso exiisse (i. e. scivisse virtutis divinae effectum seu sanationem miraculosam per suam virtutem esse effectam), hinc et ipsam mulierem novit; sed ideo interrogavit, ut occasionem adduceret, mulieris fiduciam publice approbandi animumque ejus erigendi (Beda). — *Filia*, cara mea. — Blanda hac compellatione erigebat Jesus animum mulieris trementis. — *Fides*; fides nimirum erat, conditio, sub qua beneficium sanitatis ei conferre volebat. — *Te salvam fecit*, te sanavit. — *Ex illa hora*, illo ipso temporis momento, quo Jesus dixit: confide filia etc. Sic ergo Christi corpus, et per hoc ipsa ejus vestimenta erant quasi canales, per quos virtus sanitatem operans in corpus aegrotum fluebat. Quare ex his recte argumentum petitur pro sacramentum reliquiarum vi et usu.

V. 23. *Vidisset tibicines*. Apud veteres Graecos, Romanos et Judaeos in more fuit, inter funera tibiis canere.¹⁾

V. 24. *Non est enim mortua puella, sed dormit*, puella non est mortua, ut mortua maneat, sed mors ejus similis est somno, e qua tam facili modo in vitam revocatur, sicut homo ex somno excitatur (Mald.). Sic etiam apud Joannem (11, 11.) Lazarum defunctum, sed mox a se resuscitandum, Christus dicit dormire. — *Deridebant eum*; persuasum enim habebant homines illi, qui in domo erant, puellam esse mortuam, et Jesum hoc absolute negare putabant, quum tamen Christus ad suam potentiam respiciens, eam non esse mortuam, sed dormire dixisset.

V. 25. *Quum ejecta esset turba*, expulsa non vi et manibus, sed verbis et gestibus. Turbam constituebant cognati, vicini et praeficae seu lamentatrices. — Homines hos juxta alios ideo secedere jussit, ne viso tanto miraculo, ab eis, falsis de Messia opinionibus infectis, tumultus excitaretur. Juxta alios vero, quia, quum puellam statim vitae esset restitutus, ea tanquam mortua non erat plangenda. — *Intravit*, nimirum cum Petro, Jacobo et Joanne atque parentibus puellae (cf. Luc. 8, 51.). — *Tenuit manum ejus*, apprehendit manum puellae, et ut Marcus (5, 41.) addit, acclamavit: *Puella surge* (ταλὴθὰ κοῦμι). — *Surrexit*, scil. de lecto.

¹⁾ Ovid. Fastor. l. 6.; Jos. Flav. de bello l. III.

V. 26. *Fama*, scil. hujus rei, quam modo narraui. — *In terram illam*, i. e. Galilaeam. Narrantibus Marco et Luca jussit Jesus puellae dari, ut manducaret. Fecit hoc Christus partim eo consilio, ut corpus ejus reficeretur (nam quod mediis naturalibus effici poterat, id Christus miraculosa virtute sua noluit efficere); partim, ut parentes omne dubium abjicerent, dum viderint puellam non modo surrexisse (et coll. Marc. incedere), sed et manducare eam posse, ergo vere vivam esse atque valere.¹⁾

5. Duo caeci sanantur (27 — 31.).

V. 27. *Inde*, e domo Jairi. — *Miserere nostri*, scil. ita, ut visum nobis restituas. — *Clamantes*; sivit eos Christus post se clamare, quia eos in fide corroborare volebat. — *Fili David*, i. e. Messia; nam Judaei Messiam per eminentiam nominare solebant filium Davidis. Quia caeci de miraculis Christi audierant, credebant eum Messiam.

V. 28. *Cum venisset domum*, in qua nimirum, cum Capharnaumi commoraretur, habitare solebat Jesus (cf. v. 1.). — *Creditis*, num certo creditis? — *Quia possum facere*, me posse vos sanare. Quaerebat hoc, ut fidem eorum probaret.

V. 29. *Secundum fidem vestram fiat vobis*, contingat vobis, quod eventurum esse certo creditis.

V. 30. *Et aperti sunt oculi eorum*, viderunt, seu visum receperunt. (Est hebraica dicendi formula.) — *Comminatus est illis*, severe interdixit eis. — Causa interdicti erat eadem, uti antea (8, 4.).

V. 31. *Exeuntes*, scil. e domo Jesu (coll. v. 28.). — *Diffamaverunt eum*, famam ejus sparserunt; ad hoc gratus eorum animus eos impulit. Verbum διαφημίζειν cum accusativo personae tantum hic legitur significatu: famam alicujus spargere, praedicare aliquem (φανερὸν ποιεῖν τινα). — *In illa terra*, in tota illa regione.

6. Sanatur mutus daemoniacus (32 — 34.).

V. 32. *Mutum, daemonium habentem*, hominem, quem daemon reddiderat mutum (ob. v. 33.).

¹⁾ Cf. a Lap., Calm.

V. 33 *Et ejecto daemonio, locutus est mutus*; unde elucet, hominem per daemonem esse mutum redditum. — *Miratae sunt turbae*, scil. ob factum Christi stupendum. — *Nunquam apparuit sic in Israël*, nunquam tali modo visa est inter Israëlitas daemonis ejectio, seu: talis daemonis ejectio solo imperio inter Israëlitas nunquam apparuit. Verbis his volunt dicere: illa Jesu miracula superant omnia miracula, quaecumque unquam inter Israëlitas per prophetas facta fuerant, seu Jesus major est omnibus prophetis.

V. 34. *Pharisaei autem dicebant*. Etiam pharisaei non poterant negare miraculum; ast illud non opus divinum, sed diabolicum putant. — *In principe daemoniorum ejicit daemones*, i. e. ope et auxilio Satanae, principis spirituum malorum, qui (coll. 12, 24.) etiam dicitur Beelzebub.

7. Jesus regni Messiani fundator (9, 35 — 12, 58.).

V. 35. Quae inde ab hoc versu usque ad finem capitis 10. occurrunt, magnam prae se ferunt similitudinem cum sermone montano. Nam v. 35 — 38. narratur occasio, qua permotus fuerat Dominus ad sequentem sermonem habendum. Dein 10, 1—4, sequitur catalogus Apostolorum; tandem v. 5—42. refertur ipse sermo, habitus ad Apostolos, qui est quasi institutio pastoralis, data Apostolis, futuris regni divini praeconibus. — *Et circuibat Jesus omnes civitates et castella*, nempe Galilaeae (cf. 4, 23.), praedicans in urbibus magnis et parvis, doctrinam evangelii.

V. 36. *Videns autem turbas*, in his itineribus. — *Misertus est eis*. Verbum *σπλαγχνίζομαι* ducitur a voce *σπλάγχνα* viscera; quia autem viscera veteres existimabant esse sedem animi commotionum, ut amoris, misericordiae, factum est, ut vox *σπλάγχνα* notet amorem, misericordiam, et *σπλαγχνίζομαι* misereri. — *Vexati et jacentes* etc. Verbis his, quae sunt imago gregis, pastore destituti, ad populum Judaicum translatis, significantur Judaei, qui a doctoribus, ducibus suis spiritualibus, sacerdotibus et legis doctoribus neglecti (utpote ab eis non edocti viam salutis, sed placita mere humana), versantes in peccatis, errore et ignorantia rerum divinarum, spiritualiter quasi lacerati (*σκόλλω* cutem detraho) et viribus plane destituti jacent prostrati (*ρίπτω*

prosterno). Ceterum frequens in V. T. (Jes. 53, 6. Jerem. 50, 6.) est imago gregis pastore destituti, in qua populus ducibus destitutus intelligitur.

V. 37. *Tunc*, postquam Jesus vidit multos esse, qui in regnum Messianum (in Ecclesiam) ingredi desiderarent (cf. Joan. 4, 35.). — *Messis quidem multa*. Messis dicuntur tropice homines, qui ad regnum Messianum ingrediendum, doctrinam salutis recipiendam parati atque apti sunt. — *Operarii autem pauci*, scil. digni, qui christiani praeconis munere fungerentur.

V. 38. *Dominum messis*, i. e. Patrem. — Jesus Patrem coelestem dicit Dominum messis, quia homines doctrina Christi in regnum Mess. recipiendi, messis ejus (Patris) sunt, utpote inservientes gloriae ejus. — Ut mittat (ἐκβάλῃ); vox haec indicat, ad propagandum dilatandumque regnum Dei necessariam esse missionem divinam. Quia Christus exhortatur ad petendum (orandum), docet, divinum esse donum, quod hominibus dentur boni pastores, et propagationem evangelii multum juvari precibus fidelium.

Caput X.

1. Prima Apostolorum legatio (v. 1.).

(Marc. 6, 7. Luc. 9, 1.).

V. 1. S. Marcus (3, 13; 6, 7.) et Lucas (6, 12. seq. 9, 1. seq.) de electione et missione Apostolorum separatim loquuntur. Teste s. Luca (6, 12. seq.) Jesus elegerat Apostolos, antequam orationem montanam haberet, et eodem teste (coll. c. 9. et c. 10.) Jesus post habitam demum orationem illam montanam emisit (verosimiliter ex urbe Capharnaum) Apostolos et alios 70 discipulos, ut praedicarent doctrinam evangelii et in docendo dexteritatem sibi compararent. Matthaeus contra electionem minime tam accurate enarrat; nam (coll. 4, 18. 21; 9, 9.) quinque tantum Apostolorum vocationem hucusque narraverat. Sumit ergo Matthaeus, vocationem 12 Apostolorum esse lectoribus jam (aliunde) notam. — *Convocatis*, quum ad

se venire jussit. — *Dedit illis potestatem spirituum immundorum*; πνευμάτων ἀκαθάρτων est genitivus objectivus hoc sensu: potestatem in spiritus perversos, malos (coll. Luc. 7, 21.): ὥστε est epexegeticum; ita ut possent ejicere.

2. Nomina Apostolorum (v. 2—4.).

(Marc. 3, 14—19. Luc. 6, 12—16.).

V. 2. *Duodecim autem Apostolorum nomina haec sunt.* Apostolus (ἀπόστολος ab ἀποστέλλω mitto) generatim est omnis legatus, missus cum mandatis ad expedienda negotia. In libris N. T. vero Apostoli κατ' ἐξοχήν vocantur illi religionis christianae doctores, quos Christus e reliquorum discipulorum numero electos, perpetuos sibi conjunxerat comites, quibus demandaverat munus religionem ipsius inter Judaeos et ethnicos propagandi. — Causa, cur praecise Christus duodecim elegerit Apostolos, non plures, non pauciores, est, uti recte observat Maldonatus, s. Patres (Hieron., August., Chrysost.) secutus, ut duodecim patriarcharum figuram impleant; et quemadmodum ex duodecim patriarchis totus Judaicus populus carnaliter propagatus est, ita totus populus christianorum spiritualiter ex duodecim Apostolis propagaretur. Alias mysticas rationes vid. apud Corn. a Lap., Bisp. et Knabenbauer. — *Primus*, scil. Apostolorum, κορυφαῖος (Chrysost.). — *Simon, qui dicitur Petrus.* Cognomen hoc Simoni jam prius imposuit Christus. Vid. dicta 4, 18. Petri nomen hic primo loco positum est, non casu, quia non tantum hic, sed etiam in Apostolorum consignationibus, quae apud Marcum (3, 16.) et Lucam (6, 14. et Act. 1, 13.) leguntur, Petri nomen primo loco positum est. Dein Petrus etiam aliis occasionibus, ubi aliqui tantum Apostolorum nominantur, primus inducitur; v. c. dum nominantur tres Apostoli, qui transfigurationi Christi intererant (Matth. 17, 1. Marc. 9, 1. Luc. 9, 28.); qui erant testes resurrectionis filiae Jairi (Marc. 5, 37. Luc. 8, 51.), et quos in horto Gethsemani proximos esse voluit Christus (Matth. 26, 37. Marc. 14, 33.). Ut scriptores s. N. F. Petro primum semper assignarint locum, fuit causa unice praerogativa Primatus, Petro a Christo concessi, quae sententia confirmatur ipsa s. scriptura, quatenus docet, Petro singularem potestatem

collatam fuisse (Matth. 16, 18. 19. coll. Joan. 21, 15. seq.), et Petrum, ceteris Apostolis non renitentibus, eam etiam exercuisse, v. c. in electione Mathiae (Act. 1, 15. seq.), in festo Pentecostes primus sermonem habuit (Act. 2, 14.) et in synodo Apostolica Hierosolymae primus sententiam dixit (Act. c. 15.). Id etiam agnoscunt plures acatholici interpretes eximii.¹⁾ — *Et Andreas* (nomen graecum ab ἀντήρ, ἀνδρὺς); etiam hic prius erat discipulos Joannis B. et unacum Petro, fratre, Bethsaida oriundus (coll. Joan. 1, 40.). S. Matthaeus Apostolos binos commemorat, quia eos Christus, docente Marco (6, 7.) binos ad Judaeos ablegavit.

V. 3. *Jacobus Zebedaei*, scil. filius (coll. Luc. 5, 10.). Jacobus hic etiam major dictus, ut distinguatur a Jacobo, Alphaei filio, Hierosolymae jubente Herode Agrippa capite plexus est a. 42. (Act. 12, 1. seq.). — *Et Joannes, frater ejus*. De hoc vid. prolegom. in commentar. evang. hujus Apostoli. — *Philippus* (nomen graecum φίλος ἵππων amans equorum) etiam erat Bethsaida oriundus (coll. Joan. 1, 45.). — *Et Bartholomaeus*, Vid. comment. in evang. s. Joan. 1, 45. — *Thomas*; vid. comment. in evang. s. Joan. 11, 16. — *Et Matthaeus, publicanus* (portitor). Vid. prolegom. § 1. — *Jacobus Alphaei*, scil. filius. Vid. commentar. in evang. s. Joan. pag. 79. Hic erat auctor epistolae, quae dicitur epistola Jacobi. S. Marcus (15, 40.) eum vocat Jacobum minorem, quo distinguitur ab altero Jacobo, fratre Joannis, qui dicitur major. — *Et Thaddaeus*. Nonnulli vocem hanc derivant ab aram. ܛܕܐ, hebr. ܛܡܡܐ, pectus, ita ut Thaddaeus significet hominem animosum. — Vocabatur etiam Lebbaeus, quod nomen nonnulli derivant ab hebr. ܠܒ, cor, animus (Muth), ita ut idem significet ac Thaddaeus. Graeci nonnulli codices Matthaei. ubi Apostolos enumerant (10, 3.), habent: Δεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, quibus consonat latinus codex Brixiensis vetustissimus (Patrit. I, 3.); alii iterum codices et versiones habent tantum Δεββαῖος; alii solum Θαδδαῖος; alii Θαδδαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Δεββαῖος. Hic apud Lucam (6, 16 Act. 1, 13.) nominatur Judas Jacobi, scil. frater, eratque frater Jacobi minoris, episcopi Hierosolymitani, hinc filius Alphaei, unus simul

¹⁾ De Wette, Grotius, Ohlshausen, Weiss.

e numero Apostolorum. Vid. commentar. in evangelium s. Joan. pag. 79.

V. 4. *Simon Chananaeus*, Καναναῖος, etiam Κανανίτης, quod ortum ex chald. ܣܝܡܢܐ, hebr. שִׁמְעוֹן fervidus, ergo idem ac ζηλωτής apud Lucam (6, 15.). Nomine Zelotae appellabantur apud Hebraeos antiquitus homines probi, qui legis observandae studio ardebant, et ejus violationem vindicabant; talis erat etiam Simon. Serius demum, et quidem ultimis reipublicae Judaeorum temporibus nominabantur sic homines, qui societatem inierunt credideruntque jus puniendi quamvis templi aut Dei aut gentis suae violationem suum esse, dum ipsi essent homines valde scelerati (Jos. Flav. Bell. Jud. IV. 6, 3.). Temporis distantia docet, Simonem non hoc sensu dici zelotam, nec cum istis esse confundendum. — *Et Judas Iscariotes*. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 6, 72. — *Qui tradidit eum*, qui tradidit Jesum adversariis (cf. 26, 24.). Elegit Christus Judam, licet sciret, eum fore suum proditorem, tum quia volebat passionem suam esse plenissimam in omni genere, ideoque voluit pati quoque a discipulis, et prodi a suo Apostolo Juda; tum quia volebat, docente s. Hieronymo (adv. Pelagian. III.), facto ostendere summam bonitatem et ineffabilem clementiam, ut eligat eum, quem interim bonum cernit et scit malum futurum, dans ei potestatem conversionis et poenitentiae; et tandem quia nos suo exemplo docere voluit, non tantum bonis et gratis, sed et malis ac ingratis benefacere simulque nos exemplo suo ad patientiam instruere, ut si a sociis traditi fuerimus, patienter feramus, si in eligendis sociis erravimus, si beneficia in eos collata perdidimus, et ab iis tradimur.¹⁾

3. Praecepta Apostolis data (v. 5 — 42.).

(Marc. 6, 7—13. Luc. 9, 1—6; 12, 1—12. 51—53.).

V. 5. *In viam gentium* (εἰς ὁδὸν ἐθνῶν), in viam, quae ducit ad gentiles, seu ad gentiles (cf. 1, 11.). — *Ne abieritis*, ne abite, nimirum praedicandi causa. Hoc dixit Christus ideo, quia evan-

¹⁾ Tolet. in Luc. c. 6. Ambros. lib. 5. in Luc.

gelium ex Dei ordinatione prius annunciandum erat Judaeis, utpote filiis regni, quam gentilibus (cf. 8, 12. Act. 13, 46). — *Et in civitates Samaritanorum ne intraveritis.* De Samaritanis vid. comment. in evang. s. Joan. 4, 9. In civitates, graece: εἰς πόλιν, in urbem aliquam, quod quoad sensum non differt a versione Vulgatae. Est primum hoc praeceptum.

V. 6. *Sed potius ite ad oves, quae perierunt domus Israël,* i. e. ad Judaeos. Ex usu loquendi V. F., ubi populus Judaicus saepius comparatur cum grege (Jes. 53, 6. Jerem. 50, 5. Ezech. 34, 3. seq.), Judaei a sacerdotibus et legis doctoribus neglecti ac sibimet ipsis relictī, tanquam sine ducibus circumvagi, metonymice in N. T. dicuntur oves oberrantes (1 Pet. 2, 25.), quibus (utpote ducibus destitutis) pereundum est. Domus Israël est solemne cognomen gentis Israëliticae, idemque ac: filiorum Israël. Prima legatione Jesus Apostolos misit ad solos Judaeos, quippe quibus proxime laetus nuncius de Messia ejusque regno (evangelium) praedicandus erat, quum illis credita sint eloquia Dei atque promissiones Messianae primo illis, tanquam filiis regni Mess. datae essent (8, 12.). Morte autem Christi, docente s. Paulo (Ephes. 2, 14—16). intermedius murus inter Judaeos et gentiles destructus est (quatenus Christus legem Mosaicam quoad praecepta temporaria, ceremonialia, per mortem suam cessare fecerat), atque Judaei et gentiles una Dei familia, unus populus, in una ecclesia facti sunt; quapropter etiam Christus post resurrectionem suam Apostolos ad omnes misit populos usque ad fines terrae.

V. 7. *Appropinquavit regnum coelorum;* vid. 3, 2. Voluit Christus, ut Apostoli Judaeos verbis his ad regnum Messianum praepararent (cf. Luc. 9, 2.), et quidem per poenitentiam, uti supplet Marcus (6, 12.). Hoc est secundum Christi praeceptum.

V. 8. Verbis hujus versus, quae sunt tertium Christi ad Apostolos praeceptum, adhortatur Jesus Apostolos, ut ad probandam doctrinae ab ipsis annunciandae veritatem potestate miraculorum patratorum frequenter uterentur, quotiescumque id rei christianae conducere, iisque (verbis) vult dicere: Ne parcite miraculis, sed, ubi ea ad homines regno divino a

me fundando conciliandos vel necessaria, vel utilia judicabitis, impigri miracula edite. — *Leprosos mundate*; cf. 8, 2. Verba: mortuos suscite, multi codices omittunt; sed quum antiquissimi permulti alii codices, versiones et Patres ea habent, non est, cur non genuina habeantur. Omissio horum verborum in quibusdam codicibus verosimiliter inde orta est, quod Marcus (6, 13.) et Lucas (9, 6.) nullam faciunt mentionem mortuorum ab Apostolis vitae redditorum. — *Gratis*, nullis meritis vestris, sed mera Dei gratia. — *Accepistis*, nimirum potestatem miraculorum. — *Gratis date*, gratis miracula edite, seu alios sanate et mortuos ad vitam revocate. Ita et non simul de doctrina sunt verba haec ob contextum intelligenda, quae sunt quartum Christi praeceptum.

V. 9. Versu hoc et sequenti adhortatur Dominus Apostolos, ut sine mora itinera suscipiant, non conquirantes res ad iter faciendum alias necessarias, sed ut divinae confidant providentiae, qua auxiliante non destituentur ad vitam necessariis. — *Nolite possidere*; graece μή κτήσῃθε, ne comparate. — *Aurum, neque argentum, neque pecuniam* (χάλκον aes); inest his verbis figura gradationis, iisque volebat Christus interdiceret omnem pecuniae procuracionem, hoc modo: Ne vobiscum portate nummos aureos, neque argenteos, nec aereos (qui vilissimi sunt) quidem, ut nimirum iis necessaria ad vitam vobis comparetis. — *In zonis vestris*; εἰς ζώνας ὑμῶν, proprie: in zonas (cingula) vestras condendos. Veterum cingula erant intus cava, iisque utebantur pro crumenis.

V. 10. *Non peram*, nec peram vobis acquirite. Pera est saccus coriaceus, in quo pastores, viatores alique ea, quae ad com meatum pertinerent, recondere solebant. — *In via* (εἰς ὁδόν), ad condenda ea, quae in itinere usui essent ad vescendum. — *Neque duas tunicas*, neque vobis comparete tunicam praeter illam, qua unusquisque amictus est. Falsa est explicatio: ne binis simul tunicis vos amicite. Nam non interdicat Jesus Apostolis, uti egregie Maldonatus adnotat, binis simul, si id necessitas, veluti frigus, aegrotatio aliave causa postulet, tunicis indui, sed interdicat plures habere tunicas, quam in praesentem usum requiruntur. — *Neque calceamenta*, neque vobis comparete calceos in praesentem usum non necessarios, ut eos vobiscum

in futurum usum in itinere portetis. — *Neque virgam*, neque baculum vobis comparate, ut nimirum ejus ope adjuvaremini. Nec adest pugna cum Marco (6, 8.), secundum quem Apostolis baculus concessus erat. Uterque evangelista vult dicere, Christum, dum emitteret Apostolos, postulasse ab iis, ut statim, sicuti erant, abirent, nec moram facerent conquiendis iis, quibus alias hominibus iter facturis opus est, sperantes fore ut necessaria inveniant auxiliante Deo. Potest ergo supponi, quum Christus haec diceret, quosdam Apostolorum baculo fuisse instructos, alios non. Hinc ratione eorum, qui eo instructi erant, dici poterat, uti Marcus habet: nil portetis in viam praeter baculum; respectu autem eorum, qui nullum habebant, dici poterat, uti Matthaeus refert: nil conquiritis, neque baculum. Utroque modo eadem Christi voluntas expressa est, nimirum, moram ne facite (cf. Calm.). — *Dignus est enim operarius cibo suo*. Est proverbium, cujus ad Apostolos ablegandos accommodati sensus est: Vos, qui doctrinam salutarem homines edocetis, aegros sanatis etc., digni estis, qui ab iis, quibus benefeceritis, alimenta accipiat. Itaque ne solliciti estote, unde vivatis. Verba versuum 9. et 10. sunt quintum Christi praeceptum.

V. 11. *In quamcunque civitatem intraveritis* (ἐν εἰσέλθῃτε, ἐν cum aoristo conjunctum, ubi Latini futuro exacto utuntur), si quampiam in urbem intraveritis.¹⁾ — *Interrogate, quis dignus sit*, ut nimirum hospitio ejus utamini, ne praedicationis dignitas suscipientis infamia deturpetur (Hier.). — *In ea*, in urbe aut vico. — *Et ibi manete*, et apud hospitem, quem nacti estis, commoremini. — *Donec exeatis*, ex illa urbe aut vico. Christus Apostolos jubet, hospitium primum sibi electum cum alio non commutare, ne priorem hospitem offendant, nec in suspensionem cadant appetentiae mensae lautioris aut vitae commoditatis. Sextum est hoc praeceptum.

V. 12. Est septimum Christi praeceptum. — *Intrantes autem in domum*, nimirum hospitis, qui dignus sit, ut hospitio ejus utamini. — *Salutate eam*, domum, i. e. habitatores ejus, seu salutem, bona precamini habitatoribus domus. Verba: *dicentes*:

¹⁾ Cf. Beelen gram. p. 342.

pax huic domui, quae Vulgata habet, in pluribus codicibus non leguntur, quapropter recte putant critici, verba haec e Luca (10, 5.) esse deprompta (cf. Kuin.). De ipsa salutandi formula vid. com. in Joan. 14, 27.

V. 13. *Et si quidem fuerit domus illi digna*, si domus vobis significata revera fuerit digna, ut in ea commoremur. Alii ob Lucae (10, 6.): „*si ibi fuerit filius pacis*“ rectius: si fuerit digna, pace, quam ei precati estis. — *Veniet pax vestra super eam*, volo, illam domum revera compotem fieri salutis, et bonorum Messianorum, quae vos ei apprecati estis. Apostolorum enim salutatio non erat nuda et verbalis, sed etiam realis, conferens benedictionem, gratiam atque salutem (Sylveira). — *Pax vestra revertetur ad vos*. Alii: salus, quam indignis precamini, vobis ipsis contingat, seu fructus referatur ad vos (Thom. Aq.). Alii: vestra pacis precatio effectu careat; quum redire, reverti, idem sit ac: effectum non habere. cf. Jes. 45, 23, 55, 11. Ezech. 7, 13. In graeco leguntur imperativi, qui vim futurorum habent.

V. 14. Adest hic anacoluthon. — *Et quicumque non receperit vos*, non exceperit vos hospitio. — *Neque audierit sermones vestros*, doctrinam evangelicam a vobis annunciatam. — *Exeuntes foras de domo vel civitate*, nimirum illa, cujus incolae doctrinam evangelicam contempturi sint. — *Excute pulverem de pedibus vestris*. Judaei, quibus lege Mos. severissime interdictum erat, ne cum gentilibus, tanquam impuris, ullum haberent commercium, hoc interdictum tam rigide interpretati sunt, ut ipsam terram (solum) gentilem putarent impuram. Quo factum est, ut ex itinere per terram gentilem reversi, vestes calceosque a pulvere, illic collecto, purgarent. Dum ergo Christus h. l. Apostolos jubet coram talibus, qui doctrinam evangelicam repudiassent, pulverem excutere, vult, ut hac actione symbolica significant, homines tales in futurum commercio ipsorum indignos a se haberi. Sed haec actio pulveris excutiendi simul illis hominibus in testimonium (εἰς μαρτύριον αὐτοῖς vel ἐπ' αὐτούς), uti Marcus (6, 11.) et Lucas (9, 5.) addunt, erit, eos ob spretam evangelicam doctrinam a felicitate coelesti seclusum ac condemnationi aeternae addictum iri, quia ipse pulvis, quem ex itinere collegissent, die iudicii testis

contra eos erit, salutem eis fuisse oblatam (cf. a Lap.). Octavum est hoc praeceptum. — S. Marcus (6, 13.) simul refert, Apostolos *multos aegrotos unxisse oleo et sanasse*. Oleum hoc erat hic symbolum mirificae virtutis, non medicamentum, quo aegrotos sanarent Apostoli. Adhibebant autem hoc symbolum in sanatione, supernaturali virtute effecta, ad excitandam in aegrotis fiduciam (cf. Marc. 7, 33. Joan. 9, 6). Sed haec unctio non est, uti nonnulli (Mald. alique) putant, eadem cum sacramento extremae unctionis, de quo s. Jacobus (5, 14.) loquitur; nam s. Marcus loquitur de unctione nondum baptizatorum, de unctione aegrotorum quorumcunque, et tandem de tali, quae non peccatorum remissionem, sed corporis sanitatem mirifice efficiat. Ideo etiam concilium Trident. (sess. 14. c. 1.) de institutione sacramenti extremae unctionis dicit: »Sacramentum extremae unctionis apud Marcum (6, 13.) quidem insinuat (nimirum veluti per typum quemdam), per Jacobum autem Apostolum et Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum.«¹⁾

V. 15. *Tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die iudicii*, non tantas dabunt poenas incolae Sodomae et Gomorrhae die iudicii extremi (cf. 7, 22.), quia nimirum his doctrina evangelica non fuerat praedicata, peccabant tantum contra legem cordibus inscriptam. Judaei enim erant in Dei lege eruditi, continuis Dei beneficiis dotati, testes miraculorum Christi et Apostolorum, de regno coelorum, quod venturum sit, edocti. — *Quam illi civitati*, quantas incolae illius civitatis, quae vos respuerit. S. Hieronymus inde colligit, inter peccatores diversa esse supplicia, hinc et diversas culpas.

V. 16. Ab hoc versu sermo Christi ex prima missione transfertur ad missionem universalem (ad omnes gentes). — *Ego mitto vos*, ego (emphatice), qui liberare possum ex omnibus periculis. — *In medio luporum*, ita ut sitis inter lupos tanquam oves, seu in maximo periculo. Verbis his summum periculum, in quo Apostoli futuri sint, vivide repraesentatur. Lupos autem vocat omnes homines universim, qui Apostolorum praedicationi

¹⁾ Cf. a Lap., Calm.

repugnaturi eorumque vitae et saluti insidiaturi erant. — *Estote ergo*, quia nimirum vobis magna imminet pericula. — *Prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae*, i. e. studete pericula vobis ingruentia prudenter effugere, sed simul sitis sinceri, alieni ab omni dolo, fraude et fallaciis. Prudentia sine simplicitate facile evadit astutia, calliditas; simplicitas autem sine prudentia propter fraudem et malitiam aliorum plurima damna afferre solet (Jans.). Serpens apud veteres non solum astutiae (coll. Gen. 3, 1.), sed etiam prudentiae imago erat. Particula καὶ ante ἀνέπαροι (ab α priv. et κεράννυμι misceo, ἀνέπαρος non mixtus, metaphorice: simplex, sincerus, qui est sine fuco et fallaciis) valet idem ac: ast (adversative). Est nonum Christi praeceptum.

V. 17. *Cavete autem*. Vox autem, (δέ), transitui inservit h. l. hoc modo: Ut autem de periculis vobis imminentibus eo magis certiores vos faciam, dico vobis: cavete (Meyer). — *Cavete*, caute vos gerite quoad, salvo officio vestro, fieri potest, ut declinetis eorum insidias. — *Ab hominibus*, nimirum ab omnibus veritatis et regni Dei inimicis. — *Tradent enim vos in conciliis* (εἰς συνέδρια); per haec intelligendum est synedrium magnum et judicia septemviralia (cf. 5, 21, 22.). — *Et in synagogis suis flagellabunt vos*; id factum esse docet s. scriptura (Act. 22, 19; 26. 11).

V. 18. *Et ad praesides et reges ducemini* (καὶ δέ sed etiam). Per praesides (ἡγεμόνες) sunt intelligendi propriaetores, proconsules et procuratores; per reges autem vel reges in universum, vel reges Romanis subjecti (e familia Herodis). Sic ductus est s. Paulus ad Agrippam (Act. 25, 23. seq.), Petrus et Paulus ad Neronem, Joannes ad Domitianum. — *Propter me*, quia me Messiam profitemini et praedicatis meam fidem. — *In testimonium illis et gentibus*, ut hac occasione de me testimonium perhibeatis Judaeis et gentilibus atque contra illos testemini, a me illis salutem revera fuisse oblatam. Est hoc decimum praeceptum.

V. 19. 20. *Quum autem tradent vos, nolite cogitare*, ne solliciti sitis. — *Quomodo*; hoc spectat ad formam. — *Aut quid loquamini*; id spectat ad argumentum orationis. — *Dabitur enim vobis*, suggeretur a Spiritu Patris vestri, i. e. sancto (coll. v. 20.). Cf. Joan. 15, 26. Quam veritatem historia sat con-

firmat, quum philosophi et sapientes a puellis et hominibus illiteratis superati fuerint. Est hoc undecimum praeceptum. — *Non vos estis*; praesens pro futuro, quia res futurae ita describuntur, ac si praesentes essent.

V. 21. Ne Apostoli de suis persecutionibus nimium commoti admirentur, exponit, quantae inimicitiae et odia intestina excitabuntur contra eos, qui Christi doctrinam suscipient. — *Tradet in mortem*, tradet, ut necetur. — *Frater*, infidelis. — *Fratrem*, fidelem, in me credentem. — *Et pater*, infidelis. — *Filium*, fidelem, in me credentem. — *Et insurgent*, hostiliter aggressuri sunt. — *Filii*, infideles. — *In parentes*, fideles, seu in me credentes. — *Et morte eos afficient*, eos sua manu necabunt. Inest gradatio huic versui. Si juxta hanc et proxime sequentes praedictiones, cum Christus Apostolos prima vice emitteret, Apostoli nil ejusmodi sunt experti, inde minime sequitur, Matthaeum praedictiones, ultimam Apostolorum legationem (universalem missionem) respicientes, cum illis praedictionibus, quae ad primam missionem pertinent, confudisse. Nam juxta Matthaeum Christus non dicit, quod Apostoli omnia praedicta nunc experturi sint, sed quod in posterum Apostolis aliisque fidelibus universim sint expectanda. Praedixerat vero eis nunc futuras persecutiones, ut jam nunc ad destinationem suam ac sortem futuram attenti redderentur. Nam praevisa tela minus feriunt (Hilar.). — Omnia haec ad literam facta sunt temporibus persecutionum primaevae ecclesiae. Sic Barbara a proprio patre ob Christi fidem interfecta est. Sic et Christina. S. Lucia Martyr. a proprio filio de christiana fide accusata est et a judice martyrio laureata (cf. a Lap.).

V. 22. *Et eritis odio omnibus*, i. e. multis; alias enim a Christo non fuissent missi. Vel: omnibus improbis, osoribus veritatis et voluptatum amatoribus. — *Propter nomen meum*, quod nimirum vos tanquam mei assecrae profitemini, colitis, seu quod in me creditis. Primis ecclesiae temporibus jam solum merumque nomen christiani sufficebat, ut quis odio esset (cf. Tert. apolog. c. II.). — *Qui autem perseveraverit*, scil. in vexationibus mea causa perferendis et in fide mihi habenda. — *Usque ad finem*, scil. vitae, respectu singulorum; respectu uni-

versitatis fidelium: usque ad iudicium extremum, quo tempore Christus omnimodam de suis adversariis reportabit victoriam. Attamen ut id fiat, opus est dono perseverantiae. — *Salvus erit*, salutem consequetur aeternam. — Quae apud Matthaeum hoc capite a v. 17 — 22. leguntur, inveniuntur etiam apud Marcum in sermone illo prophetico (13, 9 — 13.). Hinc Christus aut idem monitum his protulisse censendus est, aut s. Marcus ea, quae alia occasione a Christo dicta sunt, sermoni illi prophetico commode adnecti posse arbitrabatur.

V. 23. *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, non, uti ait Beda, timendo passionem, sed declinando, ut tribulationis occasio seminarium fieret evangelii. Duodecimum est hoc praeceptum Christi ad Apostolos. Praeceptum h. l. Apostolis datum non pugnat cum alio dicto Christi (Joan. 10, 11.); quum enim necesse esset, ut Apostoli ad latius propagandum evangelium integri conserventur, noluit Christus, ut in primo statim proelio se morti offerrent, nondum tempus illis erat moriendi. Hac ratione Christus ipse fugit primum in Aegyptum, dein Capharnaum, cum eum Nazarethani de monte praecipitare vellent (coll. Luc. 4, 30.), quia nondum hora ejus venerat. Ita et s. Paulus fecit (Act. 9, 25; 2 Cor. 11, 33.). Quando sacerdoti licet fugere, docente s. Augustino, vid. commentar. in evang. s. Joan. 10, 12. Alias autem officium est, ut maneat paratus ad animam pro ovibus depouendam, ne sit mercenarius (coll. Joan. 10, 12, 13.). — *Amen dico vobis*. Quidam codices post vocem: amen, habent *γάρ* (enim), quae lectio praeferenda est; tali modo discipulis significatur, eos sine scrupulo posse fugere in aliam civitatem. — *Non consummabitis civitates Israël, donec veniat filius hominis*. Verbis his exhortatur Christus Apostolos ad fortiter praedicandum evangelium, non obstantibus quibuscumque persecutionibus. De quonam tamen adventu Christus h. l. loquatur, interpretes inter se dissentiunt. Nonnulli antiqui (Chrysost., Theophyl.) explicant istum adventum generatim de auxilio Apostolis a Christo ferendo; alii de adventu Christi per Spiritum sanctum; alii de adventu Christi tanquam ultoris et vindicis in excidio Hierosolymae; et iterum alii (Mald., a Lap.) de adventu ad extremum iudicium. Quum verbum *ἐρχομαι*

de Messia positum in N. F. tantum legitur aut de Messia inter homines exstituto seque praesentem iis daturus, aut de Messia extremum iudicium habiturus, ultima explicatio, quum sese praesentem inter homines jam faceret Messias, ceteris praefenda est. Ita plures¹⁾ s. Hilarius secuti, verba haec explicant, et quidem merito. Nam locutio: donec veniat Filius hominis, quia in Christi sermonibus eschatologicis apud Synopticos (Matth. 24, 30. 44; 25, 31. Marc. 13, 26. Luc. 12, 40; 18, 8; 21, 27.) constanter adhibetur de secundo Christi adventu, non potest aliter accipi. Sicut Christus sermones eschatologicos ita ad Apostolos dirigit, eos alloquens ac si ipsi victuri essent usque ad ejus secundum adventum (ideo et vos estote parati, quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est 24, 44.), eodem modo etiam hoc loco loquitur. Sed ita loquendo simul annunciat idem, quod s. Paulus (Rom. 11, 25.) docet, caecitatem (obstinationem et incredulitatem) Judaeorum non semper, sed duraturam esse, donec plenitudo gentilium intraverit in ecclesiam. — Nonnulli interpretes²⁾, quia Apostoli non essent victuri usque ad secundum Christi adventum, statuunt, verba Christi intelligenda esse tum de adventu Christi ad iudicium extremum (universale), tum de ejus adventu ad iudicium in urbem Hierosolimam (in ejus excidio). — Ast, quum, uti prius notatum est, locutio: donec veniat Filius hominis apud Synopticos constanter de Christi adventu ad iudicium extremum (in fine mundi) adhibeatur, haud potest dici, locutionem istam hoc loco a Christo plane alio sensu usurpatam esse. Inde autem simul sequitur, hanc partem, sicut reliquas sermonis pertinere ad missionem universalem, ad quam sermo v. 16. progreditur et in qua sine interruptione consistit.³⁾ — Hucusque praecepta Christi data Apostolis; sequuntur jam stimuli, quibus eos animat ad generose superandum persecutiones. Primus stimulus est v. 24.; alter v. 26.; tertius v. 28.; quartus v. 29.; quintus v. 32.; sextus v. 34.;

¹⁾ Beda, Pasch., Mald., a Lap., Knabenbauer.

²⁾ Bisp., Schegg, Schanz.

³⁾ Conf. Knabenbauer.

septimus v. 37.; octavus v. 38.; nonus v. 39.; decimus v. 40. (a Lap.).

V. 24. 25. Proverbialibus hisce dictis vult Christus dicere, Apostolis (discipulis) suis non meliorem sortem expectandam esse, quam quae ipsi, magistro et Domino eorum, obvenit. — *Sufficit discipulo*, sufficiens, seu satis est discipulo. — *Ut sit sicut magister ejus*, ut sors ejus sit, qualis magistri. — *Et servo sicut dominus ejus*, et ut sors servi sit, qualis domini. Graece: ὁ δούλος per attractionem pro: τῷ δούλῳ ἵνα γένηται (cf. 4, 3.). — *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt*, Beelzebub, i. e. Satanam, spirituum malorum principem (coll. 12, 24. Marc. 3, 22. Luc. 11, 15.). Cur autem Satanias a Judaeis ita dictus sit, hujus certa ratio non constat. Alii, praeunte s. Hieronymo, existimarunt, veram lectionem esse Beelzebub (uti et Vulgata ejusque plerique codices et codex C legunt), quod erat nomen dei Accaronitarum (בְּעֶלְזֶבֶד) (2 Reg. 1, 2.) et quod proprie denotat dominum muscarum, quia Accaronitae credebant, idolum istud a regione ipsorum muscas arcere. Hinc putant, Judaeos per contemptum ita nominasse spirituum malorum principem. Idolo huic similis erat apud Graecos Ζεὺς Ἀπόμυιος (Jupiter muscarum averruncus) et apud Romanos: myiagrus deus. In graecis vero et aliquibus codicibus latinis legitur Beelzebul, quod nomen diversimode explicatur. Alii vocem conflata putant ex בְּעֶל dominus et זֶבֶד habitatio, domicilium (Ps. 49, 15; 1 Reg. 8, 13.), dein domicilium coeleste, ita ut Beelzebul denotaret dominum domicilii i. e. inferni. Alii¹⁾ vocem Beelzebul compositam arbitrantur ex בְּעֶל dominus, et זֶבֶד stercus, ita ut Beelzebul esset dominus stercoreis seu immunditiae, ita dictus a Judaeis Satanias, quia esset auctor et promotor idololatriae; quod vero non est absimile, quum et ipsa idololatria ab eis diceretur sordes, stercus, ad indicandam rei turpitudinem. Alii interpretes²⁾, quia nomen Beelzebul nec ad Zebel satis convenit, quum juxta analogiam vocis Jezabel esse deberet Beelzabel, nec nomine dominus domicilii aliquid edicitur,

¹⁾ Kuin., Reischl.

²⁾ Schanz, Knabenbauer.

quod diabolus significet proprie, nec cernitur, cur eo nomine sit vocatus, probabilius esse dicunt, Beelzebul idem esse quod Beelzebub, simili enunciationis mutatione in ultima litera, sicut in Beliar pro Belial, Bab el mandel pro: Bab el mandeb; quo posito explicatio prima (s. Hieronymi) esset praeferenda. — *Quanto magis domesticos ejus*, discipulos, (sectatores) meos. Sensus totius est: Si me, fundatorem et gubernatorem ecclesiae, principem daemoniorum blasphemarunt, quantas in vos criminationes excogitabunt, quantis calumniis vos exagitabunt. Quum coll. 12, 24. pharisaei dicerent, Jesum ope Beelzebub daemones ejicere, facile erat, ut et ipsum dicerent Beelzebub.

V. 26. *Ne ergo*. Est conclusio ex praecedentibus, hoc modo: Quia non meliorem sortem quam quae mea est, expectare potestis, itaque (οὐν). — *Timueritis eos*, Judaeos (adversarios vestros). — *Nihil enim est opertum, quod non revelabitur*. Verbis his (uti et sequentibus: *et occultum, quod non scietur*) aliam adducit causam, cur iis non sit timendum, nec non et consolationem, si veritatis causa ipsis insectationes et molestiae cujusvis generis perpetiendae sint; nam probitas vestra et innocentia, ac adversariorum vos calumniantium improbitas hisce in terris innotescet. — Alii (Calm.) minus recte id de evangelio, erecto animo praedicando, exponunt, quum non sit destinatum, ut occultaretur, sed toto orbi annuncietur (cf. Luc. 12, 2.).

V. 27. *Quod dico vobis*. Nexus: Quae cum ita sint, nimirum quod vestra probitas adversariorumque improbitas a Deo in lucem evocabitur, ne timete, sed potius libere et constanter praedicate, quod: dico vobis. — *In tenebris*, clam, privatim. — *Dicite in lumine*, praedicate palam, publice in universo orbe. — *Et quod in aure auditis*; graece: ὃ εἰς τὸ οὖς ἀκούετε, proprie: quod audivistis ita, ac si vobis in aurem dictum, insusurratum fuisset, i. e. clam, privatim; ergo formula haec valet idem ac antea: in tenebris. — *Praedicate super tecta*, publice (idem ac: in lumine). — Erant et adhuc sunt tecta apud orientales plana, in quae ascendebant non modo obambulatori, coenaturi, sed etiam meditaturi et preces facturi.

V. 28. Versu hoc alia additur causa, cur homines non timeant. — *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*, nolite timere homines malevolos, qui tantum corpus, partem viliorem, interficere possint. — *Animam autem non possunt occidere*, animae, parti digniori, autem nil possunt nocere. — *Sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*, sed Deum timete, qui totum hominem perdere potest, detrudendo nimirum animam unacum corpore in gehennam, aeternis suppliciis addicendo.

V. 29 — 31. Hisce versibus docet Christus Apostolos, ut inter aerumnas, quas illi in evangelii praedicatione lataturi sint, fiduciam in Deo ponant, qui, quum vilissimis adeo creaturis consulat, cura paterna eis semper prospiciet. — *Nonne duo passeresset assidue venduntur?* assario venduntur; στρουθία a στρουθιον, diminutivum nominis στρουθός, ergo passerculus. As (ἀσάριον) fuit tempore Christi moneta decimam partem drachmae seu denarii aequans. Vox haec adhibetur ad denotandam rem, quae minimo pretio aestimatur. — *Et unus ex illis*, et ne unus quidem eorum. — *Non cadet*, scil. mortuus ad terram, i. e. interibit. — *Sine patre vestro*, Deo nesciente et nolente. — *Vestri autem*; pronomen ὑμῶν antepositum est, ut Apostoli eo nervosius opponantur aviculis. — *Capilli*, qui nimirum abjici et contemni solent. — *Numerati sunt*, scil. ut servarentur, ne ullus periret; et sensus est: Deo nesciente et nolente ne minimum quidem malum in vos cadet. Est dictum proverbiale. — *Nolite ergo timere*, nolite igitur, quia Deus vel minimis rebus consulit, vobis metuere. — *Multis passeribus meliores estis vos*, quum vos multis aviculis praestetis, tanto magis vestri curam habebit.

V. 32. Nunc, ut animum Apostolorum ad evangelium palam ac intrepide praedicandum erigeret, addit sequelas publicae sui professionis aut negationis. — *Omnis ergo* (πάντες, ὅστις est nominativus absolutus ut v. 14.); adest hic anacoluthon. — *Qui confitebitur me coram hominibus*, quicumque mihi intime conjunctus, me publice, libere et constanter, abjecto omni persecutionum et calamitatum timore, his in terris (coram hominibus) Messiam, Dei Filium et Salvatorem professus fuerit — ἐν ἡμῖν, mihi intime conjunctus (uti Rom. 6, 1; 8, 1. ἐν Χριστῷ).

— *Confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est*, hunc et ego in iudicio extremo ei jam intime junctus, ut discipulum meum agnoscam et celebrabo coram Patre meo coelesti eumque gloria honorabo aeterna. Ἐν αὐτῷ, ut graeci interpretes explicant, est idem ac: αὐτῷ, ei jam intime junctus. Alii ἐν ἐμοί accipiunt de ope a Christo lata (Chrys.); alii aramaismum statuentes, explicant: qui testimonium ediderit in causa mea (Christi); alii, qui me (Christum) cogitaverit ut eum, in quo testimonium quasi collocatur. Sed prima explicatio ob locum s. Pauli praeferenda est. Loco: *coram Patre meo, qui in coelis est*, apud Lucam (12, 8.) legitur: *coram angelis Dei*. Verbis his significat Christus extremum iudicium, quod ipse Filius hominis (Messias) in conspectu Patris coelestis ac angelorum habiturus est.

V. 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus*, qui autem timore hominum aut persecutionum me his in terris Messiam, Dei Filium et Salvatorem negaverit. — *Negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est*, hunc et ego in conspectu Patris mei coelestis tempore iudicii non ut meum agnoscam (cf. Matth. 7, 23.).

V. 34. Jam ex necessitate confessionis et ex periculo negationis annunciat Christus dissidia inter fideles et infideles, ne Apostoli perturbentur, quasi res praeter expectationem eveniat. — *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere*, nolite putare, me Messiam ideo venisse in terram, ut pacem facerem in terris mundanam, i. e. talem, qualem improbi optant (ut nimirum libere possint emere, vendere, commessari, vitiisque servire). Vid. commentar. in evang. s. Joann. 14, 27. — *Non veni pacem mittere, sed gladium*, non veni, ut talem facerem pacem, sed ut omnis generis discordiam in terram immitterem. Gladius h. l. notat dissidia, separationes, ut habet Lucas 12, 51.

V. 35. *Veni enim separare*, dissociare. Explicat nunc Christus sententiam antecedentem; nam particula: enim (γάρ) h. l. est explicativa. — *Hominem*, i. e. filium, cum referatur ad patrem. — *Nurum* (νύμφην) *adversus socrum suam*. Νύμφη puella recens nupta, nurus.

V. 36. *Et inimici hominis*, i. e. patrisfamilias. — *Domestici ejus*, qui familiares sunt et utiles, erunt, quia alter alteri propter fidem contrarius erit, infidelis fideli, et consequenter fidelis infideli. — Verba v. 35. et v. 36. desumpta sunt ex Micha (7, 6.), atque sensus utriusque versus est: Veni, ut illos, qui arctissimis naturae et societatis vinculis conjuncti sunt, discordes facerem. — Quum Christus in V. F. (Jes. 9, 6; 32, 17.) describitur ut princeps pacis, rex pacis amans, et in N. T. (Rom. 15, 33; 1 Cor. 14, 33; Ephes. 2, 14.) lenitatem, patientiam, charitatem, pacem et concordiam discipulos docens perhibetur, mira videntur haec Christi verba, quibus docet, se ideo venisse in terram, ut discordias, dissensiones et inimicitias inter homines faceret. Res haec potest ita explicari: Christus venerat, ut omnes homines salvos faceret; ideo etiam voluit, ut ejus religio (doctrina), per quam homines salutem aeternam consequi poterant, totam mundi massam, omnes homines, veluti fermentum permearet (coll. 13, 33.) atque in melius immutaret. Quum autem nollent omnes homines doctrinam ipsius suscipere, factum est, ut inter homines, quorum alii erant credentes, alii vero increduli, discretionem (separationem), discordiae ac inimicitiae exorirentur, imo inter illos ipsos, qui sanguinis vinculo inter se essent conjuncti, quam veritatem confirmant acta martyrum (cf. v. 21.). Haec autem discretio (χωρισμός) hominum credentium et incredulorum continuatur continuo per omnia tempora, donec in fine mundi, in judicio extremo fiet discretio aeterna etiam sanguinis vinculo junctorum, quando ob dissimilem animi conditionem dissimilis eis assignabitur sors (coll. 24, 40. 41.). Adest ergo hic loquendi ratio hebraistica, juxta quam Christus id voluisse edicit, quod cum ejus adventu arctissime cohaeret, seu cujus occasionem praebehit.

V. 37. Nunc docet in hoc bello per ipsum mundo illato, sibi (Christo) et fidei ipsius carissima quaeque postponenda esse. — *Qui amat patrem aut matrem plus quam me*, qui me parentibus et cognatis non praetulerit, seu: qui me constanter non professus fuerit, ipsissimo periculo, parentes et cognatos suos habendi adversarios infensissimos. Lucas (14, 26.) habet: qui non odit patrem etc. ., i. e. qui non minus diligit patrem etc. ., seu: qui animo non est paratus parentes et cognatos

mea causa relinquere, seu omnia sanguinis vincula dirumpere. — *Non est me dignus*, non est dignus meo nomine, discipulatu (ut Lucas 14, 26. habet) et consortio meo, seu: non est dignus ut sit haeres mecum in beatitudinis regno. Homo Christo totum se tradat necesse est, ut et ipse Christum in praemium recipiat. — *Et qui amat filium aut filiam super me* . . In his verbis adest gradatio, quum amor parentum erga liberos major sit amore liberorum erga parentes (Thom. Aq.).

V. 38. *Et qui non accipit crucem suam*, nimirum ut eam ferat; et sensus est: qui non paratus est ad mala quaevis etiam gravissima ferenda, imo et ipsam mortem, tam aequo ac lubenti animo, ut ego facio, mea causa subeundam. Crux h. l. notat persecutiones omniaque mala Christi causa perferenda, hinc et mortem. Quia crucis supplicium apud Romanos gravissimum esset, factum est, ut crux sit imago malorum gravissimorum, imo et mortis. Dictio: *recipere*, ferre (Luc. 14, 27.) *crucem*, inde explicanda est, quia cogeantur malefici ipsi crucem, cui affigendi essent, ad locum supplicii ferre. — Verbis: *et sequitur me*, significat Christus, mala tam patienti, aequo ac lubenti animo subeunda esse, quo ipse id facit; sed simul iis videtur alludere ad suae futurae crucis bajulationem (Joan. 19, 17.).

V. 39. *Qui invenit animam suam, perdet eam, et qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam*. Sententia haec est paradoxon (oxymoron), quod facile solvitur, si vox animam (ψυχὴν) utraque vice de vita terrena, pronomen eam (αὐτήν) utraque vice de vita aeterna, beata, intelligitur. Sensus vid. in comment. in evang. s. Joan. 12, 25. Ceterum τὸ invenit est praeteritum; nam graece est partic. aor. II: ὁ εὑρών.

V. 40. In sequentibus ob oculos ponitur magna Apostolorum eorumque successorum dignitas, quippe quum ipsi repraesentent Christum (cf. 2 Cor. 5, 20.), sicut ipse Patrem, ut inde solatii loco colligant, ipsos in praedictis calamitatibus non omnis auxilii expertes fore, sed a multis libenter exceptum iri. — *Qui recipit vos*, qui hospitio excipit vos, legatos meos. — *Me recipit*; nam Apostoli sunt legati Christi, hinc excipiendis iis legatis excipitur ipse Christus, qui eos legavit, ut per eos loquatur et agat. — *Et qui me*

recipit, recipit eum, qui me misit, qui me recipit, recipit Deum Patrem; nam ubi Christus essentialiter est, ibi est et Pater (Joan. 14, 10.).

V. 41. Versu hoc docet Christus, non solum Apostolos duodecim esse praedicaturos, sed alios etiam eorum socios et adjuutores a Deo missum iri. — *Qui recipit prophetam in nomine prophetae* (εἰς ὄνομα προφήτου), ratione habita ejus, quod in nomine prophetae continetur, i. e. quia propheta est, non aliam ob causam, veluti quia popularis est, aut lucri laudisve causa. Nonnulli per prophetam intelligunt doctorem et praedicatorem religionis christianae; per justum autem christianum pium, probum. Alii utriusque hujus vocis propriam tenentes significationem, intelligunt prophetas et justos V. T., repraesentantes V. T., utpote priores annuntiatores, posteriores vero observatores verbi divini. Prior explicatio ob contextum praeferenda. — *Mercedem prophetae — justi accipiet*, ille eadem praemia coelestia, quae propheta, aut justus accepturus est, accipiet. Libenter enim excipiendo propheta eidem, praedicanti verbum divinum, quum eum sustentat et juvat, cooperatur, hinc utpote laboris ejus particeps, meritum ejus et praemium in se trahit; sicut qui justum excipit, virtuti (negotiis justis et consiliis) ejus cooperatur; hinc et ejus operis meritum et praemium in se trahit (cf. a Lap.).

V. 42. Versu hoc docet Christus, non solum hospitium praestitum suam habiturum esse mercedem, sed quodcunque auxilium vel beneficium propter Christum collatum. Per minimos (μικροὺς seu ἐλαχίστους) ob locum Marci (9, 39. 40.) intelligendi sunt Apostoli et discipuli alii. Dicuntur autem parvi (μικροί) seu minimi (ἐλάχιστοι), quia a mundo (hominibus infidelibus) parvi habebantur et ut tales contemnebantur. — *Ex minimis istis*; digito Apostolos et alios discipulos monstrasse censendus est. — *Calicem aquae frigidae*; per aquam frigidam significatur beneficium seu auxilium tenue et exiguum. Ad ψυχροῦ subintelligendum est ὕδατος, uti aperte legitur apud Marcum (9, 41.). — *In nomine discipuli*, ratione habita ejus, quia meus discipulus est. — *Non perdet mercedem suam*, non carebit praemio in altera vita. Haec Christi verba simul docent, Deum

non habere rationem magnitudinis operum, sed voluntatis; et dein, nos per charitatem, in proximum operibus exhibitam participes fieri ejus laboris, meriti et praemii.

Caput XI.

1. Legatio Joannis ad Christum (2—19.).

Ex s. Luca, qui ex ordine maximam partem scribit, comperimus, Apostolos missos esse ad praedicandum aliquo tempore (Luc. 9, 1—6.) post legationem Joannis (Luc. 7, 18. seq.); hinc s. Matthaeus, uti alias etiam hic temporis ordine non servato, inserit solemne illud et ultimum monitum, quod Joannes ante mortem suam Judaeis tradidit, dum Jesum iterum profitetur Messiam et hanc suam fidei professionem modo eximio, ut Jesus publice confirmet et commendet, legatione missa efficit (Knabenbauer.)

V. 1. In versu hoc transitus fit ab institutione Apostolorum ad sequentem narrationem. — *Et factum est, καὶ ἐγένετο;* phrasis haec respondet hebr. וַיְהִי. — *Cum consummasset Jesus praecipiens duodecim discipulis*, cum finem fecisset praecipiendi duodecim Apostolis, seu instruendi et ordinandi (Mald.). Nam participium praecipiens (διατάσσειν) in latino positum est pro infinitivo ex graeco idiomate, et est constructio bene graeca.¹⁾ — *Transiit inde*, ab illo loco, ubi sermonem praegressum ad Apostolos habuit. Juxta contextum cum 9, 35. erat locus quidam Galilaeae. — *Ut doceret et praedicaret in civitatibus eorum*. Praeferenda est explicatio illorum, qui pronomen eorum interpretantur per: Galilaeorum. Quum tamen plerique Apostolorum Galilaei essent, explicatio eorum, qui pronomen eorum ad discipulos referunt, in substantia sensus non differt.

V. 2. *Joannes autem quum audisset in vinculis*, graece: in carcere. Teste Josepho Flavio (Antiq. XVIII, 5, 2.) Joannes

¹⁾ Cf. Winer. gram. § 45, 4.

Machaerunte in custodia tenebatur, quod castellum in parte maxime meridionali Peraeae erat. — *Opera*. Per opera sunt praeprimis (coll. v. 5.) intelligenda miracula, sed simul alia facta activitatis Christi publicae (annunciatio evangelii pauperibus facta.) — *Christi*, scribit Matthaeus, non Jesu, veluti innuat, patrat ubique prodigiis manasse rumorem, ipsum esse Messiam, quem tamdiu omnes praestolabantur (Calm.). — *Mittens duos de discipulis suis*, (δύο τῶν μαθητῶν). Sed lectio διὰ loco δύο ob codices praestantissimos (Aleph. B. C. D.) praefenda est, quae in nexu cum verbo mittere (πέμπειν) respondet hebr. מִשְׁלֵּי, ita ut πέμψας διὰ sit hebraismus, v. c. 3 Reg. 2, 25. Misit rex Salomon per manum Banaiae. i. e. per Banaïam. Cf. 1 Reg. 16, 20. 2 Reg. 12, 25; 15, 36. Lectio δύο verosimiliter ex Luca (7, 19.) deprompta est.

V. 3. *Tu es qui venturus es* (ὁ ἐρχόμενος), num tu es Messias? Quia Messias in V. T. tanquam venturus a prophetis praedictus, et ab omnibus desideratus et expectatus esset, a Judaeis per eminentiam dicebatur ὁ ἐρχόμενος, venturus. Nam participium praesentis vim habet futuri, quum Hebraei frequenter tempus praesens ponunt pro futuro, ubi sermo est de re certo futura; quapropter Vulgata recte vertit: qui venturus es. *Tu* (σύ) cum vi et gravitate additum est ideoque antepositum.

Quaeritur hoc loco, quaenam causa fuerit, ob quam Joannes discipulos ad Christum miserit, ut eum interrogarent, utrum Messias esset, nec ne? Multi putant, Joannem sui ipsius causa id fecisse; et quidem nonnulli horum (inter quos et Tertullianus, Doellinger¹⁾ nec non et plures acatholici) dicunt, Joannem, cui in vinculis dubitationes subortae sint, an Jesus revera sit Messias, voluisse, ut Christus claris verbis pronunciaret, se esse Messiam, atque ipsum e captivitate ac morte imminente liberaret. Sed ejusmodi inconstantia, timiditas et dubitationes a Joannis animo, qui, utpote signo coelitus dato de Messiana Jesu dignitate edoctus, eum hactenus constanter Messiam professus erat (3, 11. Joan. 1, 26 — 32. 35 — 37.), quam maxime erant aliena. Neque etiam Christus

¹⁾ Christenthum und Kirche.

Joannem, si ita animatus fuisset, tantis condecorasset laudibus, quantis eum v. 7. et seq. ornavit; nec Christus serius (coll. Joan. 5, 33. seq.) iterum ad Joannis testimonium provocasset. — Alii vero horum existimant, Joannem sui quidem ipsius causa legatos misisse, neque tamen propterea, quod dubitare coepisset, num Jesus revera sit Messias, sed ideo, quia, cum animi fervidioris et morae impatiens esset, atque avide initia regni Messiani exspectaret simulque speraret, fore ut per Christum e carcere liberaretur, interrogatione: num tu es Messias? Christum impellere voluit, ut publice se Messiam profiteretur ageretque ea, quae Messiam decent.¹⁾ — Sed explicatio haec ideo non potest admitti, quia in Joanne praesupponit erroneam de terreno Messiae regno opinionem, a qua ille alienus erat, quum docentibus evangeliiis (Matth. c. 3. Marc. 1, 4. Luc. 3, 3.) bene scivisset, regnum a Messia condendum fore morale, quare emendationem morum postulabat ab iis, qui regni Messiani membra fieri vellent. Nec porro verisimile est, Joannem, qui coram populo professus est, se non esse dignum, ut Christo calceamenta solvat (3, 11.), tam humilem, qui publice confessus est, eum (Christum) oportere crescere, se autem minui (Joan. 3, 30.), ausum fuisse, Christo praescribere, aut eum reprehendere, quod in regno Messiano constituendo nimis tardaret. Quapropter praefenda videtur sententia eorum²⁾, qui antiquos Patres (Hilar., Chrysost., Cyrill.) secuti, docent, Joannem non sui ipsius, sed discipulorum suorum causa legatos ad Jesum misisse. Quum nimirum Joannes sciret, nonnullos discipulorum ejus, incrementa auctoritatis et doctrinae Christi aegre ferre (coll. Joan. 3, 26.), alios autem ad pharisaeos, qui Jesum ob humilem conditionem externam qua Messiam agnoscere noluerunt, se inclinare (coll. 9, 14. Luc. 5, 33.), timendum erat, ne mortuo magistro suo (Joanne) sibi solis relictis mansissent, nisi magister eos movisset, ut Christum sectarentur. Ut itaque saluti discipulorum ac simul populi Judaici prospiceretur, Joannes morti proximus, ad Jesum eos ablegavit, ut ex

¹⁾ Kuin., Sepp, Schegg, Gams: Johannes im Gefängnisse.

²⁾ Mald., a Lap., Menoch., Tirin., Calm., Arnoldi, Bisp., Knabenbauer.

ipsius ore audirent, quis esset, et tanquam magistrum eum in posterum sequerentur.

V. 4. S. Lucas (7, 21.) per parenthesin notat, tempore illo, quo Joannis discipuli advenerunt, Christum multas perfecisse sanationes; qua annotatione responsum Christi magis clarum fit. Nam verbis suis: *euntes renunciate Joanni, quae audistis et vidistis*, id tantum volebat Christus dicere: utrum ego Messias sim, an alius sit expectandus, ipsa mea insigniter facta docent. Quibus qui non adducitur, ut credat, me esse Messiam, illi id non persuadetur, etiamsi vel sanctissimam asseverationem interponerem. — *Quae audistis et vidistis*, miracula, quae a me edita esse ex illis, qui illis edendis interfuerunt, audivistis, et quae ipsi vidistis, nimirum hominibus olim caecis visum, claudis gressum etc. (coll. v. 5.) restitutum esse. Christus vero ad quaestionem non diserte respondit, quia homines incredulos non verbis, sed factis persuadere et convincere voluit (Chrys.). Ceterum graeca ἀκούετε et βλέπετε sunt praesentia historica; quare Vulgata recte ea ut imperfecta vertit.

V. 5. *Caeci vident*, caeci visum recuperarunt. — *Claudi ambulant*, qui prius claudi erant, ambulant. — *Surdi audiunt*, qui prius surdi erant, audiunt. — *Mortui resurgunt*. Verbis his respicit Jesus ad resurrectionem juvenis Naimitici apud Lucam (7, 11—18.) narratam. — *Pauperes evangelizantur* (πτωχοὶ εὐαγγελίζονται), hominibus miseria pressis, humilibus, pauperibus spiritu (5, 3.), doctrina evangelica annunciat. Verbum graecum pertinet ad illa verba (uti πιστεύειν Rom. 3, 2.), quae in activo communiter construuntur cum dativo personae, in passiva autem forma ille dativus personae fit subjectum (nominativus). Ceterum respicit Jesus verbis hujus versus ad duo oracula Jesaiae (35, 5. 6; 61, 1.), innuens, se talia facere, qualia de Messia praedicta erant, adeoque se esse Messiam (cf. 21, 14.). Jubet porro Christus haec Joanni nunciari, quia etiam discipuli Joannis, nomine magistri sui, interrogarunt.¹⁾

V. 6. Verba haec spectant ad interrogantes Joannis discipulos (Cf. Joan. 3, 25. seq., Matth. 9, 14.). — *Beatus, qui*

¹⁾ Cf. Beelen gram. pag. 226.

non fuerit scandalizatus in me, beatus, qui mea doctrina, mea humili conditione externa meaque agendi ratione non offenditur. Nam ad participanda bona Messiana ante omnia fides est necessaria. Hac reprehensione turbas percutit, quae ad fidem Jesu ut Messiae praestandam ne hoc ultimo quidem testimonio Joannis commovebantur.

V. 7. *Illis autem abeuntibus*, i. e. digressis (coll. Luc. 7, 24.), ne Joannem coram ejus discipulis adulatorie laudare videretur (Chrysost.). — *Coepit Jesus dicere*. Voluit enim praecavere, ne, quae prius legatis Joannis dixerat, praesens populus ita intelligeret, ac si Joannes inconstans esset ac levis; hinc eum laudibus celebrare coepit, ita removens omnem suspicionem in populo, ac si Joannes priorem sententiam suam, qua magnificum de Christo testimonium praebuerat, mutasset aut de Christo dubitare coepisset (Mald.). — *Quid existis in desertum videre?* quid causae fuit, quod ante certatim in desertum Judaeae (coll. 3, 1.) spectatum existiis? — *Arundinem vento agitatam?* an ideo, ut ibi spectaretis hominem levem et in sententia sua de me Messia inconstantem? Nequaquam; sed omnes vel hoc ipso facto unanimiter judicastis, esse hominem, ut vitae severitate, ita et animi constantia admirabilem. Arundo vento agitata est imago hominis levis, inconstantis. Alii verba haec proprie interpretantur, qua re sensus prodit languidus.

V. 8. *Sed*, (ἀλλὰ) si nimirum illud in causa non fuit, cur exieritis. Nam particula ἀλλὰ supponit responsionem negativam ad antecedentem quaestionem. — *Hominem mollibus vestitum*, scil. vestibus. Quum homo vestibus mollibus utens, habetur mollis, sensus est: An ideo existiis in desertum, ut ibi videretis hominem mollem et delicatum (voluptatibus deditum)? Mollibus; ἐν μαλακοῖς (ἐν indicat statum); μαλακός mollis (oppon. σκληρός durus), τὰ μαλακά vestes molles; metaphor. et sensu malo μαλακός dicitur homo mollis, effeminatus. — *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*, i. e. nullo modo, nam tales in domibus regum sunt, Joannes autem in deserto, ubi omnia inculta, austera et squalida sunt, versabatur.

V. 9. Prius (v. 7. et 8.) dixerat Jesus, qualis non sit Joannes, et ita ab eo amolitus est inconstantiae ac levitatis

suspicionem; nunc docet, qualis vir sit. — *Sed*, si iterum id causae non fuit. — *Quid existis videre? prophetam?* i. e. nonne in desertum exiistis, quia Joannem prophetam esse sensistis? — *Etiam dico vobis*, illum esse prophetam vobis affirmo. — *Et plus quam prophetam*, nimirum vidistis. Graecum περισσώτερον optime cum Vulgata sumitur ut neutrum; plus, praestantius aliquid (non vero ut masculinum: praestantiolem).

V. 10. Nunc probat, Joannem plus esse quam prophetam. Nam prophetae V. T. tantum prophetaverunt, Joannes vero prophetatus est; prophetatus vero communiter major est prophetante. Dein Joannes prophetatus est ut praeco, praecursor, immediate ante Messiam praecessurus, qui homines praedicatione baptismi, poenitentiae et regni coelorum appropinquantis ad Messiam amplectendum praeparaturus est (coll. 3, 3.), qui ergo non ut reliqui prophetae e longinquo vaticinatus est de futuro, sed praesentem digito monstravit. — *Hic est enim, de quo scriptum est*, nimirum apud Malachiam (3, 1.). — *Ecce, ego mitto angelum meum*, legatum, nuncium meum. — *Ante faciem tuam*, immediate ante te. — *Qui praeparabit viam tuam ante te*, qui hominum animos ad Messiam amplectendum praeparaturus est. Apud Malachiam legitur: ante faciem meam, et: viam meam, sed eodem sensu. Nam apud prophetam Filius de semetipso, apud Matthaeum vero Pater de Filio loquitur. Quum tamen apud Marcum (1, 2.) et Lucam (7, 27.) verba Malachiae eodem modo ac apud Matthaeum leguntur, patet, verba haec ab ipso Christo ita citata fuisse.

V. 11. *Non surrexit*, non excitatus est (a Deo). Verbum ἐγείρω hoc loco (24, 11. Joan. 7, 52.) est (ut hebr. קָם Jud. 2, 18; 3, 9. 15.): prodire in publicum facio, scil. aliquem, excito, evoco aliquem e multitudine. Adhibetur de prophetis. — *Inter natos mulierum*; γεννητός γυναικός est periphrasis hominis generatim, respondens Hebr. יָלֵד אִשָּׁה (Job 14, 1; 15, 4; 25, 4.); hinc ἐν γεννητοῖς ὑπὸ γυναικῶν inter omnes homines. Per natos seu filios mulierum ob statim addita: qui autem minor etc., sunt (quum ante γεννητοῖς desit articulus) intelligendi homines nondum regenerati ex Deo (γεννητοὶ ἐκ Θεοῦ), ita ut sensus

sit: inter omnes homines nondum spiritualiter regeneratos (cf. Joan. 1, 13; 3. 3—10.) nemo Joanne Bapt. est major, qui ut praecursor Messiae prophetatus est, et ex ipso materno ventre vaticinatus est, qui digito Messiam praesentem monstravit, atque sic vivebat, ac si in caelo fuisset. — *Qui autem minor est in regno coelorum, major est illo* (scil. Joanne). Dantur hujus loci variae explicationes. Nonnulli verba regnum coelorum exponunt de coelo; ast h. l. verba illa non significant coelum, sed ecclesiam hisce in terris. — Alii ob locum Joannis (1, 15.): »qui post me venturus est, ante me factus est«, vocem minor explicant de Christo, conjungentes simul verba in regno coelorum cum voce major. Sed vox minor haud valet idem ac verba l. c. apud Joannem; nec Christus unquam se vocavit minorem; nec hominum opinione Joanne minor est habitus. Alii per minorem intelligunt prophetam N. F., doctorem religionis christianae. Ast huic explicationi obstant ipsa Christi verba, quum non dicit: nemo inter prophetas, sed: nemo inter natos mulierum; dein dicit simpliciter: minor, non autem minor propheta aut doctor. Quapropter praeferenda est explicatio eorum, qui Maldonatum secuti, per minorem in regno coelorum intelligunt quemvis christianum, qui, etiamsi inferior sit scientia et felicitate aliis christianis, tamen major est Joanne Bapt. Nam, uti verba statim sequentia: »a diebus Joannis B. usque nunc regnum coelorum vim patitur«, et: »omnes prophetae et lex usque ad Joannem prophetaverunt«, docent, voluit Jesus antithesin inter A. et N. Testamentum, hujusque praestantiam prae illo proponere. Hoc autem voluit, uti saepe fecit, in exemplo Joannis, perfectissimo flore in horto V. T. ostendere; Joannes enim pertinet ad V. T. vel medius erat utriusque Testamenti (Tostat.). Inter homines igitur V. T. seu inter natos mulierum est Joannes maximus; inter eos vero, qui ex aqua et Spiritu sancto regenerantur, est quisque minor major Joanne, juxta illud philosophorum axioma: Minimum maximi majus est maximo minimi. Sic enim, uti Maldonatus observat, et antithesis inter evangelium (N. T.), et legem (V. T.), et inter evangelii (N. T.) et legis (V. T.) personas

aptissime convenit, ut, qui minimus est in evangelio (in ecclesia Christi, in N. T.), eo, qui in lege (in V. T.) maximus fuit, major esse dicatur. — Quaeri tamen potest: Quomodo, qui minimus est in evangelio (in N. T.) major sit Joanne B.? Possumus breviter dicere: Quum regnum Messianum (ecclesia Christi) praestantius est theocratia V. T., quilibet christianus ex eo, quod est in regno Mess., est major Joanne, licet ratione muneris, dignitatis et existimationis, minoribus et inferioribus accenseri debeat. Quo tamen non negatur, Joannem non solum multos, sed innumeros N. T. sanctitate longe praecessisse.

V. 12. Nunc declarat, qualem fructum tulit illa Joannis praedicatio. — *A diebus Joannis B.*, inde ab illo tempore, quo Joannes prodiit, poenitentiam praedicans et baptizans. — *Usque nunc*, ad hoc usque tempus, quod autem perdurat usque ad finem mundi. — *Regnum coelorum vim patitur* (ἡ βασιλεία τ. οὐρ. βιάζεται). Versio Vulgatae minus recta est, quum verbum βιάζεται forma passiva sumptum, non notet: vim patitur, sed: vi corripitur, oppugnatur, oppugnatione premitur. Si ita vertitur, sensus, uti antiqui Patres et interpretes¹⁾ eum statuunt, sequens est: Regnum coelorum mortificatione, poenitentia, paupertate obtinetur; seu: inde a tempore Joannis B. salus Messiana non amplius, uti in V. T. fiebat, expectanda et desideranda, sed vi oppugnanda est. — *Et violenti rapiunt illud*, et illi, qui sibi et suis vitiis vim inferunt per mortificationem, poenitentiam, paupertatem etc. et nihil non audent, ut eo potiantur, revera eo potiuntur. Nam βιαστής est is, qui vim infert, violentus. Comparatur hoc versu, ut saepe, regnum coelorum (ecclesia) cum arce, quam homines aggrediuntur, et si fortiter in oppugnatione perseverant, tandem expugnant. Ceterum, dum Christus absolute, sine restrictione dicit: *et violenti rapiunt illud*, recte colligitur, regnum coelorum omnibus apertum, omnibus expositum esse, ut quicumque velit, in illud irruat, quia non jam haereditati, uti Judaeis lex, sed virtuti datur (Mald.). Nonnulli interpretes²⁾, quia βιάζεται forma passiva semper (uti dicunt) sensu malo usurpatur (Deut. 22, 25.

¹⁾ Chrysost., Hier., Greg. M., Theophyl., Euthym.

²⁾ Calm., Wilke, Knabenbauer.

vim inferre puellae; Esth. 7, 8. reginam opprimere; Jud. 13, 15; 19, 7. 4 Reg. 5, 23. aliquem, qui aliter agere vellet, cogere et alias), verba: regnum coelorum vim patitur de oppugnatione regni Messiani, facta per multorum, praecipue pharisaeorum inimicitias, invidias, calumnias et persecutiones, quibus sua malitia Christum praedicantem persecuti sunt et populum a Christo abstrahere studuerunt, verba: et violenti rapiunt illud, explicant: et ii, qui vi illud opprimunt, auferunt illud et eripiunt iis, qui illud ingredi volunt. Provocant ad ipsius Christi effata in hoc capite a v. 19. seq.; ad ejus verba 23, 13, »vae vobis scribae et pharisaei, quia clauditis regnum coelorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare« (quod non est aliud, quam aliis rapere regnum coelorum); idem etiam apud Lucam (11, 52.) legitur: »vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiae, ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis.«

V. 13. *Omnes enim prophetae et lex usque ad Joannem prophetaverunt.* Hisce verbis Jesus rationem affert, quomodo factum sit, ut inde ab eo tempore, quo exstitit Joannes, annuncietur, regnum coelorum (Messianum), in quo, qui minor est, major est Joanne (v. 11.) et quo quisque potiri possit (v. 12.), jam instare; quia tempus propheticae annunciationis regni coelorum (Messiani) protenditur usque ad Joannem, cum Joanne nimirum desiit prophetia de venturo Messia et regno ejus; et ideo dicit emphatice: prophetaverunt. — Quum alias dicitur: lex et prophetae, hic autem lex secundo ponatur loco, nonnulli interpretes¹⁾ putant, legem ideo ita collocari, quia ratione prophetiarum locum cedat et inferior sit prophetis, quum vaticinia Messiana in Lege, i. e. pentateucho tanquam in germine contineantur (coll. Joan. 3, 14; 5, 46; 19, 36; Act. 3, 22; 7, 37. Rom. 4, 16. etc.).

V. 14. Versu hoc Christus ultra explicat novum rerum ordinem (regnum Messianum) appropinquare et quidem modo adeo ad Judaeorum notiones accomodato, ut eum possint recte

¹⁾ Schanz, Weiss, Pözl.

intelligere. — *Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est*, si missis praejudiciis vestris de Eliae persona et munere, saniora admittere et discere vultis, hic Joannes est ille Elias, quem juxta Malachiam (4, 5. 6.) ante Messiae adventum proditum creditis. Judaei enim innixi verbis Malachiae putabant, ipsum Eliam prophetam Thesbitam in terras olim (i. e. ante judicium extremum) reditum, ante primum Messiae adventum esse proditum simulque politicum futurum esse reparatorem, quod falsum erat. Verum quidem erat, ante Messiae adventum esse venturum praecursorem, Eliam alterum, non illum ipsum prophetam, sed alium ab Eliae persona diversum, officio, virtute et spiritu ei similem (coll. Luc. 1, 17.). Cf. 17, 11.

V. 15. *Qui habet aures audiendi, audiat*. Hisce admonet Jesus auditores, ut vim et sententiam eorum, quae hucusque a versu 7—14. dixerat, intelligere studeant. Auris (οὖς) h. l. per metaphoram est ipsa facultas intelligendi; et audire h. l. intelligere, ita ut sensus sit: Qui habet animum ad haec intelligenda idoneum, intelligere ea conetur. Phrasi hac saepe utitur Christus, quando de re maxime seria verba facit.

V. 16. 17. Quantopere indigeant ea monitione (v. 15.), ostendit Christus ex contumacia eorum et pervicacia, qua et Joanni et sibi exstiterint adversarii et calumniatores. — *Cui autem similem aestimabo generationem istam*, i. e. Judaeos Christo coevos (coll. Luc. 7, 31.). Praeferenda est lectio Lachmanni, quam Vulgata sequitur. — *Similis est pueris*. Pueri h. l. sunt Judaei. — *Sedentibus in foro, qui clamantes coaequalibus*. Coaequales, sodales (ἐταῖροι) ob locum s. Lucae (7, 32.): similes sunt pueris... loquentibus ad invicem (προσφωνοῦσιν ἀλλήλοις) sunt Judaei. Ob eodices Aleph. B. D. lectio ἐτέροις sine αὐτῶν praeferenda est. — *Dicunt*, scil. Judaei, nam v. 16. dicitur: similis est scil., generatio (γενεά), ergo non Christus et Joannes; et dein in applicatione comparisonis v. 18. et 19. per verbum: dicunt (λέγουσι) intelligendi sunt Judaei, hinc et in ipsa comparisonē. — *Cecinimus vobis, ἡλλήσαμεν*, tibiis cecinimus vobis, coepimus nuptias ludere. Tibiis canebatur apud Graecos et Romanos non tantum in funeribus, sed etiam in nuptiis et choreis. — *Et non saltastis*, et sprevestis nuptias nobiscum ludere. — *Lamentavimus* (ἐθρηνήσαμεν), lamentati

sumus, carmen lugubre vel funebre cantavimus. — *Et non planxistis*, nulla luctus signa tunsione pectoris edidistis. Locutio repetita est a pueris in plateis ludentibus et imitantibus ea, quae a senioribus serio agi vident; qui ergo, dum viderint in choreis et nuptiis tibiis cani et in funeribus naenias decantari, ludentes eadem faciunt, atque pueris aliis morosis, qui sodalium suorum studiis nec laetis, nec tristibus moventur, ut eadem cum illis faciant, hanc morositatem et inhumanitatem exprobrant. Recte autem interpretes multi¹⁾ notant, hic non personas personis, sed totum negotium toti negotio comparari. Ut morositas et contumacia animorum magis depingatur, dividuntur pueri in duas partes, qua contumacia et morositate accidit, ut, quidquid tentetur, morosi illi semper habeant, quod obloquantur et reprehendant atque in malam partem accipiant.

V. 18. Explicat (ὑπερ), quod imagine praegressa dictum erat. — *Venit enim*, prodiit nimirum tanquam doctor publicus et meus praecursor. — *Joannes neque manducans, neque bibens*, communi hominum victu (pane et vino coll. Luc. 7, 33.) non utens, seu austerissimam vitae rationem agens. — *Et dicunt*, nimirum pharisaei et Sadducaei. — *Daemonium habet*, a daemone obsessus et ideo insanus, emotae mentis est.

V. 19. *Venit Filius hominis*, veni ego Messias. — *Manducans et bibens*, eodem cibo et potu utens, quo alii communiter utuntur. — *Et dicunt: ecce homo vorax et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus*, i. e. mea agendi ratio, licet a Joannis agendi ratione diversa, vobis aequae non placet. Respicit Christus ad ea, quae 9, 11. referuntur. — *Et justificata est sapientia a filiis suis*, et justa agnita, seu tanquam vera declarata est sapientia (quae se in vivendi agendique ratione tam Joannis, quam mea, manifestabat), ab omnibus revera sapientibus. Verbum δικαιώω h. l. notat justum declaro seu agnosco (ut Rom. 2, 13.). — *Filii sapientiae hebraismus pro: sapientes* (cf. 8, 12.). Per hos intelligit Christus Apostolos et assecclas (fideles) suos.²⁾

Ea, quae nunc inde a v. 20 — 24. leguntur, alia occasione a Jesu prolata esse, docet s. Lucas, qui (10, 12. seq.) refert,

¹⁾ Mald., a Lap., Schegg, Schanz, Knabenbauer.

²⁾ Cf. Knabenbauer.

id factum esse, cum Jesus 70 discipulos emitteret; hinc alii¹⁾ putant, fuisse ea dicta eo tempore, quo Lucas ea refert, alii iterum statuunt, Matthaeum h. l. ordinem temporis servasse. Sed quia exprobratio sequens optime cohaeret cum praecedentibus nostri evangelistae, quod inde patet, quia Matthaeus addit: tunc (τότε), et quia etiam apud Lucam apto in nexu occurrit, videntur haec bis dicta fuisse.²⁾

2. Minae in urbes Galilaeae Chorozaïn, Bethsaida et Capharnaum (v. 20 — 24.).

(Luc. 10, 13 — 15.).

V. 20. *Tunc*. postquam exprobraverat duritiam Judaeorum. — *Coepit exprobrare civitatibus*, incolis illarum urbium. — *Virtutes*, miracula (cf. 7, 12.).

V. 21. *Vae* (ὦ αἰ) est interjectio vel dolentis vel comminantis, qua Jesus saepe utitur. — *Chorozaïn*, fuit oppidum Galilaeae, ad lacum Tiberiadis situm, haud procul a Capharnaumo. — *Bethsaida*; vid. commentar. in evang. s. Joan. 1, 44. — *Quia, si in Tyro et Sidone factae essent virtutes*, etc. Tyrus et Sidon erant urbes Phoeniciae, mercatura celeberrimae et opulentissimae, sed simul luxuria aliisque vitiis corruptissimae. — *Olim in cilicio* (ἐν σάκκῳ). Cilicium erat tunica atra e filis crassis texta et sacci instar in corpore haerens, quam Judaei induere, sive loco pallii superinduere in luctu solebant (Jon. 3, 5; Jes. 58, 5; Jerem. 6, 26.). — *Olim*, jam pridem.

In verbis: in cilicio et cinere adest zeugma, atque idem valent ac: induti sacco et conspersi cinere. Etiam conspersio cinere erat signum luctus. Cur vero eas urbes non adibat Christus, cum et evangelium excepturas et poenitentiam acturas intelligeret? Qui absolutam docent praedestinationem, respondent: quia praedestinati erant ad perditionem. Causa hujus erat, quia proxime missus erat ad amissas oves Israëlis (coll. 10, 5.), volebatque ea explere, quae a foedere cum Abrahamo inito postulabantur, missurus deinde Tyrum et Sidonem

¹⁾ Mald., a Lap., Patrit.

²⁾ Aug. lib. 2. de consens. evang. c. 32., Knabenbauer.

Apostolos, quemadmodum ad reliquas urbes miserat (Calm.). Ceterum poterant etiam Tyrri et Sidonii, si legi in cordibus eorum scriptae obsequium praestare volebant, salutem suam operari. Non defuit ergo eis gratia necessaria (sufficiens), sed solum extraordinaria, superabundans, data in miraculis.

V. 22. Vide dicta 10, 15.

V. 23. Datur hic diversitas lectionis. Vulgata et plures codices antiquissimi legunt cum interrogatione: Capharnaum, numquid in coelum exaltaberis (μή... ὑψωθήσῃ)? i. e. num tu ad summum dignitatis gradum in regno Messiano pervenies, quum domicilium mihi in te elegerim, quum meam doctrinam audieris meaque miracula spectaveris? Sic inesset verbis his ironia. In aliis autem codicibus legitur sine interrogatione, (uti ACE aliisque minusculis et in loco Lucae 10, 15. parallelo). Sed prior lectio praeferri videtur, quum facile posset intelligi, quomodo ὑψωθήσῃ poterat mutari in ὑψωθείσα aut ὑψώθῃς. Litera M videlicet in MH facile poterat absorberi per literam M in voce praegressa ΚΑΦΑΡΝΑΟΥΜ, verbum ὑψωθήσῃ autem mutari aut in ὑψωθείσα, aut ὑψώθῃς, prouti H sumebatur aut ut relativum, aut ut articulus. Praeferenda est porro lectio Vulgatae etiam ideo, quia plures codices (Aleph BDL) eam etiam apud Lucam exhibent (cf. Schegg). Sensus in substantia idem manet; nam stante lectione sine interrogatione est: Tu etiam Capharnaum, quae ad summum dignitatis gradum evecta es, eo quod domicilium etc. . . . — *Usque in infernum descendes* (ἕως ᾧδου καταβήσῃ), ad infima detruderis, seu ad miserrimam conditionem redigeris, miserrima fies; nam hodie ne nomen quidem Capharnaum superest, multo miserior autem erit in extremo iudicio conditio tua conditione incolarum Sodomorum. Ἄδης, Scheol Hebraeorum, locus subterraneus, quo mortuorum animae continentur, est generatim imago deletionis et eversionis (cf. 16, 18.). Si legitur καταβιβασθήσῃ detruderis, sensus non mutatur. — *Si in Sodomis factae fuissent virtutes*. Comparat Christus Capharnaum Sodomis, urbi corruptissimae, ut ita summam ejus corruptionem designaret. — *Forte mansissent, mansissent* (etiamnum), si poenitentiam egissent et in illa perstitissent (Fr. Luc.). Alii

interpretes ¹⁾ monent, illud forte esse negligendum, quia versor v. 21. (ἔν) negligit.

V. 24. *Dico vobis*; spectat ad auditores Christi. — *Remisius erit in die judicii*; cf. 10, 15. — *Quam tibi*, nimirum Ca-pharnaum.

3. Christus exsultans, invitatio ad jugum ejus suscipiendum (v. 25 — 30.).

(Luc. 10, 21 — 22.).

V. 25. *In illo tempore*. Quum juxta Lucam (10, 21.) Jesus ea, quae inde a v. 25. usque ad v. 28. leguntur, locutus est, quum 70 discipuli ab eo emissi, reversi essent, nonnulli ²⁾ putant, ea dicta esse eo, quo Lucas refert ordine, Matthaeum autem ea huc inseruisse. Alii ³⁾ vero, quum ea etiam apud Matthaeum apto in nexu existant (nam antea exprobravit illis, qui eum *rejecerunt*, nunc loquitur ad eos, qui eum ut Messiam agnoscunt), rectius statuunt, dicta esse eo, quo Matthaeus narrat ordine; hinc sensus est: illo tempore, quo Christus severum sermonem habuit. — *Respondens* (ἀποκριθεὶς), h. l., quia nulla praecessit interrogatio, est idem ac: data occasione loqui exorsus est (ut 22, 1; 28, 5; Luc. 14, 3. Joan. 2, 18; 5, 17.). S. Lucas (10, 21.) habet: *exsultavit spiritu*, intima animi laetitia perfusus est. Sed praeferenda est cum Vulgata lectio: *exsultavit Spiritu sancto*, i. e. laetitia a Spiritu sancto, quo plenus erat, humanitas ejus et mens perfusa est. — *Confiteor tibi*, laudo, celeberrime te (nam id notat ἐξομολογοῦμαι sequente dativo personae), — *Pater*; ita dicit Deum ad nostram institutionem. — *Domine coeli et terrae*, domine creaturarum universitatis (coll. Gen. 14, 19; Deut. 10, 14.). — *Quia abscondisti*, nimirum gratiam non dando, qua possent illa intelligere. — *Haec*, scil. mysteria gratiae et veritatis, quae ego praedicavi et praedico. — *Sapientibus et prudentibus* (σοφοὶ et συνετοὶ fere synonyma), Judaeis illis, qui suo judicio omnibus sapientiae thesauris se abundare opinantur et propterea me (lucem mundi) meamquae doctrinam vilipen-

¹⁾ Jans., a Lap., Knabenbauer.

²⁾ Mald., Calm., Patrit., Knabenbauer.

³⁾ Jans., a Lap., Arnoldi, Schegg, Bisp., Pözl, Schanz.

dunt ac respuunt. Ergo sunt iidem ac videntes apud Joan. 9, 39. — *Et revelasti ea*, corda nimirum illustrando, quo capaces fiant illorum intelligendorum. — *Parvulis* (ῥηπίοις); hi sunt iidem ac *pauperes spiritu* (5, 1.), aut *non videntes* apud Joan. 9, 39. sinceri, simplices, humiles. Plerumque sententiae: *quia abscondisti . . . et revelasti* tanquam sibi subordinatae sumuntur, ita ut Christus Patrem non ideo, quod abscondisset sapientibus, sed propterea, quod, cum illis absconderit, ea revelaverit parvulis. Sed non est, cur Christus Patrem non potuisset celebrare ideo, quod justitiam suam (gratias multo potentiores non dando, quia oblati resistebant) credere nolentibus notam fecerit (cf. a Lap.).

V. 26. *Ita* (ὡς), i. e. profecto, vere. — *Pater* (πατήρ nominativus pro vocativo), scil. te celebro. — *Quoniam sic fuit placitum ante te*, quia sic, uti factum est, et non aliter, placuit tibi (ut nimirum superbis absconderis, humilibus autem revelaveris). Locutio: ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου posita est pro ἡδύοχησέν σοι (placuit tibi). (Chrys., Euth.) Conf. 18, 14.

V. 27. Verba haec plerumque¹⁾ cum praegressis necti solent, ita ac si ideo a Christo addita essent, ne propter dicta ejus priora quispiam existimaret, Patrem de omnibus ad salutem hominum promovendam pertinentibus, citra Filii notitiam decernere aut mysteria hominibus aperire, nulla Filii opera. Sed rectius alii²⁾ jungunt ea cum v. 28., cujus rationem continent. — *Omnia*, uti natura divina et omnipotentia, ita et totum salutis (redemptionis) opus. Cf. 28, 18. — *Mihi*, qui sum ejus Filius, constitutus ab eo mundi Salvator et Redemptor, ut per me in carne assumpta omnia recreet et reparet, sicut per me ut Deum omnia creavit. Nam Filius Dei est fons et organon omnis gratiae et veritatis divinae, quum in eo sint omnes thesauri sapientiae reconditi (Col. 2, 3). — *Et nemo novit* (ἐπιγινώσκει) *Filium*, nemo perfecte cognoscit aeternam Filii a Patre generationem, naturam, consilia et scientiam. — *Nisi Pater*, quia hic solummodo absolutam (divinam) Filii substantiam habet, et absolutum tantummodo capax est absoluti ex se cognoscendi. — *Neque Patrem quis novit*, ejus naturam, consilia et scientiam.

¹⁾ Hilar., Chrys., Euthym., Theophyl., a Lap., Calm.

²⁾ Hieron., Beda, Mald., Arnoldi, Knabenbauer.

— *Nisi Filius*, quia Patri consubstantialis est. His verbis asseritur aequalitas Filii cum Patre. Ego enim a Patre missus sum, ut sim doctor et Salvator mundi, ut scil. doceam homines veritatem et viam salutis. — *Et cui voluerit Filius revelare*, et cui ego praebeo notitiam Patris (consequenter et mei ipsius, quia Pater in me est et ego in Patre). Cf. Joan. 14, 10. His verbis Filius statuitur unicus mediator salutis et beatitatis.

V. 28. Jam explicat Filius, quibus vellet revelare Patrem, iis nimirum, qui miseriis pressi sentiunt suam infelicitatem et egestatem. — *Venite ad me*, tanquam fontem omnium bonorum, cui Pater omnia dedit in manus. — *Omnes*; nam nemo est, qui non sub iugo veteris hominis, concupiscentiarum et miseriarum ingemisceret ac ejus medela indigeret (cf. Joan. 7, 37.). — *Qui laboratis* (κοπιῶντες), qui defatigati estis moerore propter peccata vestra ac aerumnas hujus vitae. — *Et onerati estis*, nimirum lege, quae quidem homines peccati conscios fecit, non tamen ab eo liberavit, traditionibus ritibusque, quos vestri doctores vobis imponunt (coll. 23, 4. et Act. 15, 10.). — *Et ego reficiam vos*, videlicet remittendis peccatis, donanda adoptione (filiorum Dei) et gratia Dei, qua aerumnae hujus vitae superantur, nec non exonerandis iis praeceptis et ritibus pharisaeorum, ac tandem danda gloria aeterna in coelis, quod vestri doctores facere non valent.¹⁾

V. 29. Nunc docet, quomodo haec requies comparari possit per ipsum. — *Tollite jugum meum super vos*, i. e. deposito peccatorum onere, sub quo hucusque ingemuistis et excusso iugo legis, quae peccati quidem vos conscios fecit, nequaquam vero ab eo liberavit (Rom. 7, 7.), suscipite jugum doctrinae meae. In s. scriptura saepe (Ps. 2, 2; Jerem. 2, 20.) jugum vocatur doctrina aut praecepta, quia subditos per modum jugi, quod bobus imponitur, subjicit et continet. — *Et discite a me* (μαθήτε), et estote mei discipuli, doctrinam meam lubenter audiendo eique obediendo. — *Quia mitis sum*, quia non asper et severus erga infirmos, sed clemens et benignus sum. Continent haec causam verborum: tollite jugum... — *Et humilis corde*, toto animo, utpote ipse jugum vobiscum ferens ac peccatores praeprimis

¹⁾ Cf. s. Aug. sermo 10. in hunc locum, Liber de imitat. Christi 4, 1.

quaerens. Contrarium legitur de pharisaeis (23, 4.). — *Et invenietis requiem animabus vestris*, et tum (coll. v. 28.) invenietis vobis tranquillitatem animi, pacem cum Deo (Rom. 5, 1.).

V. 30. Nunc datur ratio, cur alacri animo jugum Domini suscipiamus. — *Jugum enim meum suave est*, doctrina mea suavis, dulcis est, utpote vos erigens, consolans ac implens gaudio Spiritus sancti. — *Et onus meum leve*, onus doctrinae meae facile sustentu, nimirum auxilio gratiae meae (cf. 7, 13). »Omnia suavia, ait s. Augustinus, et prope nulla facit amor«. Et auctor libri de imitat. Christi: »Amor onus non sentit, labores non reputat.«

Caput XII.

1. Discipuli sabbato spicas vellentes (v. 1—8.).

(Marc. 2, 23—28. Luc. 6, 1—5.).

V. 1. In hoc capite s. evangelista exemplis describit malitiam et odium pharisaeorum et scribarum in Christum. — *In illo tempore*, i. e. aliquando; nam non continuo, quae nunc narrantur, gesta sunt post illa, quae prius aut postea narrata sunt, sed alio tempore, et quidem, uti Lucas (6, 1) docet, evenerant sabbato secundo-primo (ἐν σαββ. δευτεροπρώτῳ), quae expressio permultas peperit sententias. Maxime communis est sententia Scaligeri et Petavii, qui per sabbatum secundo-primum intelligunt primum sabbatum post secundam diem Paschatis, dicentes, Judaeos (coll. Lev. 23, 11—15.) ab hac die (secunda paschali), qua primitiae messis ex mandato divino offerebantur, septem numerare consuevisse hebdomades usque ad festum pentecostes, et consequenter etiam septem sabbata, ita ut primum sabbatum post secundam diem Paschatis dictum esset sabbatum secundo-primum (δευτερόπρωτον); secundum sabbatum post secundam diem Paschatis secundo-secundum, tertium secundo-tertium et sic porro. Plura hac de re vide commentar. Luc. 6, 1. — *Abiit Jesus per sata* (σπόρια sativus, τὰ σπόρια segetes), i. e. per segetes. — *Sabbato*; graece est

pluralis, quod idem ac *σάββατον* — *Vellere spicas*. Licitum nimirum erat (coll. Deut. 23, 26.) spicas in alieno agro vellere famis sedandae causa. Ast non hoc erat, quod pharisaei reprehendebant, sed quod die sabbati id fieret. Lucas (6, 1.) addit: *et manducabant confricantes manibus*; quo indicat anni tempus, quo spicae jam maturuerant, nondum tamen messis erat absoluta.

V. 2. *Non licet facere*; erat enim pharisaeis vellere spicas species messionis.

V. 3. Nunc Christus primum argumentum affert ex Davidis agendi ratione repetitum, qui necessitate urgente legem ceremonialem violavit. — *Non legistis*, nimirum 1 Reg. 21, 1. seq., ubi factum Davidis, Sauli insidias fugientis, narratur. — *Et qui cum eo erant*, i. e. comites ejus.

V. 4. *Quomodo*, i. e. nonne legistis, quomodo. — *Intravit in domum Dei*, in tabernaculum sacrum, quod tunc temporis Nobae erat. — *Et panes propositionis comedit*. Panes propositionis erant 12 panes triticei, Deo sacri, ad numerum tribuum Israëlitarum, thure et sale conspersi, singulis sabbatis offerendi in anteriori tabernaculi sacri parte, per septem dies in mensa aurea expositi. Dicebantur hi panes etiam panes ordinis, quia in ordine, seni in una parte mensae, et seni in altera expositi erant; porro nominabantur panes facierum (1 Reg. 21, 7), quia ante faciem Dei propositi erant, et quia praefigurabant illum panem sublimiorem (coelestem), cujus usu homo ad Dei visionem pervenit.¹⁾ — *Quos non licebat ei edere* (*ὃς οὐκ*); sed lectio: *ὃ οὐκ* (quod) praeferenda est ob testes, cujus sensus est: cujus generis cibum non licebat ei edere. Teste s. scriptura (1 Reg. 21, 1.) David panes illos ab ipso summo sacerdote, Achimelech, accepit, et dein etiam comitibus suis dedit. Juxta Marcum (2, 26.) David accepit illos panes a summo sacerdote, Abiathare. Quapropter nonnulli (a Lap.) asserunt, duo fuisse illi personae nomina, Achimelechum et Abiatharem. Alii (Patrit.) autem putant, Christum nominare Abiatharem, quia, quum David ad Achimelechum et filium ejus, Abiatharem, qui cum patre Nobae morabatur, confugit, ipse Abiathar principatum gereret familiae

¹⁾ Cf. Veith Eucharistia.

sacerdotalis ex Ithamare, Aaronis filio, progenitæ. — Occurrit itaque h. l. Jesus pharisæorum criminationi ita, ut argumentans a majori ad minus doceat, leges positivas, cultum et ceremonias spectantes, ad quas etiam pertinebat lex de abstinentia a labore diebus sabbati, certis sub conditionibus vim obligandi amittere. Vult itaque Christus dicere: An non legistis in s. scriptura, quomodo David, vir secundum cor Dei, in necessitate famis usurpavit et comedit panes propositionis, quos solis sacerdotibus edere licitum erat, quia prudenter judicavit, legem positivam de non comedendis his panibus a laicis cedere debere legi jurique naturæ, quod dictat in gravi necessitate famis conservandam esse vitam, comedendo quoslibet panes et cibos, etiam Deo consecratos; hinc etiam meis discipulis non est vitio vertendum, quod nunc fame coacti fecerant die sabbati, nam lex sabbatica, prohibens opus servile, uti est vellere spicas, quamvis sit juris divini positivi, etiam cedere debet juri naturæ dictanti, in fame vitæ esse consulendum (a Lap.). Est hæc ratio prima.

V. 5. *Aut, si nimirum dicta non videntur vobis sufficiens esse excusatio. Affert alteram rationem. — Non legistis in lege, scil. Mosaica (Num. 28, 9.). — Quia sabbatis, quovis sabbato. — Sacerdotes in templo sabbatum violant.* Sensus est: Si ex vestra perversa opinione die sabbati nil facere liceat, etiam ipsi sacerdotes sabbatum violare dicendi essent, quum quovis sabbato agnos mactant, excoriant, dissecant et lavant, ligna scindunt, dissecta membra altari imponunt et comburunt. — *Et, (καὶ), i. e. et tamen. — Sine crimine sunt, insontes sunt, seu sabbatum non violant.*

V. 6. *Dico autem vobis, quia templo major est hic* (ὧδε in hoc loco). Verba hæc sunt propositio minor, et sensus est: Si templi obsequium (ministerium) excusat sacerdotes, agnis mactandis, excoriandis etc. sabbato occupatos, a violatione sabbati, multo magis excusat discipulos meos servitium (ministerium), quod mihi exhibent, et in quo ministerio debiles facti sunt, ab omni sabbati violatione, quum ego major (μελλων), aut quidpiam majus (si cum quibusdam codicibus legitur μελλων) templo sum.

V. 7. Nunc Christus alio modo exprobrat aemulatoribus legis ignorantiam legis. Sensus est: Si intelligeretis verba illa Dei apud Hoseam, quibus docet, magis sibi placere charitatem misericordem, quam sacrificium, nunquam discipulos meos, spicas famis sedandae causa carpentes, tam immiseri-corditer ut sabbati violatores condemnassetis. Cf. dicta 9, 13. Sunt haec tertia ratio.

V. 8. *Dominus enim est Filius hominis etiam sabbati.* Reddit causam (γὰρ) antecedentis sententiae, nimirum discipulos omni culpa vacare (ἀναίτους esse), sensusque est: nam ego Messias, cujus auctoritate discipuli mei egerunt, sum dominus sabbati; quod ergo in ipsius fit obsequium, sabbatum non violat. Sabbatum est dies Deo Domino sacer, est dies Domini (Exod. 20, 10; 31, 15; 35, 2.); proinde, qui profitetur, se esse dominum sabbati, se posse de eo die, tanquam de re sua disponere, declarat, se esse Deum. Marcus (2, 27.) adhuc aliam addit rationem: *Sabbatum propter hominem factum est et non homo propter sabbatum*, i. e. sabbatum ad hominis bonum et commodum institutum est, ut homo intermisso labore, a quo subinde cessare etiam indiget, ea, quae officii sui sunt, in Dei cultu impleat.¹⁾

2. Sanatio manus aridae (9—14.).

(Marc. 3, 1—6. Luc. 6, 6—11.).

V. 9. *Inde*, e segetibus. — *Venit*, non statim, sed ut Lucas (6, 6.) refert, alio sabbato, sed etiam tum Capharnaum (cf. Patrit. I, 82.). — *Eorum*, i. e. hominum (Judaeorum) illius loci, ubi Dominus pharisaeorum criminationem repulerat.

V. 10. *Manum habens aridam* (ξηράν), exsiccata et paralyti constrictam, seu morbo articulari distortam, ita ut moveri non posset. Supplendum est: erat ibi. — *Interrogabant eum*, pharisaei et legisperiti. Juxta Marcum (3, 2.) et Lucam (6, 7.) observabant eum (maligne, insidiosae), utrum sabbato sanaturus sit hominem, et Jesus legisperitos et pharisaeos interrogabat, an liceat sabbato benefacere. Utrumque poterat fieri. Primum

¹⁾ Cf. Veith die Anfänge der Menschenwelt 65—69.

interrogabant pharisaei et legisperiti, an liceat aegrum sabbato curare, Christus vero perspicuens quaestionem eorum malitiosam, eos, si id affirmaret, ipsum violati sabbati carpturos esse, ad quaestionem propositam alia quaestione eos interrogavit, scil. utrum liceat sabbato benefacere an malefacere? Qua soluta et ad suam quaestionem responsum haberent. Ast quum neutrum dicere ausi sunt, probe sentientes, primum contra ipsos esse, alterum absonum, ideo, ut Marcus habet: tacebant (3, 4.) quo silentio autem ipsi sese refutabant.¹⁾ — *Ut accusarent eum*, tanquam sabbati violatorem et sacrilegum. Pharisaei enim docebant, aegrotos die sabbati sanare licitum esse solummodo. si illi in aperto mortis periculo versentur. — *Si licet*, εἰ ἔξεστιν, licetne; nam particula εἰ saepe apud N. T. scriptores in directa interrogatione adhibetur.²⁾

V. 11. Nunc Christus proposita similitudine ovis, cui ipsimet fatebantur die sabbati posse praestari beneficium liberationis ex fossa, docet et concludit, licere homini misero die sabbati beneficium curationis conferre, argumentans a minori ad majus (ex concessio). — *Quis erit ex vobis homo*, quis in vobis futurus est, tum nimirum, si sequentia fierent. Adest in sequentibus anacoluthon. Cf. 7, 9. Tempora futura indicant, rem, de qua hic agitur, posse fieri.

V. 12. *Itaque*, quia homo multum praestat ovi, licitum est sabbato *benefacere*. Consilio dicit Christus: benefacere, et non: sanare; quia, si dixisset, licitum esse sabbato sanare, ei respondere potuissent, id licitum esse reliquis sex diebus, non autem sabbato (coll. Luc. 13, 14.); dum dicendo, licitum esse sabbato benefacere, ad incitas eos redegit, quum haud possent negare, licitum esse sabbato benefacere. Si autem hoc concedebant, etiam concedere debebant, sabbato licitum esse aegrotos sanare, quia vix dubium esse potest, aegrotis curationem adhibere esse bonum opus.

V. 13. *Extende manum tuam*; verba haec idem valent ac: sanus sis; nam manum paralysi constrictam extendere haud potuisset. Juxta s. Marcum (3, 5.) Jesus prius circum-

¹⁾ Cf. Patrit. in Marc. 3, 4., Mald.

²⁾ Cf. Beelen gram. p. 508.

spexit in eos cum indignatione (ob eorum improbitatem) et contristatus super caecitate cordis eorum (i. e. condolens animo super contumacia eorum) dixit: *extende*. — *Restituta est*, graece h. l., apud Marcum (3, 5.) et Lucam (6, 10.) cum Lachmanno et Tischendorfio legendum est: ἀπεκατεστάθη.¹⁾

V. 14. *Exeuntes*, e synagoga. — *Quomodo* (ὅπως) *perderent*, i. e. interficerent; quia sequitur conjunctivus, vertendum est: ut eum perderent.

3. Christi humilitas et lenitas (15—21.).

V. 15. *Sciens*, virtute divina, illos caedem sibi moliri. — *Recessit*, quia, uti Joannes dicere solet, nondum venerat hora ejus (Joan. 7, 30; 8, 20.). — *Inde*, e synagoga illa. Teste s. Marco (3, 7.) contulit se ad lacum Tiberiadis.

V. 16. *Ne manifestum eum facerent*, non ideo, quod adversarios suos metuerit, sed ideo, ne admiratio hominum propter factas sanationes nimis magna evaderet illique eum regem proclamarent; ostendens ita suam maximam humilitatem et lenitatem, sed simul suam in inimicos suos, caedis et sanguinis ejus cupidos, clementiam; unde apertum erat, Christum in se perfecte expressisse speciem et formam, quam de Messia Jesaias descripsit (42, 1 seq.).

V. 17. Nunc allegat memoriter evangelista locum ex Jesaia (42, 1. seq.) desumptum, partim ex Hebraeo, partim ex Septuaginta versione, in quo praedixit, Messiam humilitate, lenitate (mansuetudine) et clementia fore commendatum. Obedientia erga Deum in omnibus ad Messiae spectabat officia. In vaticinio hoc describitur primum destinatio Messiae (v. 18.), dein ejus agendi ratio (v. 19.), tandem effectus illius (v. 20. 21.).

V. 18. *Puer meus*, servus meus (seu Messias). Deus Messiam dicit servum ut hominem, qui humanam naturam assumendo venturus erat, ut faciat ex ejus voluntate. — *Quem elegi*, nimirum respectu naturae ejus humanae (ut hominem), ut munus Messiae accipiat. — *In quo complacuit*; vid. 3, 17. — *Animae meae*, (ψυχή μου) idem ac: mihi. — *Ponam spiritum*

¹⁾ Cf. Beelen gram. de duplicato augmento p. 50.

meum super eum, plenitudine spiritus mei divini eum implebo. — *Et judicium gentibus nuntiabit*. Per judicium (κρίσιν) nonnulli intelligunt, quod justum et aequum est, legem ac doctrinam Dei; alii vero intelligunt judicium Messianum, quod annuntiabit gentilibus. Judicium hoc, manifestans se discernendis fidelibus et incredulis, incepit a praedicatione Christi, continuatur per omnia saecula et perficietur in fine mundi, in judicio extremo. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 3, 17. Alii utrumque exprimi censent.¹⁾

V. 19. *Non contendet*, non litigabit cum adversariis suis. — *Neque clamabit*, videlicet animi motibus ablati, iracunde. — *Nec audiet in plateis vocem ejus*, nec quis in publico vocem ejus audiet, uti audiri solent ostentatores et jactabundi, seu: ab omni ostentatione quam maxime alienus erit.

V. 20. *Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet*. Arundo quassata et linum fumigans sunt imago hominum, qui spiritualiter conculcati ac miseria interna confecti sunt, i. e. qui imbecilles in fide, spe ac charitate sunt et gravati onere peccatorum; et: *arundinem quassatam confringere et linum fumigans exstinguere* apud Hebraeos proverbii instar designat: afflictos miserosque penitus opprimere. Sensus est: Ille (Messias) homines imbecilles in fide, spe et charitate ac peccatorum onere gravatos non iracunde opprimet, sed potius charitate sua tolerabit, gratia sua fovebit, ac promovebit. Ostendit id in colloquio cum muliere Samaritana et in sua cum peccatoribus conversatione. — *Donec ejiciat ad victoriam judicium*, sic mansuete, placide et leniter se geret, donec tempus judicii sui Messiani finem habuerit ipseque de omnibus adversariis suis victoriam reportaverit, seu: usque ad finem mundi, quo venturus est ut iudex. Loco ejiciat Vulgatae vertendum est: perduxerit. In textu hebr. et apud 70 legitur: εἰς ἀλήθειαν ἐξέλσει κρίσιν, sensus idem est: ad veritatem perducet judicium, i. e. normam illam juris divini vere ubique valere et dominari faciet, ut veritas ubique elucescat et vincat (Knabenbauer).

V. 21. Versus hic arcte cohaeret cum sententia immediate praecedenti: donec perduxerit ad victoriam judicium, hoc modo:

¹⁾ Schegg, Schanz, Knabenbauer.

Dum de omnibus adversariis suis victoriam reportaverit, gentiles evangelio subacti in eum tanquam Salvatorem credent, omnem spem suam (remissionis peccatorum et vitae aeternae) in eo ut Salvatore collocabunt. In nomine ejus, idem ac: in ipsum; nomen saepe ponitur pro ipsa persona (cf. Joan. 1, 12.). Verbis his praedicitur, Messiam fore spem non tantum populi Israël, sed omnium populorum. — In textu hebr. legitur: et legem ejus insulae expectabunt, i. e. doctrinam ejus et totum ejus regnum institutum (in quo bona cuncta concluduntur) regiones longinquae, gentium, desiderabunt.

4. Sanatio daemoniaci caeci et muti; pharisaei calumniantes et prodigia flagitantes, Christi responsa (22—37.).

(Marc. 3, 20—35. Luc. 11, 14—36.).

V. 22. *Tunc*, sensu generali accipiendum, quo non temporis series exprimitur. Contigit res haec Capharnaumi. Lucas eventum hunc alii tempori assignat. — *Daemonium habens, caecus et mutus*; cf. 9, 32. — *Curavit eum*, nimirum eo, quod daemonem ex ejus corpore expulit (coll. v. 24. et Luc. 11, 14.).

V. 23. *Et stupebant* (ἐξίσταντο) *turbae*, i. e. triplici hoc miraculo prae admiratione quasi non erant jam sui compotes. — *Et dicebunt numquid hic est filius David*, an fors hic est Messias? (Cf. 9, 27.). Hunc enim vi miraculorum patrandorum instructum fore, prophetae vaticinati sunt (cf. 11, 5.).

V. 24. *Hic non ejicit daemones, nisi in Beelzebub etc.* Vid. 10, 25. et 9, 34.

V. 25. Defendit se Jesus contra criminationem pharisaeorum, ita ut hoc versu et sequenti primum ostendat, criminationem illam esse absurdam, quum credi non potest, quod satanas satanam ejiciat. — *Sciens cogitationes eorum*, eos nimirum non ex persuasionem, sed ex malitia haec dicere. — *Omne regnum divisum contra se*, si dissideat in partes adversas. — *Desolabitur*, necesse est brevi vastetur et pereat. Tempus praesens in graeco pro futuro indicat, aliquid cito certoque eventurum esse. Quod de regno valet, valet etiam de omni

urbe et domo, cujus incolae mutuis dissidiis contra se invicem pugnant.

V. 26. Hic sequitur applicatio, qua docetur, assertionem pharisaeorum esse absurdam. Sensus est: Si satanas (per me) alios daemones, qui ipsi voluntate sunt conjunctissimi et obedientissimi, vi ejiceret, idem esset, ac si se ipsum expelleret et ipse regnum suum destrueret; seu: si satanas esset expellens et (in daemonibus, ministris suis) expulsus, contra se divisus est, nec potest regnum ejus stare. Licet daemones ardeant superbia, ira ac odio contra se invicem, in terra tamen, quando oppugnandum est regnum Dei, inter se consentiunt. Locus hic est locus classicus, quo clare docetur, daemoniacos biblicos fuisse revera a daemonibus obsessos. Christus enim haud ita loqui potuisset, nisi voces *daemon* et *satanas* tanquam vocabula synonyma habuisset. Unde patet, falsam esse sententiam eorum, qui asserunt, per phrases: *daemonium habere*, *daemoniacum esse*, in spiritu immundo, significari tantum morbos mere naturales (uti epilepsiam, maniam chronicam, melancholiam), ita ut in Christi scriptorumque N. T. loquendi ratione adesset tantum accommodatio ad Judaeorum opinionem erroneam, qui eventus malos, hinc et morbos, quorum causam ignorabant, spiritibus malis, tanquam auctoribus invisibilibus, tribuere solebant. Sententiae huic praeter dicta obstant sequentia:

1. Character Christi, utpote Dei — hominis veritatisque doctoris, praestantissimus, qui quum omni data occasione errores auditorum redargueret, haud unquam sententiam quandam aliorum erroneam ut suam veramque tractare poterat.

2. Obstant ei ipsa s. scripturae loca, quum daemoniaci aperte distinguuntur ab illis, qui morbis mere naturalibus laborabant (Matth. 4, 24; 8, 16. Marc. 1, 32; 3, 15; 6, 13; 16, 17. Luc. 8, 33. 35, 38; 13, 32. Act. 5, 16.).

3. Obstant ei porro dicta et facta Jesu Christi. Hic enim cum daemoniacis ita egit et locutus est, ut clare pateat, ipsum pro certo habuisse, eos a daemone esse obsessos. Nam daemonem distinguit ab homine obsesso ab illo (Marc. 1, 25; 5, 8; 7, 29. 30. Luc. 4, 35; 8, 14.); daemones alloquitur, eis minatur (Marc. 3, 12; 9. 24. Matth. 17, 17.), eos silere

ac egredi jubet (Marc. 1, 25; 4, 39. Luc. 4, 35.), atque illi parent; vicissim et daemones vident, audiunt, loquuntur, clamant, Christum agnoscunt et Sanctum Dei confitentur (Matth. 8, 29. Marc. 1, 24. Luc. 4, 34. 41; 8, 28.), ipsum rogant, ex hominibus exeunt (Matth. 8, 31. 32. Marc. 5, 10. 12. 13. Luc. 8, 31. 33.).

4. Jesus non solum coram populo (Judaeis) universim, sed etiam seorsim coram Apostolis suis, futuris religionis suae praeconibus, ea de re ita locutus est, ut nullum sit dubium, quod daemoniacos revera a daemone obsessos, eumque mali, quo saepe daemoniaci affligebantur, auctorem (causam) crediderit. Praeprimis patet id ex loco Marci (16, 17. seq.), quo loquitur Christus de diversis miraculis, quorum patrandorum potestatem habituri sint credentes in eum; et primo loco nominat potestatem daemones ejiciendi — ultimo autem loco potestatem sanandi aegrotos manuum impositione.

5. Eandem sententiam tenebant Apostoli etiam post acceptum Spiritum s.; nam Apost. Petrus et Paulus saepius in evangelii praeconio liberaverunt vexatos a spiritibus immundis (Act. 5, 16.), invasos a spiritu pythonis (Act. 16, 16.), i. e. a daemonio fatidico, seu tali, quo afflati futura quaedam aut alia occulta dicebant. Eandem de daemoniacis sententiam propagabant Apostoli etiam ad primos christianos; patet id ex consensu ss. Patrum priorum saeculorum in explicandis illis N. T. locis, in quibus est sermo de daemoniacis; cui sententiae suffragatur praxis universae ecclesiae catholicae, habentis exorcismos, et ecclesiae cath. latinae servantis etiam ordinem exorcistarum.

6. Nec tandem obsessio diabolica rationi absurda videri potest. Nam, uti ratio existentiam naturarum spiritualium, intellectu et libero arbitrio praeditarum, atque possibilitatem in eis vel recti vel mali libertatis usus tanquam absurdam negare haud potest, ita etiam, quum spiritus antea boni ex perverso libertatis usu mali fieri possent, non potest negare influxum atque efficaciam spirituum malorum in hominem, quia hic potest in se pati seu recipere influxum spiritus tum qua materia, tum qua spiritus. Hunc vero spiritus mali in hominem influxum

Deus permittere potest pro consiliis altioribus consequendis, uti saepe in mundo physico et morali mala saepe admittit ad fines bonos, physicos et morales promovendos. Si quis influxum hunc ideo vellet negare, quia modum ejus non perspicit, deberet consequenter negare non tantum omnia miracula, sed plurimos etiam mundi sensibilis eventus, quorum vel causas vel modum, quo eveniunt, ignorat.

Silentium Joannis Apostoli respectu daemoniacorum nil derogat sententiae nostrae, quia evangelista hic et multa alia, quae sunt gravissimi momenti (uti institutionem s. Eucharistiae) silentio praetermittit.

Si tempore Christi tantus fuerit daemoniacorum numerus, causa hujus rei fuit, quia Deus voluit, ut Christus hac ratione se palam probaret victorem diaboli, quia, quo magis homines ad resipiscentiam et ad conjunctionem cum Deo excitabantur, eo magis vires intendebat, ad illos a Deo avertendos atque ad fructum incarnationis impediendum.

V. 27. Nunc adducit Christus aliud argumentum, e c o n c e s s o, cujus sensus est: Vestri exorcistae etiam daemones ejiciunt; si ergo ego ope Beelzebub daemones ejicio, dicere deberetis, etiam illos ope Beelzebub daemones ejicere. Conclusio sponte resultans est: Quod quum non concedatis, etiam de me id affirmare nulla ex causa potestis. — *Filii vestri*; per hos sunt intelligendi discipuli magistrorum Judaicorum (pharisaeorum et scribarum). Erant tunc temporis (coll. Marc. 9, 37. Luc. 9, 49; Act. 19, 13.) exorcistae, qui ad invocationem Dei ejiciebant daemones.¹⁾ Ego et filii vestri sunt in antithesi. — *Ideo ipsi judices vestri erunt*, ideo, quia, ut consequenter loquamini, idem perversum de vestris discipulis judicium feratis necesse est, vos calumniae convincent (seu vos tanquam calumniatores diffamabunt).

V. 28. *Si autem ego in Spiritu Dei ejicio daemones*, si autem (quod ex dictis negare non potestis) virtute divina in me habitante, daemones ejicio. Apud Lucam loco parallelo (11, 20.) legitur: digito Dei, quod idem est ac: Spiritu Dei, seu

¹⁾ Cf. Jos. Flav. Antiq. VIII, 2, 5; bell. jud. VII, 6, 3.

virtute divina. — *Igitur pervenit in vos regnum Dei*, i. e. utique in me ille apparuit, per quem regnum Dei in terris initium sumit, seu: utique cognoscatis necesse est, me esse Messiam.

V. 29. Affert tertium argumentum, inde petatum, quod re ipsa potentior sit, quam satanas. Antequam enim regnum Dei initium sumere potest, regnum satanae, principis mundi, frangatur necesse est. — *Aut*, si nimirum non virtute divina daemones ejicio, adhuc aliud argumentum proferam. Fortis h. l. est satanas; domus, apud Lucam (11, 21.) atrium, est mundus, in quo inde a lapsu Adami dominabatur (regnum satanae); vasa, apud Lucam (11, 22.) universa armatura, nonnulli, Chrysostomum secuti, exponunt de daemonibus et hominibus, qui secundum satanam operantur; sed rectius alii, Hieronymum secuti, intelligunt per vasa ipsos homines, qui revera satanae eripiuntur. Christus jam venit in hunc mundum, ligavitque ut fortior (potentior) satanam, auferendo culpam generis humani, destruendo vim peccati, homines perversos, qui hucusque fuerunt vasa satanae, tanquam spolia ei eripiendo, transferendo nimirum eos a vitiis ad virtutem atque in regnum Dei, nec non et daemones ex iis, qui ab illis obsessi erant, expellendo. Imo haec daemonum ejectio manifestissimum erat documentum, fractum esse regnum satanae et Christum ipso satana potentior.

V. 30. In hoc bello, quod Christus, caput nostrum, satanae indixit, et quod quisque adversus satanam gerat necesse est, nulla datur medietas (incerto haerere non licet). Omnis, qui in hoc bello non est cum Christo (ab ejus partibus), censetur adversarius ejus. Nulla enim datur medietas Christum inter et satanam. Homo aut totus Christi sit opus est, aut satanae. — *Qui non congregat mecum, spargit*. Verbis his quidem eadem exprimitur sententia; attamen id praeprimis dictum est de pharisaeis. Horum, utpote magistrorum et ducum populi, erat, homines regno divino conciliare, eos ut maturos manipulos (συνάγων, desumpta imagine de messe 3, 12; 6, 26. Joan. 4, 36.) in horrea divina colligere. Id autem praestitissent, si cum Christo et ejus spiritu egissent; quum vero eum ut Messiam agnoscere noluerant, omnis eorum activitas erat perniciosa regno divino; non colligebant, sed spargebant

(variis calumniis hominum animos a Christo abalienantes). Cf. Marc. 9, 39.

V. 31. *Ideo dico vobis*. Hisce respicit Christus omnia, quae a v. 24. dixerat, hoc sensu: Quapropter, quum spretis tam manifestis rationibus (quae docent, quae facio, non ope satanae, sed Dei virtute fieri) dicitis, me ope satanae daemones ejicere.

Omne peccatum et blasphemia. Vox peccatum designat genus, blasphemia vero speciem; particula et (καί) notat: etiam. Blasphemia, βλασφημία (a βλέπω et φήμη) est proprie λόγος βλάπτων τὴν φήμην τινός, ergo sermo famam alicujus laedens, contumeliose dictum, maledictum, relate ad Deum: quodvis in Deum impie dictum aut factum; h. l. idem ac v. 32. verbum contra Filium hominis. — *Remittetur hominibus*, nimirum sub conditionibus a Deo constitutis, si scil. ex parte peccatoris poenitentia accesserit. — *Spiritus autem blasphemia* h. l. est coll. v. 32. et locis parallelis (Marci 3, 29.) et Lucae (12, 10.) idem ac: *blasphemia contra Spiritum sanctum*. Quid autem sit intelligendum per blasphemiam in Spiritum sanctum, intelligitur, si consideretur primo: quis fuerit Christus, et dein: qua occasione verba haec ab eo prolata fuerint. Christus teste s. scriptura (Luc. 4, 1. Joan. 3, 34.) *plenus erat Spiritu sancto*, erat propheta κατ' ἐξουσίαν unctus per Spiritum sanctum ad suum munus Messianum; virtute ergo hujus Spiritus s. agebat, docebat et patrabat miracula. Huic Spiritui s., quo plenus erat Christus, etiam accepta referenda est quaevis gratia, quodvis donum divinum (nam opera divinae bonitatis et charitatis per appropriationem solent in s. scriptura Spiritui s. tribui). Protulit porro Christus ea verba (Spiritus blasphemia non remittetur etc.), quum pharisaei ejecto per eum daemone (quo miraculo viso turba in stuporem conjecta, in eum credere inceperat) dicerent: eum (Christum) ope Beelzebub ejicere daemones, et ita ex odio et malitia contra suam persuasionem meliorem (contra cognitam veritatem) animo obstinato manifesta opera Spiritus sancti satanae tribuebant. Taliter vero sentiendo et loquendo resistebant veritati evidenti, respuebant datam eis in visis miraculis gratiam Spiritus s., atque scientes occludebant cor suum influxui

gratiae divinae. Ideo dicit: *Non remittetur*. Blasphemia Spiritus s. dicitur non remitti, non propterea, quod remitti (absolute) non possit, seu quod ejus veniam Deus dare nolit; nam tenendum est fidei dogma, quod docet, nullum esse peccatum, quod a Deo remitti non possit; sed causa hujus sita est in ipso homine, qui tale peccatum committit. Deus nimirum pro sua justitia nullius potest peccati dare veniam, cujus hominem non vere poenitet; et similiter Deus, dum hominem creabat liberum, omnipotentiae suae fines posuit, ita ut hominem non cogat (gratia Dei non est necessitans). Jam vero ea est hujus peccati natura, ut homo, qui tale peccatum committit, gratiam a Deo (a Spiritu s.) ipsi oblatam animo obstinato respuat eique se opponat atque ita conversionem suam et veniam peccatorum impossibilem reddat, quippe quum Spiritum s. ejusque gratiam respuat, per cujus gratiam unice dolor de peccatis, hinc et remissio peccatorum possibilis est.¹⁾

V. 32. Explicatur clarioribus ac gravioribus verbis sententia v. 31. — *Quicumque dixerit verbum*, nimirum contumeliosum, blasphemum. — *Contra Filium hominis*, contra me Messiam, motus scil. mea conditione externa humili, quam cum suis exspectationibus Messianis conciliare non potest. — *Remittetur ei*, remitti poterit, quia contumeliosa ejus verba ex erroneis de Messia opinionibus, non e malitia prodierunt. — *Qui autem dixerit contra Spiritum s.*, qui autem evidentes Spiritus sancti operationes, quales sunt conspicuae in meis miraculis, contra suam persuasionem meliorem (contra cognitam veritatem) operationes satanae dicit, ergo obstinato animo impugnat veritatem manifestam eamque blasphemat. — *Non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro*, nunquam, omnino non, quia talis animo nunquam resipiscit. (Cur, erat v. 31. dictum). Rabbini (theologi Judaici), occasionem praebentibus ipsis s. libris V. T. omne tempus distinxerunt in duas magnas periodos, in periodum ante Messiae adventum αἰὼν οὗτος, et in periodum post Messiae adventum αἰὼν μέλλων. Hic loci, ubi Christus, qui jam apparuit, loquitur (aut si Apostoli his formulis utuntur), αἰὼν οὗτος significat tempora christiana ante

¹⁾ Cf. Calm., a Lap., Bisp., Knabenbauer.

Christi adventum ad iudicium, αἰὼν μέλλων vero significat tempora post adventum Christi ad iudicium. Tota autem phrasis denotat: nunquam, omnino non. Dogmatici ex hoc loco recte concludunt, in altera vita veniae seu remissioni sive culpae sive poenae esse locum, seu dari purgatorium; sicut ex verbis apud Marcum (3, 29.): *obnoxius erit aeterno iudicio* (i. e. damnationi in aeternum duraturae) recte colligunt, dari poenas aeternas.¹⁾

V. 33. Permulti interpretes, s. Chrys. secuti, censent, pharisaeos admoneri, ne contra sensum communem agant, opera Christi approbantes, ipsum vero tanquam pessimum traducentes. — Alii vero interpretes,²⁾ s. Augustinum secuti, affirmant, Christum verbis his reprehendere pharisaeorum simulatam pietatem, qui, cum bona arbor (homines bonae indolis) videri vellent, malos tamen fructus (mala opera) ederent, aut cum mala arbor (homines malae indolis) essent, bonos videri vellent edere fructus. — *Aut facite*, nimirum in vestro iudicio, seu: ponite, declarate. Per arborem juxta priorem (s. Chrys.) expositionem Christus se ipsum, per fructum ejus autem factam daemonum ejectionem intelligit, et sensus est: Nolite tam stolide agere in iudicio vestro de me, uti fecistis, ubi arborem declarastis malam (me tanquam satanae instrumentum dictitastis), nihilominus tamen bonum ei fructum (daemonum ejectionem) attribuistis; aut me meumque opus bonum, aut utrumque malum declaretis necesse est, nam unum tantummodo verum esse potest, aequae ac arbor aut bonae indolis est, et fructus ejus etiam boni, aut malae indolis, et fructus ejus etiam mali. Cf. 7, 17.

V. 34. Verbis his Christus fontem nominat, e quo blasphemiam eorum manavit; fons est cor (animus) eorum malum, perversum. — *Progenies viperarum*; cf. 3, 7. — *Quomodo potestis bona loqui, quum sitis mali*? Jesus non absolute negat, homines malos pia et honesta loqui posse; multi enim mali cum sint, bona loquuntur. Sed dicit tantum, quod fieri solet et quod in hominis natura positum est, ut boni bona, mali mala loquantur. Si quando secus fit, id et praeter naturam et praeter consue-

¹⁾ Cf. Bellarm. de purgatorio l. 1. c. 4., Mald.

²⁾ Thom., Mald., Bucher, Schanz, Knabenbauer.

tudinem accidit, et diuturnum esse non potest. Cf. dicta 7, 18. Sensus est: Homines pessimi! mirandum non est, si tam calumniose de me loquamini; naturae vestrae prorsus conveniens est, ut mala tantummodo loquamini, cum cor (animus) vestrum malum sit. — *Ex abundantia cordis os loquitur*, i. e. lingua proloquitur, quibus animus (cor) plenus est atque abundat. Dictio proverbialis.

V. 35. Copiosius explicatur sententia v. 34. proposita. — *Bonus homo*, homo veritatis et pietatis studiosus; *malus homo*, simulationis et improbitatis amans; thesaurus h. l. est idem, quod abundantia cordis v. 34. Consideratur hic cor quasi quoddam vas, in quo homo bona et mala recondere potest. Pro diversitate eorum, quae in hoc thesauro (corde) recondita sunt, etiam hominis verba et opera sunt diversa.

V. 36. Quia verba naturam animi produnt et fructus sunt cordis, propterea illa merito divino iudicio examinantur. — *Autem* (ὁὐ) indicat nexum cum praegressis. — *Verbum otiosum . . . reddent rationem de eo*; in his verbis adest anacoluthon pro: de omni verbo (περί . . .). Verbum otiosum (ῥῆμα ἀργόν). Nonnulli, s. Hieronymum secuti, per ῥῆμα ἀργόν intelligunt verbum inutile sensu proprio, ita ut significetur verbum, quod non refertur ad finem aliquem honestum, quod nec gloriae Dei, nec saluti hominum inservit (Bisp.). Alii vero, s. Chrysostomum secuti, sumunt vocem ἀργός significatu: perniciosus, malus, ita ut ἀργός sit idem ac πονηρός (quam vocem nonnulli codices loco ἀργός exhibent). Sed quum mendax, turpe, malum, multo plus sit quam otiosum, prior explicatio praeferrī meretur.¹⁾

V. 37. *Ex verbis tuis*, quibus animum (cor) tuum significasti. — *Iustificaberis* (δικαιωθήσῃ), justus declaraberis in iudicio extremo, seu absolveris. Cf. 11, 19. Ceterum per se patet, Jesum hisce non velle dicere, opera in iudicio extremo nihil valere. Jesus enim h. l. hominum verba urget, et ea vult propterea efferre, quia verba hominis sunt plerumque expressio eorum, quae sunt in animo (corde), et quia a pharisaeis prave dictum (v. 24.) exprobraturus erat.

¹⁾ Cf. S. Thom., Knabenbauer, Schanz.

5. **Petitio signi** (38 — 45.).

V. 38. *Tunc*, illo tempore. — *Responderunt*, allocuti sunt eum; cf. 11, 25. Juxta Lucam (11, 16.) sunt alii, qui signum postulant, quam qui Christum in Beelzebub ejicere daemones dixerant. — *Magister*; simulate eum ita alloquuntur, ac si eum magni facerent. — *Volumus*, cupimus. — *A te signum videre*. Supra jam (v. 28.) Jesus se indirecte ut Messiam indicaverat, attamen pharisaei et legisperiti iis, quae hactenus ediderat, miraculis, nequaquam movebantur, ut agnoscerent, eum esse Messiam. Postulabant igitur ab eo ad ipsum ut Messiam agnoscendum adhuc aliquod singulare ac extraordinarium signum, et quidem, uti Lucas (11, 16.) addit, signum de coelo, fors phenomenon aliquod repentinum in sole aut luna (repentinam solis eclipsin aut lunae defectum), aut aliud phenomenon in aëre, in nubibus. Cf. 16, 1. — Signum (σημεῖον), factum aut eventum, qui signum seu documentum est alicujus rei, h. l. documentum Messianae Jesu dignitatis.

V. 39. *Generatio* (γενεά); cf. 11, 16. — *Mala*, quia mala voluntate praedita. — *Et adultera*. Loquendi ratio Christi, qua Judaeos suae aetatis generationem adulteram vocat, explicatur ex singulari populi Israëliti ad Deum relatione. Hebraeorum nimirum necessitudo, quae ipsis cum Jehova intercedebat, repraesentari solebat per imaginem conjunctionis mariti cum uxore (conjugii). Quare defectio a Deo, idolorum veneratio, erat violatio hujus conjugalitatis relationis, erat adulterium (Jerem. 3, 8; Ezech. 16, 15. seq.). Ast etiam moralis per peccata a Deo defectio, erat ruptio vinculi cum eo. Quum illo tempore Judaei non amplius ad idololatriam propensi essent, imago de adulterio h. l. altero sensu sumenda est, nimirum Judaei a Christo ideo dicuntur adulteri, quod a Deo per mores pravit et perversos, per peccata defecerint, et in ipsum ut Dei legatum credere noluerint. Nam in pharisaeis et legisperitis omnes, qui cum illis faciebant, perstringit Jesus. Sed ita loquendo ostendit, se esse Patri aequalem. — *Et signum non dabitur ei*. Negat Christus signum (seu miraculum), quia necessitas non aderat; quia porro sciverat, homines illos perversos, malo animo, tentandi causa coll. Luc.

11, 16.) id postulasse, nec ipsos, etiamsi petitioni eorum satisfecisset, in eum esse credituros. — *Nisi*, excepto uno, quod non est de coelo, sed de terra, de profundo. — *Signum Jonae prophetae*, simile illi, quod in Jona propheta factum est (Jon. 2, 1–11.). Quibus verbis Christus, uti sequentia docent, significat suam mortem et resurrectionem futuram. Resurrectio enim Christi erat miraculum per eminentiam adeoque fundamentum, cui superstruebant Apostoli suam praedicationem (1 Cor. 15, 14. seq.). Reliqua miracula praecipue erant propter fideles, saltem supponebant animum ad fidem aptum; dum resurrectio, quae nec casui, nec daemioni cuidam, aut alii causae, quam Deo attribui poterat, σημεῖον erat etiam infidelibus. Hoc jam ultimum summumque signum divinae Christi potentiae, quod veritatem omnium antecedentium miraculorum comprobabat et confirmabat, debebant, si salvari volebant, suscipere (fide), aut vero adhuc magis pervicaces in ipsum fieri. Dicit vero suam resurrectionem Jesus signum Jonae, quia typice praefigurata erat in mirabili Jonae historia.

V. 40. Nunc sequitur uberior signi Jonae explicatio. — *Sicut fuit Jonas in ventre ceti . . . , sic erit Filius hominis in corde terrae.* Nonnulli (Euthym., Beda) per cor terrae intelligunt sepulchrum, in quod Christus quoad corpus positus fuit; rectius autem cum antiquis interpretibus (Iren., Tert., Mald.) explicantur illa verba de limbo Patrum, in quem Christus quoad animam descendit (coll. 1 Pet. 3, 19.). Jam ipsa verba: cor terrae significant profunditatem in terrae visceribus, uti in loco Jonae (2, 4.), qui Christo ob oculos versabatur, verba: cor maris profunditatem (altitudinem) maris indicant. Etiam formula ex aequo posita venter ceti magis quadrat in explicationem de limbo Patrum, quam in eorum sententiam, qui sepulchrum in rupe excavatum indicari statuunt. Tandem ipse Jesus (Luc. 23, 43.) mortem suam per descensum ad inferos diserte describit. — *Tribus diebus et tribus noctibus.* Christus non fuit plene tres dies et tres noctes in corde terrae. Possunt tamen tres dies et tres noctes definiri, si per synechoclen pars diei et pars noctis sumitur pro tota die et nocte, qualis usus loquendi Judaeis erat. Hunc usum loquendi Christus secutus dicendus est, quia aliis in locis (16, 21; 17, 22.)

diserte praedicat, se tertia die in vitam reversurum esse. Si autem Christus hunc usum loquendi secutus est, per illos tres dies et noctes voluit indicare: a) partem exiguam diei primae (feriae 6.), qua mortuus est in cruce; b) noctem et diem sequentem (sabbatum); et c) subsequentem noctem, qua praeterita diluculo (diei dominicae) surrexit (Calm.).

V. 41. Quoniam Jona e meminerat Jesus, mentionem etiam nunc facit Ninivitarum, qui Jona praedicante crediderunt et poenitentiam egerunt, dum Judaei, qui Christi temporibus vixerunt, eum ut Messiam repudiarunt. — *Viri Ninivitae*, est appellatio magis honorifica, quam simplex: Ninivitae (cf. Act. 1, 11.). — *Surgent in die judicii*, i. e. prodibunt (ob sequentem vocem: condemnabunt) ut accusatores die judicii extremi. — *Cum generatione ista*, cum Judaeis (plerisque), qui Jesu temporibus vixerunt. — *Et condemnabunt eam*, condemnabunt istos homines perversos, non verbis, sed factis (exemplo suo), quippe quum poenitentiam egerint ad praeconium Jonae. — *Et ecce plus quam Jonas hic*, et ecce quidpiam majus, praestatus est hoc loco apud hanc generationem (utpote quum adsit Messias et Dominus prophetarum); cf. v. 7. Nonnulli πλεϊόν pro masculino sumentes explicant: major, praestantior.

V. 42. *Regina austri*, regina Sabaeorum, civitatis Arabiae felicitis, ita dictae a Saba, urbe primaria (cf. 3 Reg. 10, 1. Hic loci dicitur austri, quia civitas Sabaeorum atque Arabia felix erat meridiana ratione Judaeae. — *Condemnabit, facto* scil. — *Eam*, homines generationis istius. — *Quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis*, quia e regione remota, nil curans molestias viae, venit, ut audiret Salomonem, cujus sapientia auditores delectabat quidem, ast non salvabat. — *Et ecce plus quam Salomon hic*; in hoc loco autem est majus quidpiam, ipsa Dei sapientia, quae salutem ipsam conferre potest et vult. Phrasis: a finibus terrae est hebraismus. Recte nonnulli notant, Christum se non obscure significare Messiam, dum se plus esse dicit seu superare dignitatem prophetae et Salomonis.

V. 43—45. Allegoricae orationis hujus dantur expositiones diversae, ortae pro diversitate tertii comparisonis illius. Nonnulli (de Wette) orationem hanc ad pharisaeos et

legisperitos referentes, putant, Christum ea dicere voluisse: Haec hominum natio corrigi non potest, quemadmodum daemoniaci quidem sanari nequeunt. — Sed hic non est sermo de daemoniaco insanabili, sed de tali, qui revera sanatus, et postea iterum in suam priorem conditionem miseram lapsus fuerat. Alii (Kuin.) dicta Christi ad pharisaeos et legisperitos referentes, hunc statuunt sensum: Quamvis vos, pharisaei et legisperiti, dictorum factorumque meorum praestantia et argumentorum gravitate perculsi, ad tempus mentem vestram in melius immutaveritis, mutatio tamen ista non erit diuturna; brevi enim ἀπιστία et contumacia vestra redibit, quae in dies crescendo vobis afferet perniciem certissimam et gravissimam. — Ast explicatio haec rejicienda est, quum in sermone praegresso prorsus nulli adsint nutus, pharisaeos et legisperitos ad tempus mentem suam mutaturos esse, potius e sermone illo elucet, eos nunquam poenitentiam acturos ideoque Ninivitas die iudicii suos accusatores habituros esse. Praeferenda est igitur explicatio eorum¹⁾, qui s. Patres et antiquos interpretes²⁾ secuti, locum hunc generatim de Judaeis interpretantur. Quamvis Christus hic proxime loquatur ad pharisaeos et legisperitos, poterat tamen in iis, quia ut magistri et duces populi Judaici universum populum repraesentabant, totum populum Israël illius aetatis respicere. Quapropter eos etiam nominat generationem (γενεάν). Si jam locus hic de populo Judaico exponitur, considerat Christus populum hunc juxta alios (Reischl, Bisp.) ab eo tempore, quo in Babyloniam abductus est; juxta alios:³⁾ inde a data lege. In exsilio hoc expulsus est ex populo daemon superstitutionis crassae, quo majores ejus sub regibus Juda et Israël vexati fuerant; nam in ipso exsilio coeperunt sese emendare plerique atque ita Deo occasiones disponente, in patriam redierunt. Sed illa emendatio brevi durabat; nam ultimis Macchabaeorum temporibus populus scissus erat respectu religioso et civili. Pharisei praeprimis, quibus plebs adhaerebat, per suam hypocrisin et falsas legis inter-

¹⁾ Schegg, Bisp., Reischl.

²⁾ Hilar., Hieron., Beda, Raban., Calm.

³⁾ Hilar., Hier., Jans., Schegg, Schanz.

pretationes populum penitus corrumpebant, ita ut, quamvis vulgarem idolorum cultum non amplius (uti antea majores) sequuti sint, nunc inanissima dogmata, innumeram superstitionum rituum multitudinem tenentes, atque superbia et praedjudicatis opinionibus et improbo animi sensu plenissimi, spreto omnibus remediis, quae Joannes Bapt., Christus ejusque Apostoli adhibuerunt, ut populum redderent Deo acceptum, Jesum ante 4000 ann. promissum Messiam ejusque evangelium, contempserint ac tandem occiderint, quod scelerum omnium maximum et gravissimum excidio Hierosolymae per Titum punitum est, et populus, a Deo relictus, nunc est absque Messia, absque lege, absque templo, absque sacrificio, absque regno, conditio ejus pejor priore, utpote adducta culpa graviori. — *Quum autem*; particula δέ est explicativa: nimirum. — *Exierit*, coactus potentia sublimiori. — *Ab homine*, quem hucusque obsederat. — *Per loca arida* (ἄνδροι τόποι, ἄνδρος idem ac: ἔρημος desertus h. l.), per loca deserta, in quibus docente s. scriptura (Tob. 8, 3. Bar. 4, 35. Apoc. 18, 2.) daemones morari solent. — *Quaerens requiem et non invenit*. Spiritus creaturae in Deo tantum potest veram nancisci quietem. Mali autem spiritus, qui penitus a Deo defecerunt, et ita suum verum centrum amiserunt, errant ut sidera errantia, quaerentes requiem et pacem, sed nullibi eam inveniunt. Quum tamen spiritus per-versus malo delectatur, ideo etiam voluptatem capit, si homini noceat, et ita erga Deum, cujus imago homo est, suum ostendat odium; quare dicit: *Revertar in domum meam*, i. e. in hominem, quem prius occupavi. — *Unde exivi*. Id dicit in sua superbia, sibi ipsi mentiens, ac si sponte egressus esset, quum tamen coactus potentia divina exierit. — *Invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam*. Verbis his designatur status (conditio) per ipsius hominis negligentiam et malitiam adductus, qui daemoni, moralem immunditiam tantum sapienti, tam jucundus videtur, sicut homini munditiam amanti, domus pure versa ac ornata. — *Sumit*, ideo nimirum, ut noceat illi misero homini quoad potest, et plenam ex eo capiat voluptatem. — *Septem*, i. e. plures; ex Hebraeorum constuetudine numerus definitus pro indefinito. — *Et fiunt novissima*, et fit sors seu conditio posterior, qua a pluribus vexatur daemonibus. — *Pe-*

jora prioribus, pejor sorte seu conditione priore, qua ab uno vexabatur daemone (cf. 2 Petr. 2, 20.). — *Sic erit generationi huic.* Continent verba haec applicationem allegoricae orationis.

6. Christi mater et propinqui ad eum adire quaerentes (v. 46 — 50.).

(Marc. 3, 31 — 35. Luc. 8, 19 — 21.).

V. 46. 47. *Stabant foris*, quia, uti Lucas (8, 19.) narrat, prae turba domum ingredi non poterant. — *Fratres*, cognati, consobrini. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 2, 12. pag. 77 seq. Haec Matthaei pericopa lucem capit per locum parallelum Marci (3, 20.). Hic nimirum narrat, Jesum ante sanationem daemoniaci (de quo sermo est apud Matthaeum 12, 19. seq. et Luc. 11, 14. seq.) cum discipulis suis venisse in domum quandam (verosimiliter in domum Petri Capharnaumi coll. Matth. 12, 9.), ibi autem tanto agmine populi (qui vel discendi, vel Jesum videndi vel sanationis aegrotorum obtinendae causa ad eum convenit) cinctum esse, ut ne panem quidem manducare (cibum, quo indigebant, capere) possent. Dein vero (3, 21.) pergit: *Et cum audissent sui* (οἱ παρ' αὐτοῦ, scil. ὄντες), i. e. mater Christi et cognati (coll. v. 31.), *exierunt* (Nazaretho), *tenere eum*; *dicebant, quoniam in furorem versus est*, i. e. mentis compos non est (ἐξέστη = μαινεται). — Si ita verba sumuntur, cognati Christi, qui (coll. Joan. 7, 5.) nondum in Christum credebant, aut revera putabant, quum audivissent de operibus ejus extraordinariis, eum mentis compotem non esse, qua re malevoli fuissent; aut vero, quum Nazarethae audivissent, Christum Capharnaumi sibi excitasse factis et sermonibus suis tanta pharisaeorum et legisperitorum odia, ut jam vel consilia eum perdendi cepissent, egressi Nazaretho Capharnaumum tendebant, et ibi, ut eum e manibus pharisaeorum et legisperitorum facilius eriperent, dicebant (simulate), eum mentis impotem factum esse.¹⁾ Quia etiam explicatio altera ob stare videtur sanctitati b. Virginis, quasi et ipsa illam cum cognatis communicasset simulationem, praeferenda est expositio illorum, qui statuunt, eos, qui apud Marcum (3, 21.) dicuntur οἱ παρ' αὐτοῦ,

¹⁾ Cf. Mald., Lap., Bisp.

non esse eosdem, quos Marcus postea (v. 31.) vocat matrem et fratres; quod ex modo loquendi et ex narratione interjecta (a v. 22—31.) certum esse videtur. Ceterum, quamvis causam cur venerint et cum Jesu loqui voluerint, ignoremus, tamen pro certo habendum est, causam illam, quia mater Jesu erat cum iis, bonam et piam fuisse (cf. Knabenbauer).

V. 48. *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei?* Verba haec non sunt negantis, aut vilipendentis matrem aut cognatos, sed Christus iis vult tantum significare, se cognationem spiritualem praeferre carnali; et obedientiam erga voluntatem Patris, qui ei opus redemptionis demandaverat, majoris habere quam voluntatem (obsequium) cognatorum suorum, nec in hac Patris voluntate implenda ulla re impediri velle. Sic facto (exemplo suo) illustrat quodammodo verba sua: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus (10, 37.).

V. 49. Quinam sint Christo in opere Messiano loco matris et fratrum, ostendit, dum blande circumspiciens (Marc. 3, 34.), manusque extendens in discipulos, ait: *Ecce mater mea et fratres mei*; quasi diceret: mihi, Messiae, caros et propinquos eos solum agnosco, qui fide, obedientia, dilectione mihi adhaerent. — Sic docet, cognationem mere humanam, sanguine et origine nativitatis constitutam, nil afferre commodi et utilitatis, si non juncta fuerit cognationi spirituali.

V. 50. Nunc docet, quatenus sit haec cognatio spiritualis, qua sola unusquisque dilectus et propinquus Messiae efficiatur, dum dicit: *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris, qui in coelis est, ipse meus frater et soror et mater est*; quasi diceret: quicumque fecerit voluntatem Patris, ei obedientiam exhibendo, hos solos mihi caros et cognatos agnosco atque eodem prosequor amore, quo quis fratres, sorores et parentes solet amplecti. — Ita autem loquendo ex una parte Virginem matrem suam omnium hominum proclamat beatissimam, quae scil. plus quam omnes homines Dei voluntati erat obsequens; ex altera parte gravissime monet Judaeos, ne fidant, se esse filios Abrahami, sed sciant, a regno Dei esse alienos omnes, qui obedire Deo per Christum loquenti recusarint (cf. Knabenbauer.)

Caput XIII.

Christus Dominus incepit munus doctoris (propheticum) a praeconio: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum (4, 17.), et dein in sermone montano (5, 2. seq.) promulgavit leges hujus regni. Ast plerique auditorum ipsius erant carnales, et occupati praejudiciis suis putabant, regnum, quod a Messia fundandum expectabant, fore terrenum, cujus cives, cunctis gentibus devictis, soli Abrahami posteris (Judaeis) futuri et omnis generis voluptatibus sensuum fructuri essent. Quapropter edocet eos Dominus de indole (natura) et efficacia hujus regni ejusque ad mundum relatione generatim et ad homines speciatim. Usus est autem hac in re parabolico dicendi genere; partim quia res ipsa idem commendabat; partim quia haec docendi forma, uti Christus ipse v. 11—13. docet, aptissima erat ad omnes ejus auditores, tum debiliores, bona tamen voluntate praeditos, tum sagaciores, mala voluntate instructos (cf. v. 13.).

1. Christus in navicula considens (v. 1—2.).

V. 1. *In illo die*, quo scil. res ad finem capitis praegressi narratae, gestae sunt. — *Exiens de domo*, verosimiliter sub vesperam coll. v. 36., ut eum omnes audire possent. Teste enim Luca (8, 19.) a tanta hominum multitudine circumdatus erat, ut mater et cognati ejus ad eum venire, hinc et omnes praesentes eum audire non possent. — *De domo*, illa nimirum, qua mater ejus et fratres eum Capharnaumi quaesierant. — *Sedebat secus mare*, scil. Galilaeae.

V. 2. *In naviculam ascendens*, ut omnes auditores ante conspectum suum et in se intentos haberet. — *Sederet*. Solebant enim doctores Judaeorum sedentes docere. — *Turba stabat*, in signum reverentiae et attentionis. — *In litore*, i. e. hominum multitudo ita se collocaverat, ut occuparet litus.

V. 3. *Et locutus est in parabolis*. Parabola a graeco παραβολή comparo, confero, denotat comparisonem personae vel rei alicujus cum alia ob similitudinem vel dissimilitudinem,

et respondet hebr. מִשְׁלָּה in omnibus significationibus, ita ut sensu latiori denotet quodcunque figuratum dicendi genus (v. c. similitudinem, simile exemplum, proverbium, allegoriam). Strictiori autem sensu parabola est narratio vel vera, vel ficta, ex eventibus naturae vel vitae quotidianae petita, qua veritas quaedam sublimior repraesentatur. Apud s. Joannem vox παραβολή non legitur, sed occurrit vox παροιμία eodem fere sensu (Joan. 10, 6; 16, 25.). — Parabolae Christi fere omnes ad duplex genus reduci possunt; vel enim spectant ad illustrationem doctrinae morum et vitae officiorum, vel vero quasi sub involucrio quodam significant regni divini indolem (naturam) et efficaciam. Ad classem alteram pertinent parabolae sequentes. Parabolae sequentes dictae sunt populo a Christo eodem tempore, quum in navi considens turbam congregatam ad litus alloqueretur; interpretatio autem primae parabolae de semente illiusque de zizaniis dicta est, postquam dimissis turbis Christus venerat domum seorsum discipulis.¹⁾

2. I. Parabola seminantis (3—9.).

(Marc. 4, 1—9. Luc. 8, 4—8.).

In parabola hac docet Christus, regnum divinum (Messianum) fundari praedicatione, quae tamen pro vario animorum habitu saepe fructu carebit, quum plurimi doctrinam ejus vel respuant, vel saltem cum optato successu non amplectantur.

V. 3. *Qui seminat* (ὁ σπείρων), *seminator*. — *Seminare* (τοῦ σπείρειν), ut *seminaret*.

V. 4. *Quaedam* (ἃ μὲν) *nimirum grana*. — *Secus viam, juxta viam*; alii (Schegg, Bisp.) in *viam*, per agrum ferentem. — *Et comederunt ea*, quia semina, quae juxta viam cadebant, in superficie manebant et facile ab avibus conspiciebantur (cf. 6, 26.).

V. 5. *Alia autem* (ἄλλα δὲ pro ἃ δὲ, quia praecedit: ἃ μὲν). — *In petrosa*, in terram saxosam, exigua humo tectam. — *Continuo*, mox, brevi. — *Quia non habebant altitudinem terrae*.

¹⁾ Cf. Patrit. II. 403. et 110.

quia non alta humo semina obruta erant, quapropter mox ebullire et germinare coeperunt, ac ante tempus exorta sunt.

V. 6. *Aestuaverunt*, exusta sunt, quia parum humi aderat, calor vero ob saxa a sole calefacta major evaserat. — *Aruerunt*, quia, quum tenuem haberent terram, non habebant humorem necessarium.

V. 7. 8. *Alia ceciderunt in spinas*, in loca, ubi spinarum semina erant. — *In terram bonam*, fertilem et debite prae-
paratam ac sulcatam et a noxiis seminibus puram. — *Et da-
bant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tri-
gesimum*, fructus (grana) uberrimos tulerunt. Ad ἑκατόν, ἑξήκοντα,
τρίηκοντα cogitatione addi potest σπέρματα (grana). Testibus Jos.
Flavio et Tacito revera permagna erat fertilitas Palaestinae
(cf. Deut. 8, 7—9; 11, 10.).

V. 9. Vid. 11, 15. Hac acclamatione voluit Jesus auditores admonere, ut perpenderent, tres sementis partes ob malam terrae indolem perire et unam tantummodo edere fructum.

3. Oratio interjecta, qua declarat Christus, cur in parabolis loquatur (10—18.).

(Marc. 4, 9—14. Luc. 8, 9—11.).

V. 10. *Et accedentes discipuli dixerunt ei*, postquam nimirum domum redierat Jesus. — *Quare in parabolis loqueris*, quare ita mysteriose loqueris, ut populus te intelligere non possit? Si juxta Marcum (4, 10.) et Lucam (8, 9.) eum de sensu parabolae interrogant, non pugnat id cum Matthaeo, quia utrumque fieri potuit.

V. 11. *Vobis*, Apostolis, qui me agnoscitis et profitemini legatum a Deo missum et electi estis, ut sitis praecones religionis meae et qui intelligere desideratis, datum est a Deo. — *Nosse mysteria regni coelorum*, ut omnia divina consilia, doctrinas et res arcanas, indolem et fata regni divini spectantes, absque offensione percipiatis. *Mysterium*, μυστήριον a μύω claudio, occludo dicitur res arcana, hominibus nondum cognita. Ita profanis auctoribus compellabantur mysteria doctrinae nonnisi altiori indagini aut initiatis patentes, rudiori autem plebi extra-

neisque oclusae et absconditae. In N. T. autem adhibetur vox haec praeprimis de consiliis, institutionibus et doctrinis divinis, ab initio et ab aeterno soli Deo notis et ab eo cognitis (in sinu ejus quasi reconditis Ephes. 3, 9.), omni creaturae (hinc et hominibus) in se absconditis, quae per divinam demum revelationem aut illustrationem hominibus notae fiunt. Hic loci per mysteria sunt intelligenda omnia divina consilia, institutiones et doctrinae hactenus incognitae, spectantes indolem et fata regni divini (Messiani). — *Illis*, seu reliquis (coll. Luc. 8, 10.) Judaeis, qui ad tempus tantummodo sunt auditores mei. — *Non est datum*, scil. a Deo, quia eis non est data gratia, mysteria regni coelorum intelligendi, quae tantum iis datur, qui istius capaces sunt ob suam dispositionem internam; sed omnia iis, uti Marcus (4, 11.) habet, in parabolis sunt, seu quasi velamine oblecta et cooperta manent. Distinguit Christus duas partes hominum, qui scil. regno divino sint inepti vel se ipsos ineptos reddant, et qui fide Christo adhaereant.

V. 12. Nunc explicat probatque proverbio, cur populus gratiam illam non habeat. In applicatione sensus proverbii est: Qui animum ad doctrinas de vera indole regni divini percipiendas sensu religioso et fide in me firma bene dispositum habet, ut vos Apostoli, hujus scientia et cognitio de Deo rebusque divinis proprio dicendi genere a me adhibito per gratiam divinam magis magisque augebitur; qui autem ad arcana illa et sublimiora animum sensu coelesti et fide in me constanti non habet aptatum, uti reliqua turba, ab hoc parva illa, quam habet de Deo rebusque divinis cognitio, sensim auferetur, ita ut ad veritates sublimiores magis magisque caecus fiat (cf. a Lap.).

V. 13. *Ideo* (διὰ τοῦτο). Vocem hanc nonnulli referunt ad v. 11. 12.; sed rectius alii connectunt eam cum sequentibus: *ideo*, quia videntes non vident . . . — *Quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt*. Videre et audire primo loco sumendum est sensu proprio, altero autem sensu improprio (cognoscere, intelligere). Verbis his significatur omnimoda animi infirmitas ad res divinas intelligendas. Juxta Matthaeum ergo Christus usus est parabolico

dicendi genere, quia incapaces erant doctrinae de regno coelorum intelligendae; juxta Lucam (8, 10.) contra, *ne populus videat atque intelligat*; et juxta Marcum (4, 12.), *ut videns videat et non videat, ut audiens audiat, et non intelligat, ne forte convertatur, et dimittantur ei peccata*. Attamen non pugnant vere Marcus et Lucas cum Matthaeo; uterque enim finis poterat Christo obversari; hinc dicere debemus, neminem evangelistarum utrumque referre. Parabola nimirum ceu involucrum veritatis alicujus sublimioris, non tantum hunc habet finem, ut homines excitet ad parabolaе sensum propria industria et meditatione cognoscendum, sed tanquam involucrum veritatem etiam hominibus malignis abscondit. Jam autem Christus duplicis generis habebat auditores, animo debiliores (ingenii tardi) et sagaciores, malignos. Utrisque dictae erant parabolaе; prioribus ob finem a Matthaeo nominatum; posterioribus ob finem, quem Lucas et Marcus dicunt. Illi, animo debiliores, maximam partem fidem in Messiam bonam habebant, sed praejudiciis de terreno Messiae regno ita obcaecati erant, ut videntes non viderent, et audientes non audirent, i. e. incapaces essent doctrinae Christi de regno coelesti intelligendae; quia igitur tales erant, loquebatur in parabolis, ut praejudiciis suis sensim depositis, veram regni Messiani indolem agnoscerent aut saltem illam sine offensione percipere possent. Quod vero ad alteram Christi auditorum classem, sagaciores malignos attinet, illi habebant oculos apertos, videbant miracula Christi, certissima eorum, quae dixit, argumenta, et non ea negabant; ast ea non potentia divina, sed ope satanae patrata esse dicebant; audiebant doctrinam ejus, perspicue et dilucide propositam, sed consulto eam intelligere noluerunt, potius omnem lapidem moverunt, ut in dictis ejus aliquid invenirent, quo possent ad eum accusandum et perdendum abuti. Ne igitur hi maligni ulterius margaritas pedibus suis conculcent (coll. 7, 6.), i. e. doctrinam evangelicam ignominiae et ludibrio exponant vel ea abutantur (et ita adhuc majorem in se admittant culpam conversionemque suam difficiliorem aut plane impossibilem reddant), loquebatur in parabolis. Hisce ergo Christus in poenam incredulitatis in parabolis (obscure) loquebatur; attamen hocce non erat eis ablata possibilitas con-

versionis. Parabolico enim dicendi genere excitabatur in eis studium, inquirendi in sensum parabolaë, quem sagaciores, dummodo vellent, depositis praejudiciis suis, propria meditatione assequi poterant; qui vero animo debiliores erant, stimulabantur ad explicationem parabolarum vestigandam et a Christo flagitandam. Hoc innuit Marcus (4, 33.) dicens: *Multis parabolis loquebatur* (Christus) *eis* (populo) *verbum* (doctrinam de indole et efficacia regni divini), *prout poterant audire*, (i. e. prout propter praeconceptionem opiniones illius doctrinae intelligendae capaces erant). Quapropter etiam illa apud Marcum addita verba: *ne convertantur et dimittantur eis peccata* (μήποτε . .) non sunt ita intelligenda, ac si Christus in parabolis eo consilio locutus fuisset, ne, dicta ejus illi homines intelligentes, convertantur et peccata eis remittantur (seu salutem consequantur); nam id obstat characteri Christi, benignae ejus in omnes homines voluntati et scopo adventus ejus finique muneris ejus publici (qui erat salus generis humani); sed vel ita: ne, uti ipsi volunt, convertantur et dimittantur eis peccata (cf. 23, 35.); sic ergo causa sunt ipsi homines, qui ideo nolunt videre et intelligere, ne convertantur et peccata illis remittantur; vel vero verba haec ad istud temporis momentum, quo Christus ea locutus est, restringi debent, ita ut sensus sit: Christus noluit tunc temporis Judaeos illos converti et peccata illis remitti, quia eo tempore conversio eorum ac peccatorum remissio sine diuturno fructu fuisset, postea autem majori cum fructu id fieri potuit.¹⁾

V. 14. *Adimpletur* (ἀναπληροῦται), i. e. perfecte adimpletur, seu: nunc plane ratum fit vaticinium Jesaiae (6, 9. seq.). Locus allatus est juxta versionem 70. Propheta proxime de coaevis suis locutus est, atque in iis sermo ejus impletus est; noluerunt enim eum audire, sed cor suum obduraverunt. Ast verba haec (docente Jesu) simul erant prophetia de Judaeis tempore Christi, de quo propheta vaticinatus est, quum tales essent, quales Judaei aetate Jesaiae; quapropter dicit Christus, nunc temporis perfecte adimpleri vaticinium Jesaiae. — *In eis*, (αὐτοῖς dativus objecti), Judaeis tempore Christi. — *Auditu au-*

¹⁾ Cf. Arnoldi, Bucher, Mald., Knabenbauer.

diētis, bene audietis. Nam nomen substantivum ejusdem originis et significationis tertio casu additum (ἀκοῇ) verbi significationem auget. — *Et videntes videbitis*, acriter videbitis. In textu hebraeo pro futuris leguntur imperativi (audite audientes et nolite intelligere), qui tamen pro futuris accipiendi sunt.

V. 15. Versus hic rationem continet, cur nihil intellecturi sint. — *Incrassatum est*, stupidus factus est. Verbum πικρύνω (a πικρὸς pinguis) notat: pinguefacio, passive: pinguefio; metaphorice (ad animum translatum): piger, stupidus fio. — *Cor*, animus, mens. — *Et auribus graviter audierunt*, aures eorum obsurduerunt. — *Ne quando videant oculis* (μήποτε . . .). Affert verbis his causam, cur Judaei animos obduraverint, et aures oculosque clauserint, quoniam videre, audire, intelligere, resipiscere medelamque sibi a Messia afferri, nolunt. — *Et sanem eos*, salvos faciam, seu salutem restituam, nimirum peccatorum remissione ac sanctificatione. Est hic futurum indicativi (ἰάσωμαι), quamvis pendeat ex μήποτε, quia etiam a scriptoribus probis post hanc particulam (aliasque εἰ, ὥς), aoristi conjunctivi et futurum indicativi conjunguntur. In textu hebraeo pro praeteritis occurrunt imperativi: *cor incrassa, aures aggrava, oculos clande*. Vide hac de re commentar. in evang. s. Joan. 12, 40.

V. 16. *Vestri oculi*, vos Apostoli; ex more Hebraeorum, qui saepe corporis membra ponere solent pro ipsa persona (cf. Joan. 3, 35.). — *Quia vident et aures vestrae, quia audiunt*, quia vos, alieni ab illa ceterorum Judaeorum misera conditione, videtis me Messiam meaque facta, et auditis atque intelligitis meam doctrinam coelestem.

V. 17. Versus hic continet rationem, cur sint beati dicendi. — *Quia multi prophetae et justi cupierunt videre*. Per prophetas sunt intelligendi generatim prophetae V. T., et per justos pii priscorum temporum viri, qui adventum Messiae avidè exspectabant, quin voti sui compotes fierent. Unum idemque erat desiderium patriarcharum, prophetarum, omniumque piorum V. T., scil. videndi et audiendi Messiam, mundi redemptorem et salvatorem (Gen. 49, 10. Jes. 45, 8. Joan. 8, 56.). Lucas (10, 24.) ad prophetas adjungit reges, per quos intelligendi sunt pii reges V. T., ut David, Hiskias.

V. 18. *Vos ergo*, quibus divinitus datum est, mysteria regni coelorum sine parabolarum involucris mente capere. — *Audite parabolam*, percipite parabola de satore significationem.

4. Interpretatio parabola de seminante (19—23.).

(Marc. 4, 14—20. Luc. 8, 11—15.).

V. 19. *Omnis . . . venit malus*; adest hic anacoluthon, ita solvendum: ad omnem, qui audit . . . , venit malus. — *Qui audit verbum regni*, qui doctrinam evangelicam auribus percipit; regnum coelorum itaque praedicatione fundatur et propagatur. — *Et non intelligit*, non recondit alte in animo, non meditatur, non penetrat vim et sensa verbi Dei, quia incapax est ob animum peccatis obduratum, ob animi levitatem, rerum divinarum negligentiam. — *Venit malus*, satanas seu diabolus (coll. Luc. 8, 12.). — *Et rapit*. Satanas nimirum aucupatur semen verbi divini, uti aves aucupantur semen agri; et sicut semen in terra patulum ab avibus rapitur, sic pariter semen verbi Dei in corde, consuetudine peccandi obdurato, fide non susceptum, illico a diabolo rapitur. Verbum Dei debet primum audiri (coll. Rom. 10, 17.), dein fide suscipi, et tandem intelligi. Rapit vero satanas verbum Dei, quum efficit, ut homo obliviscatur doctrinae audita. In tali homine semen verbi Dei ne germinat quidem, nedum ut radices agat. — *Hic juxta viam seminatus est* (οὗτος . . . σπαρσέν); i. e. hic similis est semini juxta viam sato. Proprie dicendum erat: hic est, in quo semen ad viam satum est (nam non homo, sed doctrina est ὁ σπαρσέν); sed Christus imagine incepta relicta, priori modo dixit (ita et v. 20. 22. 23.).

V. 20. *Qui super petrosa seminatus est, hic est*, i. e. hic similis est semini in loca saxosa sato. Propria dicendum erat: Hic, in quo semen in loca saxosa satum est, est ille. — *Qui verbum audit et continuo cum gaudio accipit illud*, qui doctrinam evang. auditam confestim cum gaudio suscipit, quia delectatur illius veritate, pulchritudine, rectitudine et sanctitate.

V. 21. *Non habet autem in se radicem*, doctrina evang. non habet radicem in animo ejus, seu leviter tantum animo ejus inhaeret. — *Sed est temporalis*, ad tempus (modicum credit

(coll. Luc. 8, 13.), seu non est constans in fide, ad tempus tantummodo Christi sectator. — *Propter verbum*, scil. divinum, seu propter fidem. — *Continuo*, solo timore, priusquam tangatur rebus adversis. — *Scandalizatur* (σκανδαλλίζεται), a fide Christi deficit, apostatat. In tali homine verbum Dei germinat quidem, sed radices alte non agit, quare facile id, quod germinaverat, arescit.

V. 22. *Qui seminatus est in spinis, hic est*, i. e. similis semini inter spinas sato. Proprie dicendum erat: Hic, in quo semen inter spinas seminatum est, est, qui . . . *Sollicitudo saeculi istius*, cura rerum caducarum, quae hujus mundi sunt, ergo cura bonorum terrenorum, status, officii, honorum, voluptatum, rerum familiarium. — *Et fallacia divitiarum*, divitiae fallaces. Dicuntur fallaces, quia hominem fallunt, quum non praestent, quod promittunt; exhibent enim se homini ut optatissimum medium, aliis benefaciendi vitamque suam jucundam reddendi, ast, si eas consecutus est, innumeris vexatur curis et desideriiis, angoribus, timoribus, laboribus et saepe conscientiae morsibus, quae omnia haec eum pace et gaudio (vero) privant (cf. 1 Tim. 6, 10.). — *Suffocat verbum*, dum nimirum non sinunt verbum div. perpendere ac praeceptis ejus animum conformare, quo fit, ut vim suam in hominis animo exserere nequeat. — *Et sine fructu efficitur*, inefficax redditur verbum div. In hoc homine verbum Dei et germinat et radices agit, sed sine fructu manet, quia a vana cura rerum terrenarum et divitiarum quasi distractus et huc illuc jactatus, omnem curam rerum divinarum abjicit.

V. 23. *Qui in terram bonam seminatus est*, i. e. similis semini in terram bonam sato, est. — *Qui audit verbum*, et, uti Marcus (4, 20.) addit: suscipit, scil. corde, vel in corde retinet, uti Lucas (8, 15.) habet. — *Et intelligit*, studium adhibet discendi et industriam intelligendi verbum et voluntatem Dei. — *Et fructum affert* (ὅς δὲ . . . , particula δὲ additur emphasis gratia), i. e. is igitur, is demum fructum affert, et quidem, uti Lucas addit: in patientia, i. e. constanter, sive tangatur rebus adversis, sive jucundis. — Sicut in terreno, etiam optimo, non eodem modo semina multiplicantur, varii sunt praestantiae gradus, multumque juvat agricolae

industria, ita etiam res se habet in solo spirituali (in hominibus), quatenus ex eadem annunciata doctrina Christi alius alio uberiores fructus edit. Diversitas haec oritur, quia non omnes homines eadem juvantur gratiarum copia, nec omnes idem studium eundemque conatum adhibent ad cooperandum gratis a Deo benigne oblatis. Inde vero simul elucet, diversos esse gradus perfectionis, virtutum, meritorum, et consequenter etiam diversos gradus mercedis et gloriae in regno Messiano.

Bene notat Knabenbauer, parabolam hanc, cum in universum dicatur et valeat, intelligi debere de toto tempore regni Messiani hisce in terris; hinc, uti de tota praedicatione, ita etiam de omnibus valet, qui illud regnum annunciant. Huic non obstat explicatio parabolae de zizaniis (v. 37—42.) a Christo data. Christus enim, qui regnum Messianum (ecclesiam) fundavit et primus atque per se semen (doctrinam) sparsit, doctrinam suam Apostolis tradidit praedicandam, ut semen a Filio hominis acceptum spargant in mundum usque ad finem saeculi.

II. Parabola de zizaniis (v. 24 — 30.).

In hac parabola docet Christus, in regno Messiano (in ecclesia) esse bonos et malos, donec in fine mundi, iudicio extremo fiet eorum discretio et separatio.

V. 24. *Proposuit illis*, i. e. turbae (cf. v. 2. 34. 36.). — *Simile factum est regnum coelorum homini* etc., (similiter fit seu simile quid accidit) in regno Messiano (in ecclesia) ac in agro, in quo homo bonum semen seminavit (coll. Marc. 4, 26.). Recte Christus utitur tempore praeterito (aoristo: ὡμοιωθῆς, σπειραντι), quia Messias per doctrinas suas salutes jam sparsit semina bona.

V. 25. *Cum dormirent*, noctu, clam omnibus. — *Homines*; per hos non sunt intelligendi agri custodes, sed homines generatim, quia alias deberet esse ut v. 27. servi (δοῦλοι). Pertinent haec, uti v. 27., ad ornatum parabolae. — *Inimicus ejus*, illius, qui agrum tam bene seminaverat. — *Zizania*. Zizania (ζίζανιον, sunt lolium temulentum (Sold, Tollfraut), quod terrae orientales largissime procreant, tritico simillimum, exceptis

granis, quae sunt nigra, simulque ebrietate, quam affert comedenti, perniciosum. — *In medio tritici*, inter triticum. — *Et abiit*, quia nimirum sciri nolebat, id a se factum, donec res se ipsam redderet manifestam.

V. 26. *Quum crevisset herba*, quum ex disseminatis tritici et lolii granis seges, gramini similis, enata esset. — *Et fructum fecisset*, spicas et grana ostendisset. — *Tunc apparuerunt et zizania*, ita nimirum, ut dignosci possent.

V. 28. *Fecit hoc*, scil. quod lolium inter triticum in agro invenitur. — *Colligimus* (συλλέγωμεν conjunctivus deliberativus), i. e. colligamus.

V. 29. Verbis his prohibetur, ne simul (ἄρα h. l. est praepositio, quae asciscit dativum, est enim ut Latinorum: simul, fere idem, quod σύν) cum lolio etiam triticum eradicetur.

V. 30. *In tempore messis*, quo nimirum triticum a lolio dignosci et separari potest. — *Ad comburendum*; cf. 6, 30.

III. Parabola de grano sinapeos (31. 32.).

(Marc. 4, 30 — 32. Luc. 13, 18 — 19.).

Parabola hac significat Christus magnam regni Messiani (ecclesiae) amplitudinem (magnitudinem), ad quam per praedicationem doctrinae ejus excrescet.

V. 31. *Grano sinapis*. Sinapis planta in oriente diversa ab illa in nostris terris, post plures annos demum fructum profert et excrescit in arboris altitudinem; h. l. uti apud rabbinos est imago rei exiguae, minimae.

V. 32. *Quod minimum est omnibus seminibus* (ὁ μικρότερον minus), quod unum est ex minimis seminibus, seu refertur inter minima semina (nam non absolute est minimum). Relativum ὅ est per attractionem positum pro ὅς, ob sequens neutrum σπερμάτων. Sensus parabolae est: Parva quidem sunt regni mei, ecclesiae meae (his in terris) initia (utpote quae initio exiguum sectatorum meorum numerum habet), sed maxima capiet incrementa, longe lateque propagabitur, undique ad illam confluent homines et beneficiis ejus recreabuntur. Veritatem hujus confirmat historia.

IV. Parabola de fermento (v. 33.).

(Luc. 13, 20. 21.).

Parabola hac idem ac antecedenti significat Christum, attamen in hac magis adhuc ostendit vim ac efficaciam regni Messiani (ecclesiae) totum mundum permeantis ac in melius mutantis.

V. 33. *Fermento* (ζύμη). Fermentum est massa farinae ex aqua subactae, quae nimio in se nato calore corrumpitur. Propterea metonymice vulgo ponitur de re mala et corrupta (ut Matth. 16, 6; 1 Cor. 5, 6. 7.); sed, quia fermentum potest conceptum in se calorem cum rebus frigidis, quibus immiscetur, communicare, etiam in bonam partem ponitur, ut h. l. — *Quod acceptum mulier*. Dicit Jesus: mulier, quia pinsere erat officium mulierum; uti serere virorum. — *Abscondit*, immiscuit. — *Satis tribus*. Vox σάτον (satum) enata est ex aramaico סַתְנָא, quae hebr. est סַתְנָא; est genus mensurae aridorum unum et dimidium modium complectens. Sensus est: Sicut fermentum totam farinae massam sapore et calore suo pervadit et in suam virtutem transmutat, ita ecclesia Dei vi supernaturali paulatim totum mundum, omnes homines, permeabit mutabitque in melius, quicumque influxui ejus se non consulte subtrahunt. Historia nos docet, qualis per religionem christianam effecta est mutatio in vita privata, in familia, in societate hominum, in regnorum administratione, in ipsa artium cultura etc.

5. Impletio loci prophetici in Christo (34. 35.).

V. 34. *Sine parabolis non loquebatur*, nimirum illo tempore, quo plebi ad lacum Tiberiadis, locutus est de arcanis doctrinis, indolem et efficaciam regni div. concernentibus; nam non semper per parabolas ad plebem verba fecit. Ergo negatio relativa.

V. 35. *Ut impleretur* (ἵνα . . .), finaliter sumendum (ut 1, 22.); quia scil. praedictum erat a propheta, ideo Christus per parabolas locutus est populo de indole et efficacia regni divini. Propheta Asaphus (levita tempore Davidis), qui auctor est Psalmi, e quo verba haec desumpta sunt, non quidem directe, voce

vaticinatus est, Messiam in parabolis de indole et efficacia regni div. ad populum locuturum esse, sed ut typus, pro quali eum s. Matthaeus agnoscit, sua agendi ratione id praenunciavit, quatenus historiam populi Israëlitici et variam ejus sortem usque ad Davidem (commemorando nimirum et celebrando beneficia a Deo populo praestita, ab egressu ex Aegypto usque ad Davidem) proposuit per sententias acutas et similitudines, sub quibus latuerunt veritates sublimiores (alta mysteria) ad regnum Messianum spectantes. Nam non solum tum aliquid factum esse seu evenisse dici potest, si per vaticinia voce fuerat prolatum, sed id etiam typis (rebus) fieri potest, quatenus Deus per eos futuri quid praesignificat ac praenunciat.¹⁾ — *Per prophetam*, nimirum Asaphum (Ps. 77, 2. hebr. 78.). Hic Asaphus (2 Chron. 29, 30.) nominatur videns, quod idem est ac propheta (cf. 1, 22.). — *Aperiam os meum*; vid. 5, 2. — *In parabolis*. Psalmista eventus miraculosos in populi Israël historia vocat parabolam (פָּרָבּוֹל), quia in illis doctrina continetur, in Deo spem ponendi. — *Eructabo* (ἐρρέωμι) i. e. pronuntiabo. — *Abscondita a constitutione mundi*, res, absconditas ab aeterno. In textu hebraeo est: aenigmata ab initio (Sept. ἀπ' ἀρχῆς) scil. egressus populi Israël ex Aegypto. Aenigmata (חֲדָרִים) haec ab initio sunt psalmistae cuncta facta ac instituta divina ad salvandum populum Israël. Evangelista autem sumit vocem hebraicam sensu latiori intelligitque per eam mysteria regni Dei, ab initio inde a mundo condito abscondita, seu divina de regno Dei consilia, quae in Christo patefacta sunt omnibus, qui in eum credunt. Sic Christus, uti munus regium et sacerdotale in se implevit et absolvit, ita etiam se exhibuit ut summum prophetam in doctrina, in modo docendi, in miraculis, in persecutionibus et morte (cf. Matth. 5, 12; 23, 30. seq. Luc. 13, 33.).²⁾

6. Interpretatio parabolae de zizaniis (36 — 43.).

V. 36. *Venit in domum*, scil. Capharnaumi, quam coll. v. 1. reliquerat. — *Edissere*, expone, explica.

¹⁾ Cf. Patrit. III, 158.

²⁾ Conf. Bisp., Knabenbauer.

V. 38. *Mundus*, i. e. homines, et quidem non tantum Judaei, sed omnium gentium nationumque homines. — *Bonum semen*, non: bona grana, quae sequuntur, sed fruges e bono semine (e gratia et veritate Christi) enatae; nam opponuntur zizania. — *Filii regni*, i. e. homines, qui talem indolem referunt, quae regno Dei convenit, ergo veri cives regni Messiani, pii, christiani vere tales. — *Filii nequam* sunt homines, qui indolem mali, i. e. satanae referunt, ergo mali et perdit in regno Dei (ecclesia).

V. 39. *Inimicus . . est diabolus*, qui opera Dei, odio in Deum stimulatus, perdere studet. — *Consummatio saeculi* h. l., uti contextus docet, est finis mundi, seu tempus judicii extremi, quo boni separabuntur a malis.

V. 40. *Igni comburuntur*. Vulgata (uti Lachmann) legit *κατακαίεται*; sed praeferenda est lectio *καίεται* *uruntur*, utpote difficilior. Lolia quidem comburuntur (coll. v. 30.), sed punctum comparationis non in comburendo, sed in urendo situm est, quum impii in gehenna non comburuntur, sed uruntur, torquentur poenis aeternis (cf. Meyer). — *Sic*, i. e. similiter eveniet improbis tempore judicii extremi, quando a bonis separabuntur.

V. 41. *Mittet*, in universum mundum. — *Angelos suos*, qui Christum in reditu ad judicium extremum comitaturi sint. — *Colligent*, structura praegnans pro: colligent et secernent. — *Omnia scandala* (abstractum pro concreto), omnes homines, qui aliis scandalo fuerunt, seu seductores. — *Et qui faciunt iniquitatem*, et eos, qui peccant (in occulto), quin alios seducant, seu peccandi occasionem aliis praebeant.

V. 42. *In caminum ignis*, est idem ac: gehenna ignis (5, 22.) et ignis aeternus (18, 8.), quibus formulis significantur poenae inferni aeternae. — *Fletus et stridor dentium*; cf. 8, 12.

V. 43. *Tunc*, facta hac regni Dei purgatione, seu facta hac perpetua malorum a bonis separatione. — *Iusti fulgebunt*, iusti Christo, capiti suo uniti, cum corporibus suis configuratis (Phil. 3, 21. Rom. 8, 18.) fulgebunt ut sol, maxima gloria et beatitate fruantes, (cf. 17, 2.). — *In regno Patris*. Usque ad illam regni divini purgationem (tempore judicii extremi) regnum divinum, quod statim post lapsum protoparentum initium sumpsit,

a Patre traditum est Filio redemptori cum potestate perfecta; facta autem illa purgatione (et devicto ultimo adversario, morte). Filius illud regnum iterum reddet Patri, ut Deus sit iterum omnia in omnibus (1 Cor. 15, 24 — 26.), i. e. dominium Dei immediatum, uti ante lapsum protoparentum. — *Patris eorum*; dicit: *eorum* (non: ejus), ut significet, eos gloria fruituros esse in regno illius, qui Pater eorum benignissimus est. — *Qui habet aures audiendi, audiat*. Vid. 11, 15.

V. Parabolae de thesauro, negotiatore et sagena

(v. 44 — 52.).

Parabola prima declarat Christus pretium regni Messiani, seu bonorum copiam in hoc regno, quod tantum est, ut omnium rerum jactura comparandum sit.

V. 44. *Thesauro*; cf. 12, 35. — *Abscondit*, ideo scil., ne cogeretur eum domino agri cedere, sed ut agrum prius emeret et ita thesauri illius dominus efficeretur. — *Prae gaudio illius*, i. e. prae gaudio de thesauro invento (ἀγαθόν, illius, genitivus objecti). Ceterum per se intelligitur, Christum h. l. non velle docere, utrum recte an male ille homo fecerit. Comparat Christus regnum coelorum (Messianum) thesauro ob copiam bonorum supernaturalium et ingentes divitias in hoc regno; vel ut res significetur, quae aestimari non potest (Mald.). Comparat autem istud thesauro abscondito, quum multis regnum Messianum ignotum sit, aliis vero magnam partem incognitum, quia sapientiam coelestem et bona supernaturalia in hoc regno parvi pendunt aut negligunt.

V. 45. 46. Cum Christus antea dixisset: simile est regnum coelorum thesauro, utique expectatur hoc: simile est regnum coelorum margaritae, quam mercator, bonas margaritas quaerens, invenit, et dein abiit omniaque vendidit, ut etc. . . .; Christus vero dicit: simile est regnum coelorum mercatori . . . quia hic non significatur pretium regni divini, sed studium et cura, quae homini adhibenda sit, ut istud sibi comparet. Sensus est: Sicut mercator aliquis bonas quaerens margaritas, atque una perinsigni et pretiosissima inventa, abiit venditque omnia bona sua, ut illam unam emere possit, ita et nos omnes simili animi fortitudine et promptitudine esse debemus,

si regni Messiani cives et haeredes fieri et manere volumus; omnia enim terrestria et ipsam vitam profundere opus est. (Knabenbauer).

V. 47. 48. Parabola de sagena significatur id, quod illa de zizaniis, nimirum, quod ecclesia Christi visibilis complectatur homines tam bonos, quam malos; quapropter ad salutem aeternam consequendam non sufficit, ut quis externe tantum sit membrum ejus, sed vivum ejus membrum sit necesse est. Exinde vero simul patet, ecclesiam Christi his in terris non esse communionem sanctorum, coetum praedestinatorum, uti Lutherus et Calvinus eam definierunt. — *Sagena*. Sagena est vox graeca (σαγήνη), significans genus retis, quod vulgo dicitur verriculum (Schleppnetz), quia verritur seu ducitur, et cujus ea natura est, ut, quidquid obvium fit, secum trahat. — *Elegerunt*, collegerunt, scil. piscatores. — *Bonos*, scil. pisces, esui aptos. — *Malos*, pisces putidos, foetentes.

V. 49. 50. *De medio iustorum*, a justis (est hebraismus).

V. 51. *Omnia*, omnes parabolas. In quibusdam codicibus graecis verba: λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, praeposita leguntur, quae tamen spuria sunt.

V. 52. *Ideo* (διὰ τοῦτο). Cujus rei causam Christus verbis his reddidisset, interpretes dissentiunt. Simplicissima est explicatio eorum, qui dicunt, hoc spectare ad Apostolorum responsum affirmativum hoc modo: Quia vos Apostoli me intellexistis, quum ut sapiens paterfamilias nova et vetera e promptuario meo protuli, ideo quisque doctor christianus similis est. — *Scriba* (γραμματεὺς) h. l. doctor, praedicator, et quidem ob addita: doctus in regno coelorum, doctor christianus, doctor evangelicus. — *Doctus* i. e. discipulus factus; μαθητευθεὶς a μαθητεύω discipulus sum, dein discipulum facio; in passivo: discipulus fio. — *In regno coelorum*, sive legatur (cum Tischendorffio): τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, sive (cum Lachmanno): εἰς τὴν βασ. τ. οὐρ.) sensus idem est, nimirum: qui discipulus factus est regni coelorum. Consideratur ergo (in verbis: qui factus est discipulus regni coelorum) regnum coelorum per prosopopoeiam ut persona; discipuli Christi sunt simul discipuli regni coelorum, ecclesiae, cujus caput est Christus. Indirecte simul in his verbis latet, eum, qui verus doctor evangelicus

esse vult, antea esse debere discipulum ecclesiae, a qua discat necesse est. — *De thesauro suo*, e suo promptuario. — *Nova et vetera*, varii generis cibos. Sensus totius est: Sicut bonus ac prudens paterfamilias ex promptuario suo familiae suae ac convivis invitatis, ut omnium necessitati et palato satisfaciat, varii generis cibos apponit, consuetos et novos, ita etiam verus doctor christianus ex scientiae promptuario, jam ante longa meditatione, contemplatione ac exercitatione praeparato, cujusvis generis doctrinas pro cujusque captu et statu proponere debet, nunc notas, nunc ignotas, utens in tradenda doctrina orationis forma, modo usitata, modo nova (per exempla, parabolas, similitudines), ut institutio ejus fiat jucunda atque utilis. Sic nova et vetera optime explicantur de rebus auditoribus notis ac ignotis. Nimis angusta est explicatio nonnullorum Patrum (Chrysost., Hilar.) de V. et N. Testamento, aut de lege et evangelio.

7. Christus Nazarethi contemptus (53 — 58.).

(Marc. 6, 1 — 6.).

V. 53. 54. *Inde*, e lacu Genesareth (13, 1.). S. Marcus (6, 1 — 6.) pericopam sequentem ponit statim post miraculum in filia Jairi patratum. Quia apud Marcum 4 parabola proponuntur, concludere oportet, Christum non statim post parabolas venisse Nazareth, intercessisse ea, quae Marcus (4, 35 — 6, 1.) refert (Knabenbauer). Ceterum pericopa haec, quamvis sit in multis similis pericopae apud Lucam (4, 16. seq.), diversa est ab illa; nam ea, de quibus loquitur Lucas, facta sunt statim post Christi tentationem in deserto, quum prima vice moraretur Nazarethi. Saepius enim Christus Nazarethanis gratiam evangelicae praedicationis obtulit.¹⁾ — *In patriam suam*, i. e. Nazarethum. Ita dicitur, quia ibi nutritus fuit (coll. Luc. 4, 16.), et mater et cognati ibi habitabant. — *Docebat eos*, scil. Nazarethanos. — *In synagoga*, i. e. in synagoga; nam haud credendum est, in parvo oppido Nazareth plures fuisse synagogas. Singularem numerum exhibent plerique codices graeci et locus parall.

¹⁾ Cf. Tischendorf. synopsis evang. XXXII. § 54.

Marci. — *Unde?* Sciebant enim Nazarethani, cognatos Christi esse conditionis humilis, a quibus talem sapientiam et facultatem miraculorum patratorum nancisci non poterat. — *Huic;* h. l. et in sequentibus cum contemptu positum est. — *Sapientia haec,* quae in sermonibus ejus se manifestat. Sapientiam ejus jam antea (coll. Luc. 4, 22.). Nazarethani mirati sunt; sed, uti tunc, ita et nunc cor suum obdurarunt. — *Virtutes,* i. e. facultas miraculorum patratorum; alii explicant: miracula ob numerum pluralem, uti v. 58.

V. 55. 56. *Nonne est fabri filius,* i. e. Josephi, quem fabrum lignarium fuisse s. Patres testantur. Justinus M. (in dial. c. Tryph. c. 88.) dicit, eum aratra et juga boum confecisse. Nazarethani Jesum Josephi filium esse putabant, quia Maria ipsius mater erat, Josephus autem Mariae maritus; unde etiam Maria, Jesum alloquens, ipsius patrem nominabat maritum suum (coll. Luc. 2, 48.). Parentum vero et cognatorum Jesu Nazareni h. l. mentionem faciebant contemptus causa; et haec ignobilis origo Jesu et invidia homines istos eo redegit, ut Jesum repudiarent, nec pro legato div. haberent. — *Fratres ejus,* i. e. cognati; vid. commentar. in evang. s. Joan. pag. 77.

V. 57. *Scandalizabantur in eo,* offendebantur humiliter ejus origine, quia cum tali ejus sapientia facultateque miracula patrandi pugnare videbatur. — *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua et in domo sua.* Vid. commentar. in evang. s. Joan. 4, 44.

V. 58. *Non fecit ibi virtutes multas,* non multa ibi edidit Jesus miracula. Nonnulla eum fecisse, docet Marcus (6, 5.). — *Propter incredulitatem eorum,* quia nimirum praesciebat, illos etiam conspectis miraculis in eum non esse credituros. Ad Deum enim glorificandum edidit Christus miracula. Inde etiam patet sensus verborum apud Marcum (6, 5.): *non poterat ibi virtutem ullam facere,* non quod ipsi vis, sed quod ejus civibus fides deesset. In operatione miraculorum duobus opus est, virtute in auctore et fide in illis, quibus praestantur (Victor. Antioch.).

Pars Tertia (14, 1—20, 28.).

In hac parte Christus potissimum describitur doctor et eruditor Apostolorum.

Caput XIV.

1. Herodis sollicitudo propter Jesum (v. 1. 2.).

(Marc. 6, 14. Luc. 9, 7—9.).

V. 1. *In illo tempore*, quum Jesus (coll. Marc. 6, 6.) vicos Galilaeae peragraret et duodecim Apostoli in sua legatione versarentur. Marcus enim et Lucas pericopam sequentem ponunt post missionem Apostolorum a Christo factam. — *Herodes*, scil. Antipas; cf. 2, 22. — *Tetrarcha* est vox graeca τετραρχης, eum significans, qui quartae alicujus regni parti (τετράδι) imperat. Sed sensim voce hac designabatur quivis princeps parvus, uti h. l. Antipas. Marcus eum vocat regem, quia Judaei aliaeque gentes alios quoque principes, qui alicui regioni citra regium nomen imperarent, reges appellare solebant. — *Famam Jesu* i. e. famam de Jesu (cf. 4, 24.). Poterat quidem jam prius de Jesu audire, sed, quum totus voluptatibus esset immersus, ejus rem nihili fecit, nec prius curavit, quam omnium animos oculosque in se Jesus convertisset, quo facto de se ipso timeret tetrarcha.

V. 2. *Pueris*, i. e. ministris, aulicis suis. — *Hic est Joannes Baptista*, ipse surrexit a mortuis. Teste Luca (9, 7.) quorundam aliorum (verosimiliter aulicorum) fuit haec sententia, quam etiam Herodes, teste nostro loco et Marco (6, 16.) amplexus est. Nam, quamvis esset (ob Marc. 8, 15. coll. Matth. 16, 6.) ex Sadducaeorum secta, quae corporum resurrectionem negabat, dubium tamen non est, quin Joannis, sancti et innocentis viri, trucidati imago diu noctuque animo Herodis obversaretur, isque continuis conscientiae stimulis ob necem ejus exagitaretur, ita ut crederet, eum a mortuis surrexisse. — *Ipse*, is, neque

alius. — *Et ideo*, quia a mortuis suscitatus et ea re potentior factus est. — *Virtutes*, nimirum extraordinariae, supernaturales, illae, quibus miracula fiunt (cf. 13, 54.). — *Operantur*, se exerunt, efficaces sunt. — *In eo*, in ejus persona.

2. Mors Joannis Baptistae (3—12.).

(Marc. 6, 17—29.)

V. 3. Captivitatem et necem Joannis B. a Matthaeo h. l. et Marco descriptam, non hocce tempore, sed prius evenisse, ipsi testantur evangelistae, quum eas narrent, postquam mentionem fecerant Herodis suspicantis, Jesum esse Joannem redivivum. Ut autem hoc loco captivitatem et necem evangelistae narrent, ideo factum est, quia eis describendis occasionem praebuit prius (Matth. 14, 2. Marc. 6, 14. 16) injecta mentio Herodis suspicantis, Jesum esse Joannem a mortuis suscitatum. Captivitatem jam 4, 12. innuebat; 11, 2. autem supposebat. — *In carcerem*; cf. 11, 2. — *Propter Herodidem*, propter incestuosum ejus connubium cum Herodiade. — *Fratri sui*, i. e. Philippi. Herodes Magnus progenit ex secunda uxore sua, Mariamne, filia Simonis summi sacerdotis, hic nominatum (Herodem) Philippum, dein cum tertia uxore Malthace genuit etiam hic memoratum Herodem Antipam, et cum quinta uxore Mariamne, filia Hasmonaei Alexandri, procreavit Aristobolum. Hic duxit Berenicen, et ex ea genuit Herodidem. Haec nupsit primum Herodi Philippo, patruo, qui ab Herode M. exhaereditatus Hierosolymae ut homo privatus vixit, et genuit Salomen (v. 6. nominatam saltatricem). Sed Herodidem hanc raptam dein nuptiis incestuosis sibi copulavit Herodes Antipas, item patruus, qui legitimam suam uxorem, filiam Aretae regis Arabici, repudiaverat¹⁾. Jos. Flav. (Antiqq. XVIII, 5, 2.) ut causam incarcerationis nominat timorem Herodis. Vid. comment. in evang. s. Joan. 4, 3.

V. 4. *Non licet tibi habere eam*, in matrimonio, seu ea tanquam uxore uti, nimirum juxta legem (Lev. 18, 16; 20, 21.),

¹⁾ Cf. Jos. Flav. Antiq. XVII, 1, 2; 8, 2; 18, 5, 1. seq.

quia vir adhuc superstes erat. Connubium hoc erat adulterium, quia vivente marito, ab eo non dimissam duxerat, et simul incestus, quia fratris uxor erat, quam tantum mortuo fratre et quidem liberis destituto, ducere licebat (Deut. 25, 5.). Cum vix censi possit, Herodem in desertum ad Joannem exiisse, vel Joannem in aulam principis se contulisse, probabile est, reprehensionem hanc Herodi ab aliis esse delatam.

V. 5. *Volens occidere illum*; initio, teste Marco (6, 19.) sola Herodias voluit occidere Joannem, postea idem persuasit Herodi marito. — *Quia sicut prophetam eum habebant*, persuasum habebant, eum esse prophetam.

V. 6. *Die natali*, i. e. quum dies natalis celebraretur; τῇ γενέσει idem ac apud veteres Graecos τῇ γενέθλιῃ natalitia, festum diei natalis. — *Saltavit*. Saltatio haec constitit fors in gestibus lascivis et impudicis, pantomimorum more. — *Filia*, Salome, quam Herodias priori marito Philippo pepererat. — *In medio, triclinii*.

V. 7. 8. *Unde*, quia saltans puella mirifice Antipae placuerat. — *Pollicitus est ei dare, quaecunque postulasset*, etiam dimidium regni (coll. Marc. 6, 23.). Cf. Esth. 5, 3. — *Praemonita*, instructa, impulsa. — *A matre sua*, ad quam egressa est, interrogatura, quid peteret (coll. Marc. 6, 24.). — *Hic*, i. e. hoc loco (in triclinio), et quidem, uti Marcus dicit (6, 25.) protinus, confestim, durante convivio, ne scil. post crapulam et voluptatem sanae menti redditus recuset.

V. 9. *Et contristatus est rex*. Antipas scil. adhuc in dubio erat, num Joannem, quem magni habebat (coll. Marc. 6, 20.), occideret, ideoque contristatus et consternatus est his et improvisis et cruentis precibus, quae sensui ejus meliori obnitebantur. — *Rex*, i. e. tetrarcha seu princeps (cf. 2, 22.). — *Propter juramentum*, ne nimirum illud (quod sanctissimum habebant Judaei) violaret. — *Et eos, qui recumbebant*, propter convivas, ne levis vanusque promissor videretur.

V. 10. *Misit*, scil. (coll. Marc. 6, 27.) satellitem (carnificem). Vulgata vocem σπεκουλάτωρ reddit per: spiculator, quae vox derivatur a spiculo, quod gestabant milites. Alii reddunt per: speculator (voce a speculando deducta), ita ut denotet, satellitem regium, quales attendere debebant, ne

fiant insidiae regi, quem stipabant. Hi autem satellites inter alia etiam debebant supplicia sumere a reis et capitis damnatis eosque decollare.¹⁾

V. 11. *Et allatum est caput ejus in disco.* Joannes Bapt. (coll. 11, 1.) in vinculis tenebatur Machaerunte. Quum haec arx diei spatio distaret a Tiberiade, sede Antipae, recte per multi interpretes putant, diem Herodis natalem, quia puella postulavit, ut statim, in ipsis natalitiis, daretur ei caput Joannis, non Tiberiade, sed Machaerunte fuisse celebratum.

V. 12. *Discipuli ejus, i. e. Joannis.* — *Nunciaverunt*, quid evenerit, nimirum Joannem decollatum esse et Antipam ob miracula a Christo patrata putare, Joannem a mortuis esse suscitatum.

3. Turbae miraculosa cibatio (13—21.).

(Marc. 6, 30—44. Luc. 9, 10—17. Joan. 6, 1—14.)

V. 13. *Quum audisset Jesus*, nimirum Joannem esse decollatum et Antipam putare, Joannem esse a mortuis suscitatum. Redit hisce evangelista ad narrationem abruptam jam inde a v. 3. Nexus arctus, in quo verbum: *audisset* positum est cum antecedenti: *nunciaverunt*, docet, necem Joannis contigisse brevi ante illam Herodis opinionem, factam versu 2. — *Secessit*, non metu, sed quia nondum venerat hora ejus (Joan. 8, 20.). — *Inde*, ab illo loco, in quo tum temporis versabatur (coll. v. 13.). — *In locum desertum*, qui teste Luca (9, 10.) erat in vicinia Bethsaidae, Julias dictae. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 6, 1. — *Seorsum*, relictis Apostolis. — *Pedestres*, ac si graece esset πεζοί, quum tamen est: πεζῶν adverbialiter: pedestri itinere. — *De civitatibus*, Galilaeae scil. egressae.

V. 14. *Exiens*, e loco secreto deserti Bethsaidae (coll. v. 13.). — *Languidos*, infirmos, quos secum ducebant. Sic aliorum curam et commoda praefert suae quieti et orationi!

V. 15. *Vespere facto.* Hic loci est intelligenda prima vespera (cf. 8, 16.). — *Desertus*, remotus ab hominum consuetudine. — *Hora*, diei tempus, solis ortu et occasu circumscriptum.

¹⁾ Kuin. in Marc. 6, 27.

V. 16. *Non habent necesse ire.* Verbis his voluit in discipulis fidem firmam excitare, se posse populum cibare.

V. 17—21. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 6, 2—15.

4. **Christus mare inambulans** (22—33.).

(Marc. 6, 45—53. Joan. 6, 16—21.)

V. 22. *Statim compulit Jesus discipulos praecedere eum trans fretum*, i. e. in ulteriorem ripam lacus Tiberiadis; partim quia praecavere voluit, ne conspirarent cum turbis cogitantibus de ipso in regem tollendo et salutando (coll. Joan. 6, 15.); partim ut solus ipse citius et expeditius turbas posset dimittere (Franc. Luc.).

V. 23. *In montem*, qui erat in deserto, in vicinia Bethsaidae (Julias). — *Vespere facto*, h. l. significatur secunda vespera. — *Ibi*, in illo, quem ascenderat, monte.

V. 24. 25. *In medio mari*, una hora a litore distans. — *Quarta vigilia*. Hebraei inde ab antiquissimis temporibus noctem in tres aequales partes, quarum quaevis quatuor horas habebat, diviserunt; a Pompejo subacti morem Romanorum secuti, in quatuor vigiliis (Marc. 13, 35.), quarum quaevis tres horas comprehendebat, dispescuerunt. Sic prima vigilia erat ab hora 6—9; secunda a 9—12; tertia a 12—3; et quarta a 3—6. matutinam. Christus igitur mane inter tertiam et sextam horam ivit ad discipulos. — *Venit*, e monte. — *Ambulans super mare*, incedens per virtutem divinam super mare, seu in superficie lacus.

V. 26. 27. *Turbati sunt*, metu perturbati sunt. — *Phantasma est*, i. e. spectrum; spectrum enim est, quicquid corporea forma apparet, quod corpus non est. — *Ego sum*, cujus vocem nostis.

V. 28. Verbis his ostendit Petrus summum erga Christum amorem, quum desideraret, cito esse apud Dominum, sicut et fidem suam, quia credebatur, non tantummodo Christum super mare ambulare, sed etiam id aliis posse concedere (Chrys., Hieron.).

V. 29. 30. *Ambulabat*, quia potentiae Christi confidebat. — *Videns ventum validum*, quia effectum ejus, mare commo-

tum, videbat. — *Coepisset mergi*, quia vacillabat ejus in Jesum fiducia. — *Clamavit*; hocce iterum ostendit suam in Christum fiduciam.

V. 31. *Modicae fidei*, tu, qui parum fidei in me ponis. Magna quidem et singularis erat fides Petri (coll. v. 28.), sed dicitur modica (exigua) solummodo respectu defectus, qui tunc aderat, quum vehementem ventum conspiciens, metueret mergi, quod ei ob Christi vocem (v. 29.) timendum non erat (cf. Mald.). Quamdiu Petrus Christum solum habebat prae oculis, atque in illum fide respiciebat, sine ullo periculo ambulabat super aquas; quum autem dimotis paulisper oculis a Jesu coepisset circumspicere ventorum vehementiam et aquarum tumultum, coepit mergi (Knabenbauer).

V. 32. *Et quum ascendissent*, nimirum Jesus et Petrus. — *Cessavit ventus*, sedata est venti tempestas, et ut Joannes (6, 21.) addit, statim appulerunt ad terram. Vid. comment in h. l.

V. 33. *Qui in navicula erant*, i. e. Apostoli aliique, qui in navicula erant unacum nautis. — *Filius Dei es*. Alii censent, verbis: Filius Dei, solum declarari Jesum esse Messiam; alii vero rectius statuunt, eos verbis his Jesum professos esse verum Deum, de cujus natura divina satis habuerunt indiciorum, in miraculis, in modo ea patrandi, in remissione peccatorum, in eo, quod diceret se Dominum sabbati etc. Ad hanc fidem praesentes adegit tum Christi super undas ingressus, tum Petri salvatio tempestatisque sedatio.

V. 34. *In terram Genesar*, apud Marcum (6, 53.) Genezareth; erat amoenissima et fertilissima Galilaeae inferioris regio, quae ad ripam lacus Tiberiadis occidentalem jacebat.

V. 35. 36. *Viri*, cives. — *Miserunt*, nuncios. — *Rogabant*, scil. aegroti ipsi. — *Ut vel fimbriam . . . tangerent*; docet petitio haec piam humilitatem. De part. *vix* (ut) loco infinitivi cf. 4, 3. Vid. dicta 9, 20.

Caput XV.

1. Christus castigat hypocrisin pharisaeorum (v. 1—20.).

(Marc. 7, 1—23.)

V. 1. *Tunc*, quum in regione Genesarethica versaretur. — *Ab Jerosolymis*. Si legitur cum Lachmanno: ἀπὸ Ἱεροσ., verba haec pertinent ad verbum *accesserunt* (ἔρχονται), ut scil. Christum observarent; si vero legitur ante ἀπὸ articulus οἱ (cum Tischend.) sensus est; qui ab Hierosolyma venerant et ceteris nequiores erant. Ex Joanne (7, 1.) scimus, Judaeos tunc temporis vitae Jesu insidias struxisse.

V. 2. *Traditionem*. Per hanc intelligenda sunt mandata, interpretationes et dogmata legisperitorum, non contenta in s. scriptura, quae dicuntur traditio majorum (Hebr. 11, 2.), ut tanquam ex antiquitate (a majoribus) accepta honorantur. — *Seniorum*. (πρεσβυτέρων). Seniores h. l. sunt majores, qui apud antiquos literis morumque sanctimonia flourerint. — *Non enim lavant manus*. Ad talia legisperitorum dogmata pertinet etiam doctrina, ne quis illotis manibus cibum sumeret. — *Quum panem manducant*: i. e. cibum sumunt (est hebraismus). S. Marcus (7, 4.) refert, quatenam lotiones solerter observatae fuerint a pharisaeis et Judaeis, nimirum manuum, poculorum, urceorum (nimirum ligneorum, quia testacea vasa, si immunda facta erant, frangebantur) lectorumque triclinarium ac cubicularium (quae immunda fiebant, quotiescunque legaliter immundi in eis jacebant, vel sedebant). Mandatum de lavandis ante cibum capiendum manibus datum erat a veteribus, ut gens ad lepram proclivis, ab hoc malo, quod per immunditiam multum promovetur, quantum fieri posset, incolumis praestaretur.¹⁾

V. 3. Sensus est: Discipuli mei utique traditiones vestras migrant; sed vos ipsi propter dogmata, a vobis confecta, violatis mandata divina.

¹⁾ Cf. Kuinoel.

V. 4. Nunc probat, quomodo illi mandatis suis humanis divina negligant. — *Honora* (τιμά), reverere et inopiam parentum leva. Honor h. l., uti alibi nonnunquam in s. scriptura (1 Tim. 5, 3.) non tantum reverentiam, sed et opem, reverentiam opere exhibitam denotat. Habetur praeceptum hoc Exod. 20, 12. Deut. 5. 16. — *Maledixerit*, contempserit et inopiam parentum levare recusaverit. Verbum κακολογεῖν, quod proprie notat: diris devovere, maledicere, h. l., quum opponitur verbo τιμάω, denotat contemnere et inopiam parentum levare recusare. — *Morte moriatur*, irrevocabiliter morte plectatur, violenta morte perito. Vox addita: morte significationem verbi intensivam reddit. Haec desumpta sunt ex Exodo (21, 17.) et Levit. (20, 19.).

V. 5. Vos, scil. legis doctores et pharisaei. — *Dicitis*, traditionem majorum secuti. — *Patri vel matri*, auxilium a se petenti. — *Munus*, δῶρον, apud Marcum (7, 11.) Korban quod est donum templo devotum, datum. Ad vocem hanc vel potest addi ἐστίν (est), vel ἔστω (esto); si prius fit, donum jam datum sistitur; si posterius, significatur, id fieri eo temporis momento, quo parentes auxilium petunt. Prior explicatio, utpote simplicior, praeferenda est. Vulgata (et Erasmus eam secutus) non adjicit verbum: est; sed connectit vocem munus (δῶρον) cum verbo ὠφεληθήσῃς, hoc sensu juxta Maldonatum: »Munus, quodcumque ex me proficiscetur (i. e. quodcumque obtulero Deo), tibi proderit (perinde ac si tibi dedissem); praestat ergo Deo offerre, quam tibi dare.« Sed explicationi huic obstat conjunctivus ὠφεληθήσῃς, qui a particula ἐάν pendet. — Alii iterum statuunt, hic adesse aposiopesis, et tanquam apodosin supplent vel: is liber est a praecepto divino, quod parentes sublevare jubet; alii (Schegg): is non morietur; alii (Jans.) culpa caret. Qui igitur h. l. aposiopesis statuunt, verba sequentia: *et non honorificabit*, iterum sumunt ut verba Christi hoc sensu: et ille (qui nimirum patri vel matri sic responderit) patrem suum matremve suam certe non colet. — Alii putant, verba: *et non honorificabit* etc. pertinere ad pharisaeorum placitum, ex traditione repetitum, hoc sensu: Quicumque dixerit . . . neque coluerit (honorificaverit) patrem matremve, non est poenae obnoxius. Simplicissima videtur explicatio eorum ¹⁾

¹⁾ Grot., Bengel, Bisp., Schanz, Knabenbauer.

qui, esse in hoc loco aposiopesin negantes, dicunt, verba: „*et non honorificabit patrem aut matrem*“, continere apodosin, hoc sensu: Quicumque dixerit patri vel matri... is etiam (xai) non opus habet, ut in ejusmodi conditione parentes suos colat; seu (juxta Patrit. in Marc. 7, 11.): et ultra opus non est, eum quidquam facere patri suo aut matri. Apud Judaeos videlicet, quodcumque Deo dicatum erat, extra hominum potestatem et commercium esse credebatur. Sensus totius est: Vos legisperiti et pharisaei, vestra freti traditione docetis, quemcumque a lege de sublevandis parentibus egenis liberum esse, si ea, quibus parentibus succurrere posset, templo devoverat.

V. 7. *Hypocritae*. Nominat Jesus pharisaeos hic simulators, quia accuratissimam simulabant legis Mos. observationem, quam revera, ut exemplum v. 5. et 6. propositum ostendit, saepissime migrabant. — *Bene*, recte, vere. — *Prophe-tavit*, vaticinatus est (29, 13.). Quod nimirum Jesaias de Judaeis sui aevi dixerat, simul est vaticinium de posteris illorum hominum, de Judaeis, qui vixerint aetate Christi, quum totam illorum hominum indolem referant.

V. 8. *Populus hic*, homines isti. Sunt verba indignantis; nam non dicit Deus per prophetam: populus meus, sed: hic (iste), quasi non amplius ad eum pertineret. — *Labiis*, verbis (externe). — *Cor eorum longe est a me*, animus eorum alienus est a me. Ergo omnis eorum cultus consistit in vanis ritibus et ceremoniis externis, factus est simulatio; omnis eorum pietas constat in praeceptis mere humanis.

V. 9. *Sine causa*, graece μάτην; μάτην dicitur fieri tam id quod sine fundamento, ratione sufficiente (temere) fit, quam id, quod fit sine fructu (frustra, in vanum). Hic altera notio valet, ita ut sensus sit: nullum venerationis (pietatis), qua me prosequuntur, fructum percipiunt; seu: nil prodest eis veneratio, qua me prosequuntur. Sed voci graecae apud Matthaeum nullum respondet vocabulum in textu hebraeo; nam hodierna hebraica Jesaias exemplaria habent: *et fuit timor eorum erga me* (i. e. cultus eorum ac religio). Septuaginta autem interpretes habent: μάτην δὲ (in vanum autem) timor eorum. Legebant ergo 70 pro וְהָיָה (et fuit): וְהָיָה (et in vanum), quam lectionem etiam Christus adoptaverat, ni dicamus, lec-

tionem 70 jam tunc ut communem in exemplaribus hebraicis fuisse.¹⁾ — *Docentes doctrinas*, quippe qui doceant doctrinas. — *Et mandata hominum*, nimirum praecepta hominum, seu: quae sunt praecepta hominum. Verba haec sunt appositio ad vocem: doctrinas, quare particula et (καὶ) h. l. est explicativa. Sunt autem praecepta hominum, uti apud Jesaiam statuta et placita, quae originem suam habent in hominibus, et non sunt divinitus tradita, aut ullo modo probata.

V. 10. Relictis pharisaeis et legisperitis incorrigibilibus docet plebem, pronam ad doctrinam ejus percipiendam, veram munditiam ac immunditiam. — *Audite et intelligite*; admonet his verbis, ut attentis sint ad ea, quae dicturus erat eaque perpendant.

V. 11. *Quod intrat in os*, cibus et potus, etiam illotis manibus sumptus. — *Coinquinat*, impurum (moraliter) reddit coram Deo, quia natura sua bonus est. — „*Omnis enim creatura Dei bona est*“ (1 Tim. 4, 4.). — *Quod procedit ex ore*, mali sermones, consilia etc., uti v. 19. docet. — *Hoc*, et non aliud. Verbum κοινῶν notat proprie: communem reddo: dein e Judaeorum levitismo: profanum, impurum reddo; h. l. de morali impuritate intelligendum est. Dum Jesus externam, leviticam munditiam et immunditiam, qualis in V. T. respectu ciborum praescripta erat, extollit ad munditiam ac immunditiam internam (moralem), etiam hac ex parte perfecit legem V. T. (cf. 5, 18.). Praecepti V. T., nimirum abstinendi a certis cibis, certasque res non tangendi, non erat haec causa, ac si, uti postea Manichaei docebant, cibi illi illaeque res natura sua malae fuissent; potius finis praecepti illius erat moralis, partim ut populus Israël semper conscius esset, voluntatem humanam subjiciendam esse voluntati divinae, Deo creatori a creatura semper esse exhibendam obedientiam; partim ut praecepta illa essent sepe quaedam, qua Israëlitae a gentilibus, quibus cincti erant, separarentur et ab idololatria detinerentur. Quum autem in Christo summum obedientiae exemplum exhibitum esset atque ipse fundasset ecclesiam, in quam omnes populi

¹⁾ Cf. Schegg, Patrit. in Marc. 7 7.

recipiendi essent, utique praecepta V. T. ad cibos spectantia, sponte cessare debebant (cf. Act. 10, 10. Ephes. 2, 14.).¹⁾

V. 12. *Audito hoc verbo*, propter dictum illud ad populum (v. 11.). — *Scandalizati sunt*, offensi sunt, quia, uti s. Chrysostomus indicat, videbatur Christus contra ciborum delectum, lege praescriptum, loqui, legemque ipsam abrogare.

V. 13. *Omnis plantatio*, quaevis secta. Nonnulli per plantationem intelligunt doctrinam pharisaeorum; alii pharisaeorum sectam; alii utrumque. Sed praeferenda est explicatio eorum, qui per istam vocem intelligunt sectam pharisaeorum, quos postea caecos et duces caecorum vocat (Mald.). Ceterum imago de plantatione sumpta Judaeis erat nota; nam in A. T. populus Israël saepe nominatur vinea Domini electa, germen plantationis novae (Jes. 5, 7; 60, 21.) — *Plantavit*, fundavit. — *Eradicabitur*, certissimum est, eam eradicatum iri, quo significatur, pharisaeos, utpote ineptos ad regnum Dei, excludendos esse et in ignem aeternum mittendos.

V. 14. *Sinite illos*, nolite curare eorum offensionem. — *Caeci sunt et duces caecorum*, nam tum ipsi pharisaei caeci sunt, quia nolunt videre lumen veritatis aeternae a me exhibitae, et tamen non obstante sua caecitate in superbia sua volunt esse duces populi, quem suis doctrinis, traditionibus, inimicitii in me et calumniis obcaecant. Vox caecus est hic tropice sumenda. — *In foveam*, quae aquis colligendis inservit; h. l. imago gehennae, damnationis aeternae. — *Cadunt*, certissime cadent (in graeco est futurum).

V. 15. *Edissere*, expone, explica. — *Parabolam*, gnomam seu sententiose dictum. Vid. 13, 3. — *Istam*, v. 11. contentam.

V. 16. *Adhuc et vos*, adhuc post tantum temporis etiam vos Apostoli, qui majorem intelligentiam habere deberetis. Vox ἀχρηστία in seriore graecitate est idem, quod ἐτι adhuc; hic emphatice anteposita est. — *Sine intellectu estis*, mentem meam non capitis, uti ceteri.

V. 17. *Quod intrat in os*, quod comeditur et bibitur. S. Marcus (7, 19.) adhuc habet: *non intrat in cor* (animum) ejus.

¹⁾ Cf. Bisp.

— *In ventrem vadit*, sed in ventriculum abit. — *Et in secessum emittitur*, et dein in secessum (latrinam) egeritur, qua re ciborum impuritas removetur, omnes cibi puri efficiuntur. Sic versu hoc probat primam partem v. 11. Utitur h. l. Christus populari loquendi ratione. — Ceterum ad praecavendum abusum hujus effati Christi notandum est, eum haec opponere pharisaeis, qui credebant, ita immunda esse quaedam, ut per se animum polluerent. Id negat Christus, asserens, cibum potumque per se non coinquinare hominem. Inde jam intelligitur, sententia ista non negari, culpam contrahi ab illo homine, qui vel immodice fruitur cibis, vel a legitima auctoritate prohibitis. Talis omnino contrahit culpam, non quidem ob cibi indolem, non ob id, quod in os intrat; sed ob id, quod in ejus animo est et ex animo prodit, nempe ob immodicum cibi desiderium, aut ob inobedientiam erga legitimam auctoritatem (a Lap. in v. 11.).

V. 18. 19. Nunc probat alteram partem v. 11. (*sed quod procedit ex ore*). — *De corde*, ex animo, mente. — *Cogitationes malae*. Nominat has primo loco, quia in illis malefactorum fons et origo est; ex iis oriuntur reliqua peccata, ut homicidia, adulteria etc. Hae cogitationes pravae ore exire dicuntur, quia in verba et facta abeunt. Numerus pluralis, homicidia, adulteria etc. indicat singulos actus homicidii, adulterii etc.

2. Mulier Chananaea (21—28.).

(Marc. 7, 24—30.).

V. 21. *Et egressus inde*, e regione Genesarethica. — *Secessit*, ideo, ut continuas pharisaeorum aggressiones ad aliquod tempus evitando, cum discipulis suis seorsim conversari eosque edocere posset. — *In partes* (εἰς τὰ μέρη); nonnulli (ob locum Marc. 7, 31.): in regiones (terram) Tyri et Sidonis; alii: in confinia, i. e. in regiones ditioni Tyriorum et Sidoniorum finitimas (coll. v. 22.). Quum apud Marcum (7, 31.) lectio: ἤλθεν διὰ Σιδῶνος ob codd. BDL. tenenda sit, prior explicatio praeferri meretur.

V. 22. *Et, antequam fines Palaestinae transierat. — Ecce mulier Chananaea*, i. e. Phoenicia; Judaei enim Phoenices dicebant Chananaeos, quia illi e Chananaeis orti sunt. S. Marcus (7, 26.) mulierem vocat feminam gentilem (γυνή ἑλληνίς mulier graeca) eo sensu, quo s. Paulus, quia lingua graeca per omnes gentes maxime esset communis, parte (graecus) posita pro toto, omnes ethnicos ἑλληνες dicit. Dein eam nominat Syrophoenissam, quia Phoenicia haec, unde haec mulier erat, Syriae erat contermina, ut distingueretur a Libyophoenicia in Africa (Puni, Poeni = Phoenices). — *Clamavit*. Magna vox magni affectus et desiderii index. — *Miserere mei*, i. e. filiae meae. Miseriam filiae, quam ut se amabat, suam fecit, ut Christum magis moveat. — *Fili David*, Messia (cf. 9, 27.). Poterat ex fama communi cognoscere, Jesum esse promissum Salvatorem; poterat ei et ipse Deus hoc suggerere.

V. 23. *Non respondit ei*, partim ut mulieri occasionem suppeditaret, fidem suam propalam profitendi; partim ut illam in fide roboraret eique necessitatem perseverantiae in oratione ostenderet. — *Dimitte eam*, ei nimirum concedendo, quod petit (filiae a daemone liberationem). Juxta Marcum (7, 24. seq.) hoc domi factum esse videtur, juxta Matthaeum foris. Enantio-phania evanescit, si cum s. Augustino statuatur, mulierem Christum prius domi quaesivisse et obsecrasse, et quum ei ibi respondere nollit, ipsum e domo egressum secutam esse atque a tergo clamasse.

V. 24. *Respondens*, scil. Apostolis, sed simul etiam mulieri, — *Non sum missus, nisi ad oves* etc. Vid. 10, 6.

V. 26. Hoc addit ad probandam humilitatem, quia jam constabat satis de fide, ostendens excellentiam Judaeorum ad gentes (s. Thom.). — *Non est bonum*, non decet (οὐκ ἔστιν uti in cod. D. legitur). — *Sumere panem filiorum*, panem liberis destinatum. — *Et mittere canibus*, graece: κυναίοις catellis. Locutio haec est proverbialis et denotat: Non decet (me, patremfamilias) beneficia subtrahere Israëlitis (Dei filiis, Dei populo), eademque exhibere gentili feminae. Ne mulierem fide ardentem offenderet, proverbium illud paululum mutat Jesus, pro canibus (κυσίν), qua voce Judaei ethnicos propter idololatriam et immunditiam compellare solebant, dicens: catellis,

(in forma diminutiva); et ne fidem mulieris everteret, praemittit juxta Marcum (7, 27.): *Sine prius saturari filios.* — Filii seu liberi sunt Judaei, catelli sunt ethnici, panis sunt beneficia gratiae et veritatis Christi, paterfamilias est Christus.

V. 27. Nonnulli interpretes (Fritsch.) verba haec sumunt ut corrigentis (refellentis) verba Christi, hoc sensu: Profecto, Domine, catello, qui sum, cibum impertire illo modo licet; nam etiam catelli etc. Stante hac explicatione esse deberet *οὐ*, non autem *οὐκ*. Alii¹⁾ verba haec sumunt ut confirmantis verba Christi (v. 26.), hoc sensu: Recte, Domine dixisti; nam non solum liberi comedunt de pane, sed etiam catelli comedunt de frustulis, quae e mensa dominorum suorum decidunt. Alii, etiam verba haec ut affirmantis sumentes, hunc sensum statuunt: Utique (*οὐκ*) Domine; quia catelli comedunt non de pane, sed de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum — ita etiam (*καὶ*) catelli aliquid accipiunt.²⁾ Quibus verbis mulier Christo conclusionem faciendam relinquit, quod nimirum ei liceat, sine liberorum detrimento frustulum benigne ipsi concedere. Nam prae tanta beneficiorum et gratiarum abundantia in liberos (Judaeos) effusa, est id, quod ab eo petit, mica, hinc sine detrimento liberorum potest ei concedere. Ita est *οὐκ* part. affirmantis et concedentis; *καὶ γάρ* autem: nam etiam. Falsum est sumere *οὐκ* significatu: obsecro, quaeso, et *καὶ γάρ* = *ἀλλὰ*.

V. 28. *Magna est fides*, quum repulsam passa non destitit, sed fortius institit, atque ex ejus verbis Christo persuasit, ipsum opem ei ferre posse. Ceterum mulier haec nobis praebet exemplum, quomodo sit nobis in precibus ad Deum fundendis agendum (cf. a Lap.).

3. Curationes in Decapoli (29 — 31.).

V. 29. *Et quum transisset inde.* Iter hoc Christi accuratius describit s. Marcus (7, 31.). Jesus scil. e finibus Tyri profectus est septemtrionem versus per regionem Sidonis; tum ad orientem conversus ad radices Libani, Jordanem transivit circa vel supra illius fontem et ad meridiem rediit per mediam De-

¹⁾ Theophyl., Euthym., Meyer., Bisp., Arnoldi.

²⁾ Conf. Knabenbauer.

capolim ad lacum Genesareth. Miraculosa cibatio, mox narranda, gesta est trans mare Tiberiadis ad Orientem (Calm.). — *Ad mare Galilaeae*; juxta Marcum in mediam regionem Decapoleos. — *In montem*, qui ibi erat; partim quietis causa; partim ut populum ad ipsum adventantem in conspectu suo haberet; partim ut docens commodius audiretur.

V. 30. *Debiles* (καλλοὺς); alii: mancos, mutilatos; alii rectius: contractos. — *Et alios multos*, et multos, qui aliis, quam iis, qui modo memorati sunt, morbis laborabant. — *Projecerunt* (ἐρρίψαν), deportaverunt, deposuerunt, nil amplius curantes, quum non dubitarent, quin sanare eos posset. Hocce magnam manifestabant fiduciam in Jesum. Alii in verbo: projecerunt designatam esse putant festinationem seu celeritatem, qua homines sani aegrotos Christo obtulissent. Hocce manifestassent magnam charitatem, qui aegrotos deportabant, quia ideo festinabant, ut alios adhuc possent Christo offerre.

V. 31. Vid. 11, 5. — *Magnificabant*, celebrabant, quia ipsam talem Messiam miserat, qui tot miracula patrabat, et beneficia conferebat. — *Deum Israël*. Regio enim Decapolitana praeprimis a gentilibus inhabitata erat.

4. Altera turbae cibatio miraculosa (32 — 39.).

(Marc. 8, 1—10.).

V. 32. *Quia triduo jam*. Verba ἤδη ἡμέραι τρεῖς, scil. εἰσὶν (quae lectio ob testes antiquissimos praeferenda est lectioni: ἡμέρας τρεῖς) reliquae orationi interposita sunt, ut saepe apud veteres fit in temporum notationibus.¹⁾ — *Jejunos*, i. e. quin manducarint.

V. 33 — 38. Vid. dicta 14, 15 — 21. — Saturatio haec ab illa prius (14, 15. seq.) narrata, diversa est; nam plures circumstantiae diversae in utraque occurrunt. Prius 5000 hominum, 5 panes, 2 pisces et 12 cophini; hic vero 4000 manducantium, 7 panes, pauci pisciculi et 7 cophini commemorantur. Dein ipse Christus ad hanc duplicem cibationem provocat (Matth. 16, 9. 10.).

¹⁾ Cf. Beelen gram. p. 518.

V. 39. *Venit in fines*, in regionem. Nam *ὅρια* non tantum fines, terminos, significat, sed et ipsam regionem. — *Magedan*. Textus graecus recept. habet: *Μαγδαλά*; ob codices B. D. et versiones nonnullas Tischendorf tenet lectionem *Μαγαδάν*. Verosimiliter est unus idemque locus, quum literae *n* et *l* facile permutentur. Erat autem oppidum *Magedan* seu *Magdala*, a quo ipsa regio nomen accepit, situm in litore lacus Genesareth occidentali ad septemtrionem urbis Tiberiadis, ubi fors est hodiernus vicus *Medschdel*. S. Marcus (8, 10.) dicit, Christum venisse in partes (regionem) *Dalmanutha*; sed non est ideo pugna inter utrumque evangelistam; *Dalmanutha* procul dubio erat vicus ejusdem regionis, ita ut s. Marcus distinctius locum, quo Jesus advenerat, designet.¹⁾

Caput XVI.

1. Pharisei et Sadducae signum postulant (v. 1—5.).

(Marc. 8, 11—12.).

V. 1. *Et accesserunt ad eum pharisei et Sadducae*. Quod hic invenimus, ut duae sectae, sibi infensissimae, ad Christum impugnandum convenerint, id ipsum repetitur semper ab adversariis ecclesiae Christi, ut ii, quamvis sibi mutuo infesti, junctis viribus communem adversarium, ecclesiam, aggrediantur. Nam, uti Tertullianus dicit, semper Christus inter duos latrones crucifigitur. — *Tentantes*, quia malo animo signum postulabant, sperantes, fore ut ipsis, si signum non faceret, occasio fieret, Jesum in angustias compulsus irridendi et publico contemptui exponendi. — *Signum de coelo ostenderet eis*; vid. 12, 38.

V. 2. 3. *Ait illis*. S. Marcus (8, 12.) addit: *et ingemuit spiritu suo*, nimirum dolens et indignatus ob eorum malitiam et caecitatem (pertinaciam). — *Facto vespere*. Quia postulabant signum de coelo, Christus argumentationem suam incipit a

¹⁾ Cf. a Lap., Kirchenlexicon von Wetzer und Welte, Reischl.

signis (naturalibus) physicis in coelo. — *Serenum erit* (εὐδία ἔσται), nimirum coelum. Vox εὐδία (ex εὖ et Ζεύς genit. Διός Jupiter; rex aëris et coeli) denotat serenitatem coeli, coelum serenum. — *Rubicundum est* (πυρρᾶζει rubet, solum hic legitur). — *Coelum*, aër, nubes. — *Tempestas*, nimirum pluviosa et impetuosa erit. — *Triste*, i. e. nubibus tectum; στρυγγίζω tristis sum, methaphorice de coelo nubibus tecto.

V. 4. *Faciem*, externam formam, speciem. — *Signa temporum* sunt signa, quae tempora habent, rerum futurarum indicia (seu quae tempora portendunt). Signa talia autem erant oracula prophetarum, quae adventu Christi hoc tempore magis magisque jam implebantur (ablatio sceptri Judaici, impletio hebdomadarum Danielis, nativitas Bethlehemi, infanticidium Bethlehemiticum); porro miracula, quae per singulos dies patrabat Christus, doctrina ejus salutifera, quam populus cum gaudio audivit et admiratus est, saepe usque ad summum stuporem (7, 28.). Argumentatio ergo Christi (a minori ad majus) v. 2—4. haec est: Si ex signis coeli, o pharisaei, nostis judicare futuram serenitatem vel tempestatem, pluviarum aut ventorum; ergo multo magis, vos, qui estis custodes et duces in Israël, ex oraculis prophetarum, quae nunc implentur, ex meis miraculis et ex omnibus his, quae nunc temporis fiunt, potestis et debetis agnoscere, me esse Messiam (Hilar., Hier.). Sed pharisaei et Sadducei in sua malitia occludebant oculos suos coram illis signis; quare superflue quaerunt signum e coelo. — *Generatio mala et adultera*; vid. 12, 39. — *Relictis illis*; noluit amplius malignis illis uti; fors etiam evitare voluit insidias, quas ei structuri erant. — *Abiit*, scil. in orientalem partem lacus Genesareth, Bethsaidam.

V. 5. *Trans fretum*, in regionem orientalem. — *Obliiti sunt panes accipere*, scil. in iter persequendum, verosimiliter ex eo, quod Christus celeriter et inexpectato jusserit transfretare.

2. Hortatur Christus discipulos, ut a fermento pharisaeorum caveant (6—12.).

(Marc. 8, 13—22.).

V. 6. *Intuemini et cavete*, attendite et cavete, seu diligenter cavete vobis. Verba haec fere idem significantia saepe con-

jungit Christus, ut vis sententiae augeatur. — *A fermento*, a doctrina pharisaeorum et Sadducaeorum (juxta Marc. 8, 15. Herodis Antipae, quia ejusdem generis erant hujus principia ut principia Sadducaeorum) pestifera, a principiis eorum perversis (v. 12.). Cf. 13, 33. Nec repugnat huic loco, quod infra (23, 3.) docet facere, quaecunque dicant. Illic enim loquitur de legisperitis et pharisaeis, quatenus ut legitimi successores Mosis legem divinam et traditionem non ab hominibus inventam docent; hic autem de eorum doctrinis perversis, non divinitus acceptis, doctrinae suae et Dei contrariis.

V. 7. *Cogitabant intra se*, secum reputabant, quod (coll. Marc. 8, 16.) alter alteri dicebat. — *Panes non accepimus*, scil. nobiscum. Nunc est supplendum: hoc dicit. Sunt verba anxie sollicitorum. Putabant nimirum Apostoli, verba Christi (v. 6.) proprie accipientes, Christum propterea ipsis dixisse, a fermento pharisaeorum et Sadducaeorum esse cavendum, quod panes secum ferre oblitii essent, suaque admonitione Christum velle praecavere, ne forte panes a pharisaeis vel Sadducaeis emerent, iisque vescendis se inquinarent.

V. 8. *Quid cogitatis intra vos*, quid disceptatis inter vos. — *Modicae fidei*, quasi ergo de iis vobis nequeam aut nolim providere (cf. 15, 32.). Sunt verba increpantis eorum anxietatem habendi cibi, quum ipsum haberent secum, qui nuperrime tam illustria divinae providentiae exhibuerat miracula.

V. 9. 10. *Nondum intelligitis*, ne nunc quidem, postquam bis prodigioso modo homines saturavi, didicistis et scitis, quid ipse possim, et quid sibi velint sermones mei? — *Neque recordamini quinque panum . . . neque septem panum . . .*, num nulla vobis memoria est prius gestorum meorum, nimirum binae illius saturationis miraculosae?

V. 11. Repetit Jesus exprobrationem v. 9. notatam.

3. Petri testimonium de Christo, promissio Primatus (13—20.).

(Marc. 8, 27—30. Luc. 9, 18—21.)

V. 13. *Venit*, postquam venerat. — *In partes*, in loca, quae urbi Caesareae Philippi vicina erant. Caesarea Philippi erat in Gaulonitide ad radices Libani prope Jordanis

fontes sita, prius Paneas vocata, per Philippum tetrarcham ampliata et exornata, atque in honorem Caesaris Tiberii Caesarea est appellata. Ad nomen hoc additum est nomen Philippi, ut distingueretur a Caesarea, quae in Palaestina juxta mare mediterraneum sita erat. — *Interrogabat discipulos suos.* Marcus (8, 27.) scribit, hoc in via accidissee; Lucas (9, 18.), cum solus esset orans. Respondet s. Augustinus (lib. 2. de cons. evang.) in ipsa via, antequam ad locum, quo tendebat (i. e. Caesaream), perveniret, solum in aliquem ad orandum locum a via divertisse; finita autem oratione coepisse pergere, atque tunc discipulos interrogasse, quem se homines esse dicerent (Mald.). Nec porro interrogabat, ut resciret, quid homines de ipso judicent (cf. Joan. 2, 25.); sed ut Apostolis, et in specie Petro occasionem praeberet, suam de eo persuasionem profitendi (v. 16.), et ut ipse Petro, ad quem honorem excellentem destinatus sit, annunciare posset. — *Quem dicunt homines, esse Filium hominis,* quem dicunt homines me esse, qui me Filium hominis (i. e. Messiam) nuncupo (8, 20.). Nonnulli codices post: quem (τινι) legunt me (μέ), quod tamen pronomen ex Marco et Luca illatum est.

V. 14. *Joannem Baptistam*, a mortuis excitatum (coll. 14, 2.). — *Eliam.* Vid. commentar. in evang. s. Joan. 1. 21. — *Jeremiam*, qui in sacra scriptura (2 Macc. 15, 14.) tanquam singularis Israëlitarum sistitur protector et circa tempus Messianum iterum appariturus credebatur, ut locum arcae Foederis indicaret (2 Macc. 2, 5—8.). — *Aut unum ex prophetis*, scil. prioribus V. Testamenti. Haec ultima opinio innitebatur verosimiliter loco Deuteron. (18, 15.), ubi Moses dicit: *prophetam sicut me suscitabit tibi Dominus.* Vid. commentar. in evang. s. Joan. 1, 21.

V. 15. *Vos autem*, nimirum Apostoli, qui, quum meliorem me cognoscendi occasionem haberetis, utpote mecum semper versantes, rectius de me judicare potestis.

V. 16. *Respondens Petrus.* Christus omnes Apostolos interrogabat, solus vero Petrus pro se et omnium nomine, respondit, quia per divinam gratiam illustratus, primus omnium clare cognoscebat Jesu dignitatem, fidei ardentissimae erat (Hier.), et os Apostolorum, princeps Apostolorum et ecclesiae (Chrys.).

— *Tu es Christus*, (ὁ Χριστός), tu es ille a Deo ante tot saecula in V. T. promissus Messias, ille per Spiritum s. unctus propheta, sacerdos et rex. — *Filius Dei*, (ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ), i. e. unicus, verus, naturalis, (non adoptivus, uti sancti viri et prophetae), Filius Dei, ergo divinae substantiae, Patri consubstantialis, Deus et homo in una persona (cf. a Lap.). — *Vivi*, illius, qui semper est et semper operatur, qui omnia creavit omnibusque rebus a se creatis suam vim et vigorem, ac viventibus animam et vitam inspirat (a Lap.).

V. 17. *Beatus es*, scil. praedicandus. *Simon Bar-Jona* Simon filius Jonae (Joannis). Nam Bar Chaldaeis est filius. Vid. comment. in evang. s. Joan. 1, 42. — *Caro et sanguis non revelavit tibi*. Quum verba caro et sanguis in variis s. scripturae locis (Gal. 1, 16. Eph. 6, 12. Hebr. 2, 14.) sint periphrasis hominis, quae simul infirmitatis et fragilitatis inclusam continet notionem, alii verba haec explicant: non homo quisquam infirmus et corruptibilis hoc te docuit. Alii (Bisp., Reischl) verba haec explicant de naturali, humana Petri cognitione in oppositione ad revelationem divinam, ita ut sensus sit; quod de me dixisti, non tua ratio humana, suis viribus relicta, tua prudentia humana id te docuit. Quum notioni hominis insit simul notio, cognitionis, recte alii utramque explicationem conjungunt.¹⁾ — *Sed Pater meus, qui in coelis est*, sed Pater meus coelestis suae gratiae illustratione id tibi patefecit, et ideo, quia gratiae divinae cor tuum aperuisti atque ita organon divinae revelationis factus es, beatum te praedico. Etiam reliqui Apostoli credebant, Jesum esse Messiam promissum, Filium Dei (coll. v. 20.); multa enim dedit naturae suae divinae ac missionis documenta, in miraculis, quae viderant, et in doctrina coelesti, in qua praedicanda eum se Filium Dei dicentem et hac de re cum Judaeis disputantem audiverant (Joan. 7, 28. seq.); ast haec eorum cognitio non erat distincta, clara naturae Jesu Christi divinae cognitio (cf. a Lap.).

V. 18. *Et ego tibi* (ἐγὼ δὲ), sed et ego tibi, qui per Patris gratiam me Filium Dei confessus es, dico, ad quam in ecclesia

¹⁾ Schanz, Knabenbauer.

dignitatem destinatus sis. — *Quia* (ὅτι) h. l. solummodo indicium orationis directae. — *Tu*, respondet pronomini tu Petri v. 16. — *Es Petrus*. Jesus Simoni non nunc imposuit nomen Petri; nam dicit es, et non: vocaberis, hoc ei jam antea (coll. 4, 18.) imposuerat; sed h. l. propalam effatur, Petrum revera illum esse, i. e. talem se praebere, qualem nomen Petri ei inditum portendat, seu eum dignissimum se praebere honorifico Petri (i. e. saxi) nomine. Nam Petrus (ita dictus ad imitationem graeci πέτρος), uti sequens petra (πέτρα) est chaldaicum ܡܦܬܪܐ, petra (Christus syro-chaldaica lingua locutus est); masculini forma πέτρος (quamvis Graeci promiscue dicant πέτρος et πέτρα ad significandum saxum, rupem) primo loco ab interprete graeco electa est, quoniam ad virum designandum magis quadrare videbatur, secundo tamen loco πέτρα tanquam magis usitatum retinuit, quum hic tantum imago, non vero denominatio sit; interpretes autem latini terminos graecos ex similibus rationibus retinendos esse censuit (cf. Peronne). Ita jam Maldonatus: »Quamvis graece petra et πέτρος genere masculino, et πέτρα foemineo dicatur, tamen Petrus, quia vir erat, non Petra foemineo, sed Petrus masculino nomine vocandus erat. Secundo autem loco, ubi de aedificii fundamento agebatur, non Petrum, sed Petram dixit, quamvis idem utrumque nomen significaret, quia in ejusmodi aedificiis nomen petrae foemineum magis est usitatum.« Hinc potius vertendum esset: tu es petra. — *Et super hanc petram* (καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ), et super nullam aliam, quam super hanc, modo nominatam petram, seu: super te. Sub petra eundem Simonem, qui mox ante Petrus dictus est, significari, consequitur ex pronomine demonstrativo hanc (ταύτῃ), quod aliquid praegressum supponit, ad quod respiciat. Quum jam nullius alterius petrae facta sit mentio, nisi Petri, elucet, per petram intelligendum esse Petrum. Idipsum etiam verba sequentia: *et tibi dabo claves* . . . docent. Quapropter illi interpretes, qui verba: super hanc petram, interpretantur de Christo (= super me) contextum contra se habent. Huic porro et ipsa res obstat. Si enim Christus illis verbis se ipsum designaret, promitteretque, super se ipsum esse ecclesiam aedificaturum, haud perspicitur, cur Simonem petram vocavit; imo ut Cornelius a

Lapide recte dicit, est imminutio sermonis et beneficii dati eversio. Diceret enim Christo Petrus: Ego sum Petrus, i. e. petra ecclesiae, quomodo ergo non super me, sed super te aedificas ecclesiam tuam? — Qui autem verba: super hanc petram, exponunt de fide, seu de (fidei) confessione Petri, contra se habent usum loquendi, quum verba τὸ ἐπὶ πέτρος solum significant: tu es petra, non autem: tua (fidei) confessio, vel tua fides est petra. Quapropter explicationem utramque vel de Christo, vel de (Petri) fide in Christum, ipsi recentiores protestantium interpretes celebratissimi¹⁾ rejecerunt. — Ceterum, si nonnulli Patres²⁾ per petram accipiunt fidem aut confessionem fidei Petri, super quam aedificata sit ecclesia, illi haud negare volebant, Petrum esse fundamentum ecclesiae, sed tantum, uti ait Maldonatus, dicere volebant, Petrum esse fundamentum ecclesiae propter fidem aut confessionem suam, quemadmodum s. Ambrosius dicit, super aquas non Petri corpus, sed fidem ambulasse, quo noluit negare corporalem Petri super aquas ambulationem sed tantum dicere voluit, non corpus, sed fidem effecisse, ut super aquas ambularet. (Conf. Jans.). — Iis, qui quaerunt, cur Christus, si verba illa de persona Petri intellexisset, non dixit: super te aedificabo ecclesiam meam, recte respondet Maldonatus: quum de ecclesia Christus tanquam de aedificio aliquo ageret, accommodate ad aedificium loquebatur; non fuisset autem accommodate locutus, si dixisset, super te aedificabo ecclesiam meam, quia aedificia non super homines, sed super petras (saxa) fundari solent. — *Aedificabo ecclesiam, fundabo ecclesiam.* Ecclesia (quae vox tantum h. l. et 18, 17. in evangeliiis legitur), a graeco verbo ἐκκαλέω convoco, est proprie coetus seu concio convocata respondetque hebr. קָהָל, qua voce significatur coetus seu concio Israëuitarum ad legem audiendam convocata; in N. T. autem significat coetum christianorum, coetum omnium in Christum credentium, regnum Dei his in terris, (visibilem ecclesiam Christi), uti postea regnum coelorum. — *Meam*; in graeco est pronomen μου cum vi et

¹⁾ Grotius, Baumgarten, de Wette, Meyerus, Fritsch.

²⁾ Chrys., Hilar., Cyrill., Ambros.

gravitate antepositum, quasi diceret: ecclesiam, cujus fundandae causa has in terras veni. Verbis his Christus, qui se ipsum repraesentat ut architectum ecclesiae (quum illa operi ejus redemptorio originem debeat), Petrum constituit fundamentum (caput) ecclesiae, qui id est in ecclesia, quod fundamentum in aedificio. Sicut fundamentum sustentat et dirigit aedificium, ei praebendo stabilitatem, firmitatem et unitatem, ita Petrus sustentat atque regit ecclesiam, ei tribuendo firmitatem et unitatem. Ast, quum s. Paulus (1 Cor. 3, 10.) fundamentum ecclesiae dicit Christum, videntur duo esse fundamenta, Christus et Petrus. Enantiophania haec evanescit, si consideretur duplex ecclesiae character, nimirum ecclesia ut visibilis, corporalis, christianorum coetus, et simul ecclesia ut invisibilis, spiritualis fidelium coetus. Si Christus, uti scite scribit Schegg. ecclesiam aedificat, eam ut visibilem et perpetuo durantem domum super visibile et perpetuo durans fundamentum exstruat oportet. Hoc fundamentum autem non est ipse, quum ad dexteram Patris in coelis sedet, sed Petrus. Si contra Petrus aut alius Apostolus, i. e. si Apostolatus ecclesiam aedificat, eam tantummodo super Christum (super fidem in eum utpote fontem gratiae et veritatis) exstruere potest, alias desideret esse ecclesia Christi. Si itaque Apostolatus ecclesiam super Christum aedificat, Christus vero super Petrum, consequitur, nos in spiritualem (invisibilem) cum Christo communionem venire posse tantum per visibilem communionem cum Petro. Si porro etiam reliqui Apostoli a s. Paulo (Ephes. 2, 20.) generatim appellantur fundamentum ecclesiae, id non obstat, quominus Petrus sit fundamentum totius ecclesiae; nam propterea, quoniam Petrus dicitur petra, cui supraaedificanda sit ecclesia tota, modo speciali et praestantiori, quam reliqui Apostoli, declaratur fundamentum; Petrus pro se, reliqui in communione cum Petro; Petrus inter secundaria seu visibilia fundamenta principale et primum, quod reliqua simul contineat et dirigat; Petrus quasi lapis lydius, ad quem probatur vera fides a falsa.¹⁾ — Sic ergo Christus Petro

¹⁾ Cf. Schwetz theol. dogm.

inter omnes Apostolos Primatum in ecclesia promisit, quem post resurrectionem suam (Joan. 21, 1. seq.) reapse ei contulit. Quod autem personae Petri dictum, id dictum erat etiam successoribus ejus. Nam ecclesia, uti ait Arnoldi, non est uti aliquod aedificium materiale, semel constructum, sed est aliquid vivum, quod continuo exstruitur, ideoque etiam semper fundamento opus habet. Si id dictum esset tantum personae Petri, uti volunt adversarii, mortuo Petro uti recte observat Sylveira, exstincta esset ecclesia; nam destructo fundamento destruitur res. Id autem, uti sequentia docent, non potest esse, quia Christus ecclesiam suam ita fundavit, ut esset perennis; unde patet, fundamentum perduret necesse esse.¹⁾ — *Et portae inferi non praevallebunt adversus eam* (καὶ πύλαι ᾗδου οὐ κατισχύουσιν αὐτῆς). Dantur duae hujus loci explicationes principales, quae, quamvis in singulis explicandis inter se differant, in substantia tamen sensus conveniunt. Antiqui interpretes²⁾ et multi recentiorum³⁾ per vocem ᾗδης intelligunt infernum, ubi diabolus dominatur (cf. 11, 23. Luc. 16, 23.) et verba: *portae inferi* sumunt aut ut meram periphrasin τοῦ ᾗδου (v. c. diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob, Ps. 86, 2.); aut vero metonymice de potentia, potestate inferi. Explicationi posteriori suffragatur id, quia apud orientales in portis urbium judicia exercebantur (Deut. 22, 15. Ruth. 4, 1.), vel quia portae pars urbium munitissima esse solebant, et per portas etiam urbes passim expugnabantur, ita ut porta pro civitate (coll. Gen. 22, 17; 24, 60. Jud. 5, 8.), et dein, quoniam sub hujus imagine regnum repraesentabatur, pro regno seu imperio poneretur; qui usus loquendi adhuc viget in Oriente; sic enim adhuc hodie eodem significato in usu est porta osmanica, persica. Verbum κατισχύειν τινός sumunt hi interpretes significato: superare, vincere; ita ut sit sensus: Tam firmiter ecclesiam meam super hanc petram aedificabo, ut omnis infensissima potestas inferni, hostiliter eam aggredientis, adversus

¹⁾ Cf. Mald. in v. 19.

²⁾ Jans., Mald., a Lap., Calm.

³⁾ Arnoldi, Reischl.

eam praevalitura eamque eversura non sit.¹⁾ — Recentiores vero interpretes²⁾ vocem ᾠδης explicant de orco (de Scheol), loco subterraneo, quo mortuorum animae continebantur, verbum καταγίνειν sumunt significatu potiore esse, vocem πύλαι autem significatu proprio, portae, ita ut orcus fingeretur velut quaedam arx, portis firmissimis munita, in quam omnes homines coguntur, et unde nemo unquam redire potest (Jes. 38, 10. ps. 107, 18. Sap. 16, 13.). Juxta hanc verborum explicationem est tertium comparationis robur, firmitas et perennitas, ita ut sensus sit: Tam firmiter ecclesiam meam super hanc petram aedificabo, ut ne orci quidem portae eam firmitate superatae sint, (non praevalerunt adversus eam, uti Vulgata habet), illae nimirum portae, omnium rerum firmissimae, quae tamen in fine mundi, quo orcus mortuos ibi detentos reddet, frangentur; seu aliis verbis absque imagine: ecclesia super Petrum aedificata durabit usque ad finem mundi, quo Christus etiam ultimum adversarium, mortem, superabit. Stante hac explicatione, qua Christus ecclesiae promittit perennitatem, securitatem ab interitu usque in finem saeculorum, solum implicite simul edicitur, quod omnis diaboli potentia omniaque ejus molimina ecclesiam non sint superatura et destructura, quod stante priori explicatione directe docetur. Quia καταγίνειν significat: superare, vincere, haec autem notio inclusum continet aliquem impetum, aliquam aggressionem, quae ab orco, loco mortuorum, aliena est, ideo explicatio prior praeferenda est, partim quia ipse Christus, fundator ecclesiae, aggressionem hostilem diaboli sustinuit et devicit, partim ob graves admonitiones Christi et Apostolorum (2 Cor. 4, 4. Eph. 6, 12. 1 Petr. 5, 8. Apoc. 6, 8, 20, 19), quibus fideles contra diaboli insidias et machinationes praemunire student. Ex hac promissione jure colligitur ecclesiae infallibilitas. Quum vero firmitas (infallibilitas) ecclesiae merito derivatur (uti 7, 25.) ex fundamento, inde recte comprobatur infallibilitas summi Pontificis.

V. 19. *Et tibi dabo claves regni coelorum.* Verbis his promittit (dicit enim: dabo, non: do) Christus, se Petro su-

¹⁾ Cf. Schwetz, theol. dogm.. Knabenbauer.

²⁾ Kuin., Berl. Schegg., Bisp., Schanz.

premam in ecclesia daturum esse potestatem. Phrasis regnum coelorum h. l. significat idem ac antea vox ecclesia, hoc tamen cum discrimine, ut vox ecclesia significet ecclesiam a parte ejus externa, visibili, dum formula regnum coelorum significat ecclesiam a parte ejus invisibili, aeterna. Claves. Comparatur ecclesia cum aedificio, domo, et per claves regni coelorum exprimitur suprema potestas gubernationis et regiminis, quae Petro in ecclesia a Christo data est, ita ut ipse a Christo oeconomicus (dispensator) ecclesiae ejusque bonorum institutus sit. Nam secundum sensum et usum gentium in universum et Judaeorum in specie per claves suprema designatur potestas; cui enim traduntur claves civitatis, is instituitur et declaratur dominus ac gubernator ejusdem, ut ad libitum eam aperiat vel claudat, et quos velit, in illam admittat, quos nolit, excludat. Sic v. c. apud Jesaiam (22, 22.): *Dabo (ego Jehova) claves domus David super humerum ejus (Messiae) et aperiet et non erit, qui claudat, et claudet, et non erit, qui aperiat* (cf. Apoc. 1, 18; 3, 7; 9, 1; 10, 1). — *Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Verba haec inserviunt explicandis prioribus: *tibi dabo claves...*, simulque iis speciatim exprimitur potestas jurisdictionis (leges ferendi et judicandi). Verba *δέειν* et *λύειν*, quae respondent rabbinorum *אָפֶן* et *לִיטן*, significant quidem ex usu loquendi Judaeorum et rabbinorum proxime: interdicere (vetare) et permittere (concedere), ergo potestatem leges ferendi (legislatoriam); quum autem haec non potest esse sine potestate judiciali, illa hanc jam sponte inclusam habet, verba haec simul significant etiam: condemnare, absolvere. Et quum hic agitur de potestate, quae spectat ad regnum coelorum, haec ligandi et solvendi potestas complectitur tam doctrinam, quam vitam, ergo potestatem dogmata fidei et morum definiendi, in disciplinam ecclesiasticam inspicendi, excommunicandi et ab excommunicatione absolvendi, veniam peccatorum concedendi vel denegandi.¹⁾ Quidquid his in rebus Petrus faciet super terram, i. e. in ecclesia visibili,

¹⁾ Cf. Bisp., Schegg, Calm., Knabenbauer.

id in coelis, i. e. Deus in coelo ratum habebit; ipse enim est visibilis Vicarius Christi in terra. Sic verbis his Christus Petro promisit Primatum, non tantum honoris, sed jurisdictionis, plenitudinis potestatis in universam ecclesiam, hinc et in ipsos Apostolos. Quod Christus h. l. Petro promiserat, id ei contulit reapse post suam resurrectionem (Joan. 21, 15—18.). Si postea (18, 18.) Christus omnibus Apostolis potestatem ligandi et solvendi promittit, id nil derogat Primatui Petri; idipsum enim, quod Christus peculiariter et separatim hic soli Petro promittit, quod postea (18, 18.) omnibus communiter annunciat, sat docet, quod reliqui Apostoli potestatem suam, quam utique etiam a Christo accipiunt, solummodo in subjectione erga Petrum ac in unione et communione cum Petro exercere debeant. Petrus non est primus inter pares, sed primus inter omnes (cf. a Lap.). Qui¹⁾ verba ligare et solvere exponunt tantum de potestate remittendi et retinendi peccata, pro arbitrio verba haec tam stricto sumunt significatu. Idipsum et de iis (Kuin.) valet, qui verba illa exponunt de exclusione ab ecclesia et de admissione (receptione) in illam.

V. 20. *Praecepit discipulis, ut nemini dicerent*; ob eandem causam ac 8, 4. — *Ipse*, emphatice: ipse et nemo alius. — *Esset Christus* (ὁ Χριστός), ille a Judaeis exspectatus Messias. Praedicatio haec post Christi mortem et resurrectionem fieri debebat (Hieron.). Vox Jesus ante: Christus est expungenda, ob codices antiquos et contextum.

4. Christus prima vice mortem suam praedicat, simulque docet, quomodo comparatos esse oporteat assecclas ipsius (21—28.).

(Marc. 8, 31—39. Luc. 9, 22—27.)

V. 21. Praedixit Christus discipulis suis passionem et mortem suam, ne, si de futura magistri sui sorte praemoniti non fuissent, malis gravibus, quibus serius eum obrui videbant, animus eorum frangeretur, fides in eum infirmaretur, ni penitus

¹⁾ Chrysost., Erasm., Mald., Berl.

tolleretur, quum talia cum Judaica de Messia opinione conciliari non possent. Sed simul docere voluit, etiam suis non aliam relinqui viam. (cf. Mald.). — *Exinde*, i. e. inde ab illo tempore, quo Petrus Jesum tam solemniter professus est Messiam et Filium Dei. Factum est hoc aliquo tempore post tertium Pascha in vita Christi publica.¹⁾ — *Coepit ostendere*, coepit apertius et claris verbis loqui de eo, quod iis antea ob fidem eorum imperfectam obscure tantum significavit. — *Oporteret*, nimirum ex Patris decreto, quo genus humanum per mortem Filii sui constituit redimere. — *Tertia die resurgere*; apud s. Marcum loco parallelo (8, 31.): *post tres dies*, quod idem denotat; nam juxta popularem usum loquendi id, quod certo die futurum est, dicitur futurum post illum (cf. Luc. 2, 46.).²⁾

V. 22. *Assumens*, scil. manu, ut facere solent familiarius aliquid dicturi, vel aliquem monituri. Fecit hoc et locutus est partim ex amore suo erga Christum; partim quia putabat, talia Messiae accidere non posse. — *Coepit increpare illum*, coepit eum severius admonere; nam interpellavit eum increpantem Jesus. — *Absit a te* (ἄλειός σοι), i. e. Deus prohibeat. Graecum ἄλειός σοι, scil. εἴη ὁ θεός, proprie: *propitius tibi sit Deus*, ut formula abominantis notat idem ac: prohibeat Deus, seu: Deus a te avertat! — *Non erit tibi hoc*, i. e. certo tibi hoc (mors tam indigna) non accidet.

V. 23. *Qui conversus*, severo vultu se ad eum vertit. — *Vade post me*, vade extra conspectum meum, ne te jam videam. — *Satana* (σατανᾶ), adversarie; hebr. שָׂטָן proprie adversarius, inimicus, dein princeps daemonum. Antea, quum Petrus esset organon revelationis Dei Patris et eo docente locutus fuerat, Christus eum beatum praedicaverat; nunc, quum non interrogatus, proprio ipsius spiritu, carnem et sanguinem secutus, loquitur et ita decretis divinis adversari vult, nominat eum Christus satanam, quatenus satanam, qui omnibus decretis divinis respectu salutis generis humani adversatur, quamvis ignorans, imitatur. — *Scandalum es mihi* (σκάνδαλον εἰ ἐμοί; sed lectio: σκάνδαλόν μου εἶ, scandalum meum es, est praeferenda).

¹⁾ Conf. Cornely introd. in N. T. 5. p. 29.

²⁾ Cf. Patrit. III, 410.

Verbis his rationem affert, cur eum dixerat satanam. Hic loci scandalum metaphorice homo dicitur, qui alicui impedimento est eique adversatur; hinc sensus est: impedimentum meum es, utpote volens impedire passionem mortemque meam et consequenter redemptionem ac salutem hominum, quam per passionem et mortem meriturus ac procuraturus sum (a Lap.).

— *Quia non sapis, quae Dei sunt, sed quae hominum*, quia non capis, quae e Dei voluntate fieri debeant, nimirum, quod e Dei voluntate mala mihi ferenda sint, imo mors ipsa subeunda; sed ea, quae humanis, quae terrenis desideriis Judaeorum (terrenum Messiae regnum expectantium) placent, quae caro et sanguis suggerere solet, optas et curas. Sic verbis his fons seu causa erroris Petri indicatur. Ceterum per se intelligitur, ex hisce nil posse peti contra Primatum Petri nam hic solummodo promissus, nondum datus erat (cf. a Lap.).

V. 24. Quae v. 24—26. leguntur, eorum nexus cum antecedentibus ita statuitur: Procul absit, ut vos passionem et mortem meam impediatis; potius sicut ego, rex et caput ecclesiae, per passionem debeo intrare in gloriam meam, ita vobis omnibusque sectatoribus meis passio et crux ferenda est. *Si quis vult*, non cogo, non vim infero. — *Post me venire*, esse discipulus meus (cf. 4, 19.). — *Abneget semet ipsum*, neget se sibi notum esse, seu: se ut sibi ignotum habeat; quod fit, si homo nullam sui habeat rationem, omnes suos affectus et appetitus mundanos et carnales deponat et resecet, atque in adversis ac naturae nostrae gravibus atque ingratissimis perferendis ita se gerat, quasi alius illa pateretur. — *Tollat crucem suam*; vid. 10, 38. — *Et sequatur me*, et abnegando semet ipsum et cruce ferenda me imitetur in obedientia erga Patrem coelestem (cf. Gal. 6, 14.).

V. 25. Vid. 10, 39.

V. 26. *Prodest*, i. e. proderit in die iudicii (v. 27.). *Mundum*, res, bona terrena (opes, honores, delicias). — *Animae suae* est idem ac apud Lucam (9, 25.): *se ipsum* (ἑαυτὸν) ergo: animus, spiritus. — *Detrimentum patiatur* (ζημιωθῇ), jacturam patiat, perdat ideoque vitae immortalis jacturam subierit. Explicationem hanc postulant sequentia: *aut quam dabit homo* etc. Sensus est: Cunctas res terrenas possidere, nihil prodest

homini, si animam suam, quam unicam habet, in aeternum perdiderit (aeternae damnationi tradiderit). — *Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua*, qua re terrena homo animam, semel damnationi aeternae addictam, e damnatione possit redimere? i. e. nulla re redimi potest. Empta enim et redempta est pretioso sanguine Christi (1 Pet. 1, 19.). — Alii¹⁾ per animam (ψυχὴν) intelligunt vitam aeternam (beatitudinem aeternam). — In substantia sensus non diversus est; nam qui animam perdidit, etiam vitae aeternae jacturam patitur.

V. 27. Versus hic cum antecedenti ita cohaeret: In iudicio, quod Messias in fine mundi habebit, decidetur, quisnam animam suam salvaverit, aut perdiderit; *nam Filius hominis venturus est*, scil. die iudicii extremi. — *In gloria Patris*, in ea gloria, quae est Patris, proinde in gloria divinitatis (cf. Ps. 104, 1.). Joan. 17, 5.). — *Cum angelis suis*, coelestibus, sanctis (coll. Marc. 8, 38.), utpote exsecutoribus potestatis ejus (coll. 13, 41. 42. 49. 50; 24, 31.). Juxta Dionysium Carthusianum angeli cum Christo ad iudicium venient, primo propter reverentiam iudicis; secundo ad terrorem malorum; tertio ad accusationem eorum, qui angelicis instinctibus noluerunt assentire; quarto, ut exsequantur sententiam iudicis in reprobos. — *Secundum opera ejus*, secundum meritum operum omnium; graece: τὴν πράξιν, secundum vitae cursum et rationem.

V. 28. *Sunt quidam de hic stantibus* (εἰσὶ τινες ὧδε ἐστῶτων, sed lectio Tischendorffii ob praestantissimos codices: εἰσὶ τινες ὧδε ἐστῶτες praeferenda, quum prior verosimiliter ex Marco (8, 39.) et Luca (9, 27.) in hunc locum translata sit), i. e. nonnulli, qui hic adsunt. — *Qui non gustabunt mortem*, qui non experientur mortem. Phrasis: mortem gustare ex hebraismo notat: mori. — *Donec videant Filium hominis venientem in regno suo*; Marcus (8, 39.) habet: „donec videant regnum Dei veniens in virtute“; et Lucas (9, 27): „donec videant regnum Dei“. Quid Christus h. l. per regnum intelligat, et quando illud viderint nonnulli adstantium Christo, interpretes dissentiunt. Alii (Grotius) ea verba intelligunt de Christi resurrectione et ascensione ad Patrem; sed praeter Apostolos omnes plerique ad-

¹⁾ Erasm., Rosenm.

stantium eo usque vixerunt atque testes utriusque fuerunt. — Alii (Gregor., Beda) ea explicant de lata amplaque religionis christianae propagatione; sed illam viderant, excepto Jacobo, Zebedaei filio, omnes Apostoli et adstantium permulti. Alii ea intelligunt de adventu Christi ad iudicium extremum; sed huic obstat, quod nemo adstantium eo usque vixit. Alii¹⁾ ea exponunt de Hierosolymae excidio; ast huic obstat versus antecedens, ubi Christus cum angelis venturus perhibetur, unicuique redditurus secundum opera ejus, quod in Hierosolymae excidio factum non est. — Permulti Patres²⁾ et interpretes veteres³⁾ ac recentiores⁴⁾ ea intelligunt de Christi transfiguratione; quasi diceret: quidam vestrum, antequam morerentur, me Messiam divina regni mei maiestate et splendore praefulgentem videbunt (non post mortem demum); quod revera contigit Petro, Jacobo et Joanni, qui in transfiguratione Christi eum revera in illa divina regni sui maiestate viderunt. Cui explicationi favere videntur statim sequentia; nam omnes synoptici evangelistae, qui hujus rei meminerunt, post hoc Christi promissum, subjungunt statim, sex post diebus illud fuisse impletum; nec ei obstant, uti interpretes hi observant, verba Marci et Lucae, quia gloria transfigurationis erat imago, anticipatio regni Christi gloriosi. Obstat tamen explicationi huic verbum ἐρχομαι, quod Christum de coelo descendentem significat, quod in transfiguratione factum non est. — Quapropter alii⁵⁾ quum in V. 27. sermo est de adventu Christi ad iudicium et quidem cum angelis, putant, Christum his verbis respexisse ad utrumque adventum suum, tum in Hierosolymae excidio (quia quidam Christo adstantium eo usque vixisse dicuntur), tum die iudicii extremi (quia est sermo de angelis, quibuscum Christus in Hierosolymae excidio non venerat), uti alias Christus (v. c. in illo sermone prophetico c. 24. conf. 10, 23.) excidium Hierosolymae conjungere

¹⁾ Calm., Berl., Arnoldi.

²⁾ Hilar., Chrys., Hieron., Ambros., August.

³⁾ Theophyl., Mald., a Lap., Jans.

⁴⁾ Kistemaker, Massl, Patrit., Bucher.

⁵⁾ Schegg, Bisp., Schanz, cf. Knabenbauer.

solet cum glorioso adventu suo ad iudicium universale, quia excidium Hierosolymae et adventus Christi in fine mundi unum totum constituunt in regno Christi. Excidium enim Hieros. erat primus actus regiae Christi potestatis, erat particulare iudicium in rebelles Judaeos, duces et principes populi Judaici (erat revera dies parusiae Domini); adventus autem ejus gloriosus ad iudicium universale (parusia in fine mundi), cujus typus erat excidium Hieros., erit ultimus actus regiae potestatis ejus, quo iudicium fiet de toto tempore praeterito et de omnibus regni divini adversariis. Quum itaque excidium Hieros., speciale iudicium de Judaismo cum iudicio universali unum constituat totum, prius posterioris sit praeludium et typus (figura), ideo Christus in suis sermonibus prophetis saepe utrumque commiscet, proferens talia, quae proprie solummodo ad unum alterumve pertinent.

Caput XVII.

1. Transfiguratio Christi (v. 1—9.).

(Marc. 9, 1—8. Luc. 9, 28—36.)

Transfiguratio Christi a quatuor auctoribus sacris, tribus Synopticis et s. Petro (2 Petr. 1, 17. seq.) ut factum externum unacum variis adjunctis suis narratur. Hinc haud ulla adest ratio, ut narratio haec habeatur aut pro somnio aut pro mera visione, aut pro oculorum fraude, aut pro mytho philosophico, ideo conficto, ut probaretur, in Jesu eadem quae in Mose revera sublimiori modo evenisse atque in eo legem (Mosen) et prophetas (Eliam) finem suum assecutos esse. Omnes hi interpretes textui s. aut quaedam obtrudunt, quae in eo non leguntur, aut verba illius in eum detorquent sensum, qui praeconceptae sententiae eorum falsae conveniat. Transfiguratio Christi est solemnis ejus inauguratio ut legislatoris N. T. Imo ea arcto in nexu existit cum baptismo. In baptismo nimirum, in quo ad munus publicum initiatus est,

declaravit voluntatem suam, implendi omnem justitiam; in transfiguratione autem locutus est cum Mose et Elia de sua passione et morte. In baptismo et in transfiguratione declaratus est coelitus ut Filius Dei, quo Deus delectatur.

V. 1. *Post sex dies*, nimirum post colloquium illud, cujus argumentum Matthaeus (16, 13—28.) exposuerat. Idem tempus ponit Marcus (9, 2.); Lucas vero (9, 28.) habet: *post octo dies*; id inde, quia Lucas diem, quo colloquium habitum est, et diem, quo transfiguratio facta est, simul numeravit. Ceterum ipsa Lucae loquendi ratio docet, eum minime tempus prorsus accurate definire voluisse, quum dicit: *post haec verba fere* (ὥστε, circiter) *dies octo* (Mald.). Ceterum Christus transfigurari voluit, ut discipulos mentione futurae mortis suae moerentes consolaretur, et ut eis ostenderet, quae gloria et ipsos post passiones maneat (Hil., Chrys.). — *Petrum, Jacobum et Joannem*. — Elegit hos tres, quia ipsi familiarissimi erant (Petrus Christum maxime amabat, Joannes, qui virginitate eminebat, valde a Christo amabatur, Jacobus vero ob responsum, quod postea dedit cum fratre, dicens: *possumus bibere calicem*, et primus inter Apostolos sanguinem pro Christo fudit), et quia hos tres solos habere volebat testes suae infirmitatis et agoniae (passionis) in horto Gethsemani, quibus igitur, ne illa offenderentur, gloriam suam ostendere volebat (cf. Patrit.). — *In montem*, nempe ut oraret (coll. Luc. 9, 28.). Mons hic juxta traditionem fuit mons Thabor, qui in Galilaea inferiori situs distat 2 horis a vico Nazareth et bidui iter ab urbe Hierosolyma, et hodie Dschebel Tor dicitur. Recentiores vero putant, fuisse montem in vicinia Caesareae Philippi, ubi illo tempore Jesus versatus sit.¹⁾ Rationes, quae contra traditionem hanc afferuntur, eam minime evertunt. Cf. Knabenbauer.

V. 2. *Et transfiguratus est* (dum oraret coll. Luc. 9, 29.), faciei et corporis formam et speciem externam mutavit, ut statim sequentia docent. — *Ante eos*, videntibus discipulis. — *Et* (καὶ) h. l. particula explicativa, quum adjicitur, in quo transfiguratio constiterit — *Resplenduit facies ejus sicut sol*, facies ejus diffudit splendorem similem soli, qui tum ex insi-

¹⁾ Cf. Calm., Patrit., Schegg.

dente Dei majestate, tum ex animae beatitudine in faciem totumque corpus dimanabat, sicut fiet omnibus sanctis in coelo (Jans.). — *Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*, splendor corporis perripuit vestimenta eaque alba ut nivem apparere fecit. Sed praeferenda est lectio: ut lux (ὥς τὸ φῶς) ob testes praestantissimos.

V. 3. *Et ecce apparuerunt*, conspiciendos se vere prae-buerunt illis et quidem, uti s. Thomas dicit, Elias, quia non erat mortuus, apparuit in proprio corpore; Moses vero, qui mortuus erat, ita apparuit, quod anima ejus apparuerit per aliquod corpus assumptum, sicut angeli apparent. Cf. 2 Pet. 1, 16—18. — *Moses et Elias*. Apparuerunt hi duo prae aliis prophetis, quia hi duo repraesentabant V. T.; Moses utpote legis promulgator, Elias vero ut ejus restaurator; Moses ut legis minister et mediator, Elias vero ut princeps prophetiae et prophetarum, ut inde eluceret, Christum esse verum prophetam, in eo legem et prophetas consentire finemque suum assecutos esse, eum vere esse Messiam, Salvatorem mundi, in lege et prophetis promissum (a Lap.). — Si quaeritur, quomodo Apostoli Mosem et Eliam, quos antea nunquam viderant, cognoverint, bene respondet Theophylactus, dicens, colloquium Mosis et Eliae cum Jesu occasionem dedisse, ut illos cognoscerent Apostoli. Ceterum poterat Apostolis Deus illam cognitionem etiam interna illustratione suppeditare (Tert.). — *Cum eo loquentes*, nimirum, uti Lucas (9, 31.) addit, *de exitu ejus, quem impleturus esset Hierosolymae*, i. e. de ejus passione et morte Hierosolymae subeunda; ex quo Apostoli discere poterant, sicut Christo, ita et iis passionem, mortem esse subeundam.

V. 4. *Respondens*, loqui exorsus (11, 25.). — *Domine*, apud Marcum: rabbi, eodem significatu. — *Bonum est, nos hic esse*. Occasio hujus dicti erat ineffabilis dulcedo et beatitas ex visione illa orta, ita ut (coll. Marc. 9, 5.) nesciret, quid diceret, i. e. stupefactus loqueretur, rerum omnium oblitus; erant enim, ut addit Marcus, *stupore attoniti*, terrore exterriti, (visa illa Christi majestate). — *Nos*, debet intelligi de omnibus praesentibus. — *Esse, permanere*, nempe propter spectaculi et voluptatis magnitudinem. Unde, quasi extra se raptus, dicit:

Si vis faciamus hic tria tabernacula. nempe ad retinendos Mosem et Eliam, jam parantes discessum, ut notat Lucas (9, 33.). Proposita re autem Petrus simul impedire voluit Jesum, quominus Hierosolymam, ubi mala atque adeo mortem cruentam carissimo magistro imminere sciebat, abiret, quam tamen mentem non est ausus, utpote paulo ante (16, 23.) a Domino acriter vituperatus, palam aperire. Ceterum Petrus de se et aliis Apostolis ex humilitate mentionem non facit.

V. 5. *Ecce*, attentionem (uti antea) excitat ad novam rem mirabilem. — *Nubes lucida*, nubes lucem circumfundens ob splendorem Christi. Nubes in V. F. erat symbolum praesentiae et majestatis Dei, erat Schechinah V. F. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 1, 14. (et habitavit in nobis). Cf. Exod. 16, 10; 40, 32. Num. 11, 25. Idem et h. l. — *Obumbravit*, levi umbra textit. — *Eos*, Jesum, Mosen et Eliam (coll. Luc. 9, 34.), ita ut ea veluti quodam sanctuario cincti essent. — *Ecce*, attentionem excitat ad novum miraculum. — *Vox*, Dei Patris (cf. 2 Pet. 1, 17.). — *Hic*, nimirum Jesus. — *Filius meus dilectus*, in quo mihi bene complacui; vid. 3, 17. — *Ipsam audite*, huic obsequimini, obedite. Hisce verbis Christus coelitus declaratus est legislator N. T., uti verbis: *hic est Filius meus*, pronuntiatus est Filius Dei. Cum Petrus tria vellet tabernacula condere, et ita Mosen et Eliam Christo aequaret, vox divina solum Christum declaravit legislatorem, cui sit obediendum, ideo illi duo evanescent.

V. 6. *Ceciderunt in faciem suam*, metu nimirum percussi, quia Deum loquentem audiebant.

V. 7. *Tetigit eos*, ut ad se redirent scirentque, se hic esse, non autem phantasma quoddam.

V. 9. *Et descendantibus illis*, illo ipso die; nam quae Marcus (9, 13. seq.) narrat, Lucas ait gesta esse postridie ejus diei, quo Christus transfiguratus est. — *De monte*, scil. illo, ubi portentosa Jesu transfiguratio facta erat. — *Visionem*, (ὄραμα) i. e. quae viderant (coll. Marc. 9, 8.), visum, spectaculum (Act. 7, 31.). — *Praecepit eis Jesus: nemini dixeritis, donec Filius hominis a mortuis resurgat*; graece: suscitatus fuerit. Praecepit Jesus Apostolis tribus, ne ulli (nec reliquis Apostolis nec populo) quid dicant de illis, quae in monte viderant, ideo,

quia praescivit, fore ut multi, si Apostoli eum ante resurrectionem tanquam Messiam gloriosum praedicaturi essent, malis et morte cruenta sibi subeundis offensi, a se desciscerent (ne, uti ait Jansenius, apud rudes animos post tantam gloriam crux subsequens scandalum crearet irreparabilius), quod facta resurrectione non timendum erat, quia populus jam veram regni Messiani indolem melius sciverat dijudicare (cf. 16, 20.). Praeceperat vero etiam ideo, ne adversarii ejus narrationem Apostolorum proscinderent tanquam vanam gloriationem, quod facta resurrectione, quae aequae grande erat miraculum, facere non poterant. Apostolos tres praeceptum hoc observasse, indicat Lucas (9, 36.). Juxta alios vero id praeceperat eadem ex causa, quae 16, 20. assignata est.

2. Colloquium Christi cum discipulis post transfigurationem (10—13.).

(Marc. 9, 9—12.)

V. 10. *Quid ergo* (ὅν); vox ergo respicit ad Eliae abitum. — *Scribae dicunt, quod Eliam oporteat primum venire?* — Dantur variae hujus loci explicationes. Alii (Meyerus, quem Arnoldi sequitur) particulam ergo ad antecedens interdictum referunt hoc modo: Itaque, qua ex causa dicunt legis doctores, oportere Eliam apparere, antequam regnum suum inauguret Messias, quum tu, Domine, nobis interdixeris, ne adventum Eliae, modo factum, cuiquam eloqueremur? Nonne sequitur ex hoc interdicto tuo, falsam esse illam legis doctorum de Elia adventuro doctrinam; nam alioquin tu nos non jussisses silere de facto Eliae adventu? Sed difficile est, intelligere, quomodo ad talem opinionem pervenerint, neque ex prohibitione sequitur, Eliae apparitionem non esse eam, de qua scribae loquuntur. — Alii omnem vim ponunt in vocem πρῶτον (primum) hoc modo: Itaque, quum Elias nunc demum (ergo post te) apparuerit, quid sibi velint legis doctores tradentes, oportere Eliam ante Messiam apparere? Praeferenda est sequens expositio. Nexus inter v. 9. et 10. docet, occasionem petendam esse ex ultimis Christi verbis (donec Filius hominis a mortuis resurgat), quae de gloriosa Christi

manifestatione, mox futura, intellexerunt. Visa enim transfiguratione Christi, pronum erat, verba Christi: a mortuis resuscitari, concipere de glorificatione. Quum autem prohiberentur de visione loqui usque ad hanc glorificationem, iterum pronum erat, inferre, et eam proxime instare, neque Eliam, quem modo abeuntem viderant, antea venturum et populum ad Deum esse reducturum. Si enim antea populo debet praedicare, cur abiit? vel si statim venturus esset, cur vetarentur de ejus adventu et apparitione mentionem facere? Ex hac consideratione, quae visione ipsa verbisque Christi enascitur, oritur sua sponte quaestio: quid ergo etc. cur ergo.¹⁾

V. 11. Nunc Christus loca specie pugnancia, quibus impediebantur Apostoli, explicat. — *Elias quidem venturus est et restituet omnia*; quasi diceret: Verum quidem est, Eliam Thesbitam esse venturum, omniaque quae prava sunt, in integrum restitutum, nimirum ante alterum meum adventum. — Venturus est, (graece praesens ἔρχεται positum loco futuri) scil. ante alterum Messiae adventum. Concedit ergo Christus hoc dicto Apostolis, quod verum erat in Judaeorum sententia de Eliae adventu ante Messiam. — *Restituet omnia* (ἀποκαταστήσει πάντα), i. e. (coll. Malachiae loco, ubi dicit: *et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum*) homines prae-parabit ad Christi adventum, filios Dei in fide uniet, hinc et Judaeos, qui ea aetate vixerint, convertet ad fidem patriarcharum (Thom.). Ita sunt verba ἀποκαταστήσει πάντα intelligenda; nam ipsa ἀποκατάστασις (renovatio) omnium fiet per Christum (cf. Calm.). Quum id tempore Joannis Bapt. factum non sit, patet, verba illa Malachiae de altero Messiae adventu die judicii esse intelligenda; quod et sequentia apud Malachiam verba docent: „ne forte veniam et percutiam terram anathemate“, i. e. deleam (Chrys.). Cf. Marc. 9, 12., ubi de Elia expectando sermo est.

V. 12. *Elias jam venit*. Sensus est: Sed affirmo vobis, Eliam jam advenisse, nimirum in persona Joannis. Verbis his Christus docet, falsam esse sententiam Judaeorum, quatenus putant, ante primum Messiae adventum illum ipsum Eliam,

¹⁾ Cf. Knabenbauer.

prophetam Thesbitam venturum esse, quia ante primum Messiae adventum non ille propheta Thesbita expectandus est, sed typus ejus, qui in persona Joannis, virtute et spiritu Eliae praediti, jam apparuit (Luc. 1, 17.). Vide, quae hac de re scribit August. in commentar. in evang. s. Joan. 1, 21. Quum legis doctores verba prophetae intelligerent de primo Messiae adventu, ideo per ἀποκατάστασιν πάντων per Eliam perficiendam putabant, significari, prophetam illum rempublicam Judaeorum in pristinum, imo splendidiorem statum restitutum, dissidia doctorum compositum, omniaque populo Judaico ornamenta (urnam mannae, virgam Aaronis) redditum esse. Cf. 11, 14. — *Et non cognoverunt eum*, scil. pharisaei et legisperiti tanquam illum Eliam, ante primum Messiae adventum proditum, seu tanquam praecursorem Messiae, tanquam Eliam per similitudinem. — *Et fecerunt in eo, quaecunque voluerunt*, eum pro lubitu tractarunt, quum nimirum eum ceperint, in carcerem conjecerint et mulieris gratia interfecerint. — *Sic et Filius hominis passurus est ab eis*, pari modo me Messiam, ipsorum scelera castigantem, persequuntur et persequentur, crucifigent et occident. Sic indicat Christus discipulis, similia, quae praecursor expertus est, etiam se manere, priusquam gloria illa, quam viderant, in perpetuum potiatur.

3. Sanatio hominis lunatici (14—20.).

(Marc. 9, 13—28. Luc. 9. 37—43.)

V. 14. *Quum venisset* (ἐλθόντος αὐτοῦ), sed praeferenda est lectio in plurali: ἐλθόντων αὐτῶν, quum venissent, scil. Jesus et tres ejus discipuli et quidem (coll. Luc. 9, 37.) die sequenti. — *Genibus provolutus*, procumbens ad ejus genua et supplicans pro salute filii, qua re ostendebat humilitatem et suam pro salute filii sollicitudinem. — *Lunaticus est*; vid. 4, 24. Morbus hic juxta alios erat invectus a daemone, qui apud Marcum (9, 24.) spiritus surdus et mutus dicitur, per metonymiam in ipsum daemonem translatus, qui filium faciebat surdum et mutum. Quia appellatur lunaticus, alii dicunt, aegritudinem fuisse naturalem, sed daemon, a quo obsesus erat, violentiam morbi permultum auxit. — *Cadit in ignem*,

daemon eum agit in ignem, ut comburat. — *In aquam*, ut mergat et suffocet. Ceterum in graeco textu a verbis: dicens, domine (καὶ λέγων) incipit v. 15; ideo in Vulgata numerus versuum in hoc capite minor est uno versu.

V. 15. *Non potuerunt curare eum*, scil. ob defectum fidei sat firmæ (coll. v. 19.). Quia discipulos adibat, censendus est, scivisse, discipulos antea jam plurimas perfecisse nationes.

V. 16. *Respondens*, juxta Marcum (9, 18.): eis (αὐτοῖς), i. e. discipulis. — *O generatio incredula et perversa*. Verba hæc alii ad patrem dirigi censent (Euth., Theoph.); alii ad discipulos¹⁾, alii ad multitudinem hominum adstantem (Patri.). Quum juxta Marcum (9, 13.) adesset turba magna et scribae disputantes cum discipulis, primum est, assumere scribas, cum discipuli aegrotum sanare non possent, calumniam Christo apud populum intulisse, et turbam facile mobilem eorum detractiōni accessisse, et de ipsa Jesu potestate sanandi propter defectum Apostolorum iniquius sensisse. Quare Christus vituperat populum, qui adstabat, ita quidem, ut pater quoque et discipuli simul (coll. v. 19.) cum plebe, a scribis seducta, reprehendantur.²⁾ Indignatur autem Jesus, quia post tot miracula patrata plebs facile aures praebebat calumniatoribus, et in ipsis discipulis defectus fidei firmæ adesset. Quare loquitur de generatione vel gente perversa, distorta, quæ nulla ratione ad meliorem frugem reduci possit; dum discipuli, quibus ipsa potestas miraculorum communicata erat (10, 8.) et variis occasionibus ad firmam fidem incitabantur, ob animi tarditatem reprehenduntur (cf. Knabenbauer.) — *Quousque ero vobiscum*, quousque mihi vobiscum agendum erit, ut habeatis fidem vivam et firmam, quum tanto tempore, quo apud vos sum, tam parum profeceritis? — *Usquequo patiar vos*, quamdiu feram vestram debilitatem et tarditatem? Sunt verba Christi de discipulorum animi tarditate conquerentis. — *Afferte huc illum ad me*. Dicta sunt ad omnes, qui aderant. S. Marcus (9, 19. seq.) rem fusi⁹ narrat.

¹⁾ S. Hil., Arn., Bisp.

²⁾ S. Pasch., Calm., Schanz, Knabenbauer.

V. 17. *Et increpavit illum*; alii: daemonem, qui hominem obsederat, cui suffragantur loci Marci (9, 24.) et Lucae (9, 43.); alii; aegrotum. Explicatio prior praeferenda.

V. 18. 19. *Secreto*, et quidem (coll. Marc. 9, 27.) in domo. — *Propter incredulitatem vestram*, propter defectum fidei firmæ (cf. v. 16.), quam habere eos, tamdiu cum Christo versatos, tot tantisque visis miraculis oportebat (Mald.). — *Amen dico vobis*. Verbis his rationem addit, quod defectus fidei firmæ causa fuerit, cur ipsi non possent hominem lunaticum sanare (cf. v. 20.). — *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc illuc et transibit*; si tantum fidei genuinae, vivae et firmæ habueritis, quantum est granum sinapis, ea poteritis res maximas efficere, seu: minima fide genuina viva et firma poteritis efficere res maximas. Cum dicit Christus granum sinapis et non solum sinapis, sponte sequitur, verbis his non vim et naturam, sed parvitatem esse significatam, ita ut granum sinapis sit imago rei parvae, exiguae. Quapropter falsa est interpretatio eorum, qui verbis illis hunc sensum subjiciunt: Si habueritis fidem tam ardentem, tam vehementem et efficacem, quam granum sinapis est, montes transponetis. Stante hac interpretatione etiam antithesis evanescit inter granum sinapis (rem minimam) et montem (rem maximam). — Locutio: montes transponere, i. e. loco suo dimovere et alio transferre, in libris Talmudicis significat tropice maximas res efficere, maxima miracula patrare. Ceterum h. l. loquitur Christus non de fide, virtute theologica, sed de fide miraculorum, i. e. ea fide, quae conjuncta est cum singulari quadam illustratione intellectus circa ea, quae creduntur et promissa sunt, atque cum certa fiducia impetrandi, quod petitur; quae fides est gratia gratis data.¹⁾ — *Et nihil impossibile erit vobis*, si scilicet sapientiae divinae non repugnet, si ad Dei gloriam et aliorum salutem cedat. Quum ergo docente Christo eis nil impossibile futurum sit, etiam montes ipsos transponent; sicut hoc revera factum est per s. Gregorium Thaumaturgum, qui montem fabricam templi impredientem hac fide orando alio

¹⁾ Cf. Estius in 1 Cor. 12, 9; 13, 2.

transtulit (Gregor. M. lib. I. dialog c. 7.); ex quo patet, verba illa: *montes transponere*, non esse solum tropice explicanda.

V. 20. *Hoc autem genus*, scil. daemonum. Hic nexus: Ad montes transferendos sufficit fides firma minima (quoad magnitudinem grano sinapis similis); ad expellendos autem hujusmodi daemones requiritur adhuc aliud quid, scil. jejunium et oratio (fidei supra dictae conjuncta). — *Hoc genus*. Verbis his significatur certum aliquod idque nequissimum genus daemonum, ad quod etiam pertinebat daemon, quo puer vexabatur (Mald.). Vero enim haud absimile est, dari, uti in regno bonorum spirituum, etiam in regno spirituum malorum varios gradus. Quanto major ante lapsum fuerat cujusdam spiritus potentia, cognitio et voluntatis robur, tanto major post lapsum est ejus malitia ac odium in Deum.¹⁾ — *Non ejicitur*; Marcus addit: in nullo, i. e. nulla re. — *Nisi per orationem et jejunium*, quae fidei supra dictae jungantur. Per jejunium enim caro spiritui subjicitur, per orationem autem spiritus sublevatur in Deum, et ita Deo propinquior, gratior fit, ei tandem unitur, cui nil resistere potest. Esse hic sermonem de oratione et jejunio daemones expellentis, non autem ejus, e quo ii sunt expellendi (Chrys.), docet ipse contextus. Jesus enim statim daemones expellit, quin oratio et jejunium ex parte daemoniaci antecesserint.

4. Christus mortem suam iterum praedicat (21. 22.).

(Marc. 9, 30—32. Luc. 9, 44. 45.).

V. 21. *Conversantibus eis*, versantibus Jesu et Apostolis aliquamdiu post rem gestam. — *Filius hominis*, cum emphasi: ego Messias, Dominus, creator et judex futurus omnium. — *Tradendus est*, tradetur. — *In manus hominum*, potestati et arbitrio hominum; cum emphasi: hominum, qui creaturae, mortales et peccatores sunt.

V. 22. *Et contristati sunt*, scil. discipuli. Nam, uti Marcus (9, 31) habet: *non intelligebant verbum*, i. e. non intelligebant, quomodo talia Christo evenire possent et ipse tamen Messias

¹⁾ Cf. Bisp., Reischl in Marc. 9, 28.

esset (coll. Joan. 12, 34.). Quum igitur Jesus captus et crucifixus esset, animum prorsus abjecerunt, quia omnis eorum spes de Messiano regno terreno evanuit. Inde etiam intelligitur, cur unctionem Christi per mulierem admittere poterant, et cur narrantibus Jesum surrexisse, non credebant. Cf. dicta 16, 21.

5. Stater in ore piscis (23 — 26.).

V. 23. *Accesserunt, qui didrachma acceperunt*, i. e. exactores didrachmorum. Didrachmum est numus graecus, continens dimidium sieli Judaeorum, duas drachmas atticas (vid. commentar. in Joan. 6, 7.). Numum hunc quivis Israëlitita ab aetatis anno 20. quotannis in cultus impensas templo Hierosolymitano solvere jussus erat, quem censum jam Moses (coll. Exod. 30, 13.) in tabernaculi usus impendi jusserat, sed tunc semel ad construendum tabernaculum, quin singulis annis a singulis esset solvendus. Postea rex Joas (2 Chron. 24, 6.) eum censum ob templi restorationem exigi jussit. Post captivitatem, aetate Nehemiae, factum est, ut singulis annis censum hunc solverent templo (Nehemiae 10, 33.). Etiam tempore Christi censum hunc solutum fuisse, docent Jos. Flavius (Antiq. XVIII. 9., Bell. jud. 7, 6.) et Philo (tom. II. p. 224.), qui simul referunt, etiam Judaeos extra Judaeam in Babylonia habitantes, hunc censum templo misisse. Docent rabbini, exigendi hujus census initium fuisse 15. diem mensis Adar (Febr. Martii) atque spatium hujusmodi solutioni destinatum usque ad 1. mensis Nizan (seu 14 dies ante Pascha). Et qui usque ad id tempus non solverat, veste pignore accepta cogebant numularii ad pendendum.¹⁾ — *Ad Petrum*, verosimiliter ideo, quia Petrum sciverant Christo esse multum familiarem, quum Christus Capharnaumi in domo Petri habitaret. — *Magister vester non solvit didrachma?* — Quaeritur: cur exactores tributi id interrogarent, et quidem, ut videtur, dubitanter? Juxta alios, quia putabant, ipsum semet exaequaturum esse sacerdotibus et levitis, qui a pecunia illa templo pendenda immunes erant, in qua opinione facile poterant versari ob dicta Christi 12, 6. Aliis verba haec videntur esse urbana

¹⁾ Cf. Kuin., Schegg.

provocatio ad solvendum. Ceterum numerus pluralis τὰ διδραχμα positus est primo loco ratione habita multitudinis didrachmorum, quae exactores accipiebant; altero autem loco indicat anniversariam hujus tributi solutionem. Articulus definitus, voci διδραχμα praepositus, indicat tributum lectoribus notum.

V. 24. *Ait*, scil. Petrus, uti alias praeproperus et fervidus. — *Etiam*, i. e. sane solvit tributum templi, quin perpenderet, se ita loquendo, supponere, Dominum tributi hujus solutioni obnoxium esse, atque domum ingressus est, ut Dominum de tributo solvendo admoneret. — *Cum intrasset in domum*, nimirum Petrus. — *Praevenit eum Jesus*, i. e. Jesus Petrum interrogavit prius, quam hic eum de interrogatione exactorum certiore reddere posset, quo suam omniscientiam ostendit; ergo facto talem se probavit, qui solutioni tributorum non sit obnoxius. — *Tributum* (τέλος), i. e. vectigal, seu pecunia ob importatas merces solvenda. — *Censum*; census est pecunia propter agros et in capita singula imperata (Grund- und Kopfstuer). — *Ab alienis*, ab aliis subditis, qui non pertinent ad eorum familiam. Ceterum hisce Christi interrogationibus inest levis increpatio Petri, qui tam cito affirmative responderat, quod non fecisset, si memor fuisset prioris suae confessionis, quod Jesus sit Filius Dei (16, 16.).

V. 25. *Ergo liberi sunt filii*. Christus argumentatur a minori ad majus ita: Si filii regum terrestrium liberi sunt a tributo patribus regibus pendendo, multo magis Filius regis coelestis, Filius Dei, qualis ego sum, a tributo, quod proxime templo, postremo autem ipsi Deo solvitur, immunis esse debet. Sic igitur Christus aperte docet, se esse Filium Dei vivi (coll. 16, 16.).

V. 26. *Ut autem non scandalizemus*, ne offensioni simus exactoribus iisque criminandi occasionem demus, ac si a nobis templum contemneretur. Dicit Christus in plurali: ne scandalizemus, quo loquendi modo declarare videtur, etiam Petrum, secundarium ecclesiae (novi templi Messiani) fundamentum, a tributo pendendo immunem esse.¹⁾ — *Ad mare*, ad lacum

¹⁾ Cf. Knabenbauer.

Tiberiadis. — *Ascenderit*, e profundo maris. — *Tolle*, hamo in editiorem ripam. — *Invenies*, in ore piscis. — *Staterem*. Stater est numus quatuor drachmas aequans, seu siclum Judaeorum. — *Pro me et te*, quia etiam Petrus nondum solverat. Magnum miraculum h. l. factum est; sed istud, docente Maldonato, non fuit in eo, quod sciverit Christus, quis esset ille piscis, qui in ore staterem haberet; nec in eo, quod sciverit, illum primum omnium ascensurum esse; nec in eo, quod fecerit, ut ille primus ascenderet; sed in eo, quod in illo pisce, qui primus ascendit, staterem ipse solo verbo formaverit. Nam non solent pisces, si quando staterem aut aliam pecuniam deglutiant, eam in ore habere, sed in ventre.

Caput XVIII.

1. Christus Apostolis humilitatem commendat, eosque, ut a scandalis caveant, hortatur (v. 1—14.).

(Marc. 9, 32—50. Luc. 9, 46—50; 17, 1. 2.).

V. 1. *In illa hora*, illo tempore, quo Christus post illud patratum miraculum adhuc in domo Petri Capharnaumi moraretur. — *Accesserunt*. Videtur s. Marcus repugnare, dum refert (9, 32. seq.), discipulos in via, Capharnaumum ducente, de hac quaestione disputasse, deinde domi Christum eos praevenisse et interrogasse, quid in via tractassent. Difficultas haec facile removetur, si dicamus, discipulos, qui, quum Petrum repetitis vicibus prae ceteris a Christo honore ornatum vidissent, et filios Zebedaei, qui, exclusis reliquis, Dominum in montem sequerentur, post Petrum sibi praeferri observassent, ad contentiorem in via, quisnam sit major, provocati sunt, domi ad Christum accessisse, eo consilio, ut ipsum hac de re interrogarent. Quum autem Christus interrogatione sua: *quid in via tractastis* (coll. Marc. 9, 32.) eis significasset, se scire eorum cogitationes contentionesque, ei ultro rem aperuerunt et quaestionem inter se agitatam Christo resolvendam proposuerunt (a Lap.). Alii rem ita explicant, dum dicunt, Matthaeum (uti saepe alias)

brevitatis studiosum, hanc quaestionem non proposuisse, sed dixisse, discipulos haec interrogasse, quod cogitationibus suis, quae Domino erant cognitae, ea interrogarent (Knabenb.). — *Quis putas* (τίς ἄρα), quis igitur? — *Major*, scil. dignitate et auctoritate ceteris; seu maximus dignitate et auctoritate in nobis Apostolis. — *In regno coelorum*, in regno Messiano, quod tu condis. Interrogatio haec ostendit, etiam Apostolos, uti ceteros Judaeos, falsam de terreno Messiae regno fovisse opinionem, antequam a Spiritu s. collustrarentur.

V. 2. *Et advocans parvulum*. Nicephorus (H. E. 2, 35.) refert, hunc fuisse s. Ignatium martyrem. Juxta s. Marcum Christus eum *in ulnas recepit*; qua actione symbolica ostendere voluit, admodum carum sibi esse ingenium modestum, simplex et candidum, alienum ab arrogantia et fastu, quale esse solet ingenium parvulorum. — *Statuit eum in medio eorum*, inter eos, ut oculi omnium in eum figerentur et jam parvuli aspectus eos doceret.

V. 3. Sensus est: Nisi mores vestros mutetis, sitisque modesti et humiles, alieni ab omni arrogantia et fastu, verbo: pauperes spiritu (5, 3.), quales sunt parvuli, nulla vobis regni mei Messiani (ecclesiae), ejusque honorum pars futura est. Nam, ut quis in regnum Messianum (in ecclesiam) admitti possit, debet credere, debet mysteria, rationi humanae impervia, fide amplecti; ad hoc praestandum opus est humilitate.

V. 4. Sensus: Qui se reddiderit modestum et humilem, sicut est parvulus hic (seu: qui perfecte fuerit humilis), hic erit (ἔσται pro ἔσται) ille major dignitate in regno coelorum, de quo me interrogatis. Est conclusio ex immediate praegressis.

V. 5. *Et qui susceperit unum parvulum talem*. Nonnulli interpretes ¹⁾ ob loca Marci et Lucae per parvulum talem intelligunt parvulum aetate, qualis inter ipsos stabat, hoc sensu: Tam cara mihi est indoles, qualem parvuli prae se ferunt, ut si quis hujusmodi puero beneficium aliquod praestiterit. Alii ²⁾ verba illa interpretantur de parvulis figuratis, qui moribus nimirum, simplicitate, innocentia et humilitate parvuli sunt.

¹⁾ De Wette, Berl., Arnoldi.

²⁾ Chrysost., Jans., Kuin.

Sed praeferenda est explicatio eorum ¹⁾ qui Cornelium a Lapide secuti, per parvulum talem intelligunt cum parvulum aetate, tum moribus, i. e. parvulo similem simplicitate, innocentia et humilitate, cui suffragatur antithesis versus sequentis. Christus nimirum ex aspectu parvuli stantis inter medios Apostolos, occasionem sumit, discipulos suos adhortandi, ut prospiciant parvulis tum aetate, tum moribus. — *Susceperit*; h. l. non solum sumendum significatu: hospitio excipere, sed: quovis charitatis et benevolentiae genere prosequi, ergo idem ac: benignum se exhibere quolibet auxilio et favore, praeprimis in fide et pietate (ob sequens *scandalizaverit*). — *In nomine meo* (ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου) ratione habita nominis mei, propter me, seu: quia parvulus nomen meum profitetur, in me credit. — *Me suscipit*, quia Jesus in suis vivit et pauperes spiritu, humiles, praecipue electa sunt gratiae ejus vasa. Imo juxta Marcum (9, 36.) talis ipsum Patrem coelestem excipit seu beneficium praestat (cf. 10, 40.). Cf. Marc. 9, 36. seq.

V. 6. Nunc loquitur de contrario, detestatus eos, quicunque talem quemdam parvulum scandalizaverint. — *Scandalizaverit*, auctor fuerit dicto, facto vel exemplo, ut moraliter labatur, a fide vel probitate deflectat. — *Unum de pusillis istis*. Per pusillos (μικρούς) h. l. sunt intelligendi iidem ac antea per: talem parvulum, nimirum parvuli aetate et moribus (figurati). — *Expedi ei*, conducit ei. — *Ut suspendatur mola asinaria in collo ejus*. Mola asinaria (μύλος ἀσινᾶς), i. e. lapis molaris molae majoris, quales non manibus hominum, sed asinis movebantur. — *Et demergatur in profundum maris*, et demergatur in loco maris, ubi profundissimum est. Submersio in mare erat supplicii genus non quidem apud Judaeos, sed apud Phoenices, Syros, Graecos et Romanos usitatum, ideo etiam Judaeis notum. Sensus est: Quicunque uni horum parvulorum auctor existit, ut ille vel a fide vel a probitate deflectat, conducit ei, ut in altum mare projiceretur et ita e conspectu hominum submoveretur. Hoc mortis genere gravitas facinoris, quae in scandalo sita est, ad vivum exprimitur. Particula ἵνα h. l. ut 5, 29. cum verbo finito posita, more Hellenistarum pro accusativo cum infinitivo.

¹⁾ Schegg, Reischl, Bisp.

V. 7. *Vae mundo a scandalis.* Per mundum non sunt intelligendi homines, qui sunt auctores scandalorum, sed homines in mundo viventes, quibus aliorum malitia et sua fragilitate tot occasiones peccati impendent. Per scandala intelligenda sunt hic facta vel dicta omnia, quibus alii ad peccata adducuntur. Nam scandalum, docente Thoma Aq., est dictum vel factum minus rectum, praebens occasionem ruinae. — *Necesse est enim, ut veniant scandala*, non absolute (secus enim imputari et puniri non possent), sed necessitate consequentiae, ob hominum perversitatem, malitiam, pronitatem ad malum. Ita et Paulus (1 Cor. 11, 19.) dicit: „*Oportet et haereses esse.*“ Particula enim (γὰρ) reddit causam verborum: a scandalis. — *Verumtamen vae homini illi, per quem scandalum venit*, quia homo, etiamsi, spectata hominum perversitate, scandala veniant necesse sit, non cogitur, ut scandalum det. Per pluralem: scandala indicantur scandala in universum; per singularem: scandalum, certum quoddam scandalum. — In verbis: *vae mundo*, est οὐαί interjectio dolentis et commiserantis; in verbis: *verumtamen vae* ... autem interjectio comminantis.

V. 8. 9. Versibus his docet Christus, quam sedulo occasio ruinae sit praecavenda et quanta animi firmitate sit amovenda, ita ut carissima quaeque abjiciantur necesse sit, si causae peccatorum existant. Vid. 5, 29. 30. — *Bonum tibi est, quam* (καλὸν ἐστὶν . . ἢ). Positivus καλὸν sequente particula ἢ comparativi loco adhibitus est. Solet id apud Graecos fieri, quando duas diversas constructiones attrahendo in unam confundunt. Matthaei sententia h. l. ita esset exprimenda: utile est tibi, claudum te aut mutilum vitam aeternam ingredi, (et utilius), quam etc. . .¹⁾ Alii ἢ considerant ut particulam, quae comparisonem supponit et efficit, uti simili modo apud 70 legitur; v. c. Ps. 117, 8. »bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine«. S. Marcus (9, 43. 45. 47.) addit verba ex Jesaia (66, 24.) repetita: „*Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur*“; quibus verbis designantur poenae improborum perennes in altera vita sustinendae (Mald.).

¹⁾ Cf. Beelen gram. p. 248., Berl.

V. 10. Versus 7—9. constituunt digressionem; v. 10. revertitur Jesus ad rem primariam (v. 6.), parvulos (aetate et moribus), non tantum non esse scandalizandos, sed ne contemnendos quidem, potius fovendos. — *Pusilli*, sunt iidem ac v. 6. — *Dico enim vobis, quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei.* Verba haec continent primam rationem, cur parvuli non sint contemnendi, quia angeli Dei in eorum custodiam seu tutelam eis dati sunt, hinc, quia semper, etiamsi mittantur et coelo exeant, quum Deus ubique praesens sit, eorum advocati et scandalizantium accusatores esse possunt. Phrasis: faciem Dei videre, desumpta est a regibus Orientis, quorum ministri, quum raro se conspiciendos praebere solent, dicuntur videntes faciem regis (Esth. 1, 14.), aut stantes coram facie regis (3 Reg. 10, 8.). Juxta alios verbis his designantur angeli supremae dignitatis (Chrys.). Alii vero, quia, visione beata Dei frui, omnibus competit angelis, dicunt, verbis his exprimi, ut nos perspecta angelorum dignitate et beatitate, intelligamus, qualis honor et amor a Deo pusillis impendatur (Knabenbauer). Addita verba: in coelis, docent, sermonem esse de bonis angelis, coelum inhabitantibus. Hoc loco et duobus aliis N. T. (Act. 12, 15. Hebr. 1, 14.) nixi theologi et Patrum doctrina docent, hominibus datos esse a Deo angelos in tutelam, seu dari angelos custodes. Ceterum jam scriptura A. T. docet, dari angelos singulis regnis et personis praepositos (Dan. 10, 13. Ps. 33, 8.). Utrum autem singulis hominibus, etiam infidelibus et impiis, an tantum fidelibus et justis, a Deo detur angelus custos, ex hoc loco non potest erui, quum h. l. sit tantum sermo de angelis custodibus parvulorum.¹⁾

V. 11. Versu hoc novam Christus addit rationem, cur parvuli non sint contemnendi, nimirum quod ipse omnes homines salvaturus, etiam propter eorum salutem venisset e coelo in terram. Contemptus eorum in me, qui eos summi feci, ut pro salute eorum sanguinem meum effunderim, cadit (cf. 9, 12.). — *Quod perierat*, quod perditum erat. Neutrum universalitatem nervosius exprimit, hoc sensu: omnes omnino

¹⁾ Cf. Peronne praelect. theol., Schwetz theol. dogm.

homines, seu totum genus humanum. Ceterum versus hic deest in quibusdam codicibus (B. L. 1. 13. 33.), versionibus et Patribus, quapropter nonnulli (Kuin., Lachm., Tischend.) putant, eum e Luca (19, 10.) huc translatum esse. Sed si ex Luca desumptus fuisset, non intelligitur, cur etiam verba: quae errere et (ζητῆσαι καὶ) ante salvare (σῶσαι), huc non fuerint translata. Attamen longe major pars testium verum hunc genuinum habet; imo verbum ἀπόλλεται (pereat) v. 14. respicit ad vocem ἀπολωλὸς (quod perierat) versus nostri.

V. 12. Per parabolam hanc quasi oculis subjicitur Christi affirmatio (v. 11.), nimirum Filium hominis venisse, ut salvet, quod perierat. Parabola haec legitur etiam apud Lucam (15, 4.), sed alia occasione et ad alium finem proposita, nimirum ad significandam gratiam praevenientem et concomitantem, quam Deus peccatori dat. — Verbis: *quid vobis videtur*, excitat Christus auditores, ut ex sequentibus ipsi colligant, verum esse, quod antea (v. 11.) dixerat.

V. 13. *Gaudet magis, quam super nonaginta novem, quae non erraverunt.* Non est sententia, magis diligi aut pluris fieri unam ovem inventam, quam multas nunquam perditas; nam habitu magis gaudet pastor super 99 ovibus quam super una, illasque pluris facit, quam unam; actu tamen hic et nunc magis gaudet super una, quae erraverat, reperta, tum quia homines de novis ac felicibus fortunis magis solent laetari, quam de veteribus, etiam majoris momenti; tum quia gaudium animi de hac ove inventa propter oppositam animi tristitiam ex ejusdem perditione conceptam, magis sentitur, quam illud, quod animo inhaeret de ceteris simul omnibus (Franc. Luc.).

V. 14. *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum* i. e., sicut non est voluntas illius hominis, ut una de ovibus suis pereat, ita et non est voluntas Dei, ut unus de pusillis istis (coll. v. 6.) pereat, nimirum morte aeterna, seu ab aeterna excludatur beatitudine. (Apud Lucam 15, 7. est alia res tertium comparationis.) Respectu verborum: *voluntas ante Patrem vestrum*, vid. 11, 26. Consideratur in hac expressione voluntas (decretum) Dei, tanquam aliquid, quod ante oculos Dei propositum et ideo fixum sit. Nonnulli codices loco εἷς (unus) legunt

ἐν (τῶν μικρῶν), qua lectione stante adhuc imago ovium tenetur. Varias Patrum hujus parabolae explicationes affert Cornelius a Lapide.

2. De fraterna correptione (15—20).

V. 15. Sequentia cum antecedentibus cohaerent ita: Sicut Deus (coll. v. 14.) non vult, ut unus ex parvulis pereat, potius eum, qui erravit, peccando eumque offendendo, quaerit, ut eum ad suum reduceret gregem — ita etiam christianus proximum suum, qui eum laesit, fraterna correptione lucrari studeat oportet. — *Peccaverit in te*, injuria te affecerit. Verba haec h. l., uti v. 21. docet, tantum de peccatis contra nos intelligenda sunt; quo tamen non negatur, ea etiam ad quodlibet peccatum, etiam in alios, ipsumque Deum commissum extendi posse. Nonnulli interpretes¹⁾ verba: in te (ἐν σέ), quia codices Aleph, B. et nonnulli minusculi ea non habent, non genuina esse affirmant et censent, doctrinam proponi de peccatis in universum. — *Frater*, i. e. proximus, sed h. l. ob v. 17. christianus. — *Vade*, ne exspectes, usque dum, qui te laesit, sua sponte ad te veniat, culpam agnoscat veniamque petat. — *Corripe eum*, graviter eum admone. — *Inter te et ipsum solum*, praesens tu solus cum illo, ut parcas pudori (Aug.), quum alias praeter necessitatem pudore affectus, facile abjecta omni verecundia pejor fieri posset. Male nonnulli (Fritschius) vocem solum (μόνον) conjungunt cum sequentibus. — *Si te audierit*, si monitis tuis paruerit, sive ut Lucas habet, resipuerit. — *Lucratus eris fratrem tuum*, lucratus es fratrem tuum regno Messiano, saluti (aeternae), cujus alias expers factus fuisset.

V. 16. *Si te non audierit*, si secretam monitionem tuam respuerit. — *Adhibe unum vel duos*. Hoc ideo Christus praecipit, ut corrigens illum, qui peccavit, testibus simul suadentibus, facilius de peccato convincere eique emendationem persuadere posset; et ut, si postea res ad ecclesiae forum delata fuerit, illi sint testes, qui idipsum ecclesiae (judicibus ecclesiasticis) attestentur (a Lap.). — *Ut in ore duorum vel trium testium*, ut ex testimonio duorum vel trium testium. — *Stet*,

¹⁾ Thom., Calm., Schegg, Schanz., Knabenbauer.

stabiliatur, seu dijudicetur. — *Omne verbum*, quaevis causa (Klage). Postulabat nimirum lex Mos. (Deut. 19, 15.) duos vel tres testes in causis dirimendis. Jam mandatum hoc Christus suum fecit. Hic est secundus correptionis gradus.

V. 17. *Dic ecclesiae*, iis, qui ecclesiam regunt et gubernant, praesidibus ecclesiae, vel ecclesiae, quae per praesules repraesentatur, scil. per caput ecclesiae et reliquos Apostolos, et per eorum legitimos successores (v. 18.). — *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, cum tali, qui ecclesiam contemnit, omne fuge commercium, seu eum ab ecclesia exclusum considera. Loquitur h. l. Jesus Judaeorum cogitandi et loquendi consuetudini convenienter, qui, cum homines perditos et flagitiosos notare vellent, eos nominabant gentiles et portitores, quorum hominum consortio se pollui credebant. Hoc autem, uti ait Maldonatus, Christus duabus de causis fieri jubet; et ut, qui ejusmodi sunt, cum se alienatos ab ecclesia (excommunicatos) viderint, resipiscant (coll. 1 Cor. 5, 5. *ut spiritus salvus fiat*), et ne (fideles), qui sani sunt, eorum consortio contagionem trahant.

V. 18. Sensus est: Merito vos (Apostoli vestrique successores) ut ecclesiae antistites, talem hominem communione ecclesiastica privare (a fidelium communione sejungere, seu excommunicare) potestis; nam vobis in ecclesia data est potestas ligandi et solvendi, hinc et excommunicandi et ab excommunicatione absolvendi. De verbis ligare et solvere, quae h. l. speciatim significant potestatem judicalem, peccatorem obstinatum excommunicandi, et eum, si resipuerit, iterum in ecclesiam recipiendi, vide dicta 16, 19. Usus hujus potestatis reperimus in s. Paulo (1 Cor. 5, 6. 13; 2 Cor. 2, 6. 7.).

V. 19. Varius verborum hujus versus cum praecedentibus statuitur nexus. Praeferenda est sententia eorum, qui dicunt, verba haec spectare ad immediate antecedentem sententiam (quod jam vox *πάλιν*, iterum, innuit), ita ut verbis hujus versus sententia antecedens confirmetur propositione universali, hoc sensu: Non solum potestatem ligandi et solvendi habetis a me, ita ut, quaecunque ligaveritis aut solveritis super terram, rata futura sint et in coelo; sed etiam vobis promitto, fore, ut quidquid duo ex vobis communi consensu petant, consequantur

(Franc. Luc.). — *Iterum*, i. e. sicut dixi, quaecumque ligaveritis . . . ita etiam profecto dico, quodcumque duo petant . . . Lectio συμφωνήσουσιν (in futuro) ob argumenta externa et interna praeferenda est conjunctivo συμφωνήσωσιν. Ceterum adest in verbis v. 19. attractio, qua sublata dicendum esset: fore, ut quaevis res (ὅτι πᾶν πρᾶγμα), si duo ex vobis consentiant super terram de eo, quod (a Deo) petunt, vobis contingat.¹⁾

V. 20. Versus hic rationem reddit, cur quidquid duo communi consensu a Deo petant, impetraturi sint, quia ipse in medio eorum est, et quasi ipsorum ore pro illis loquitur — *In nomine meo*, mei intuitu, mei amore, nil nisi me et meam gloriam quaerentes (Chrys., Euthym.). — *In medio eorum*, ut nimirum eorum petitionem adjuvem. Conf. Rom. 8, 26. Quisquis, etiam minimus christianorum coetus, Christi causa congregatus, repraesentat unitatem totius ecclesiae; sicut Christus perpetuo ecclesiae gratia sua praesens est, ita etiam praesens est parvo fidelium coetui; etiam hi accipiunt, quaecumque in nomine ejus petunt. Inde intelligitur pretium precum communium alicujus parochiae, dioeceseos, totius ecclesiae. Porro ex hoc loco recte dogmatici probant conciliorum auctoritatem, quae in nomine Christi ad ejus fidem, gloriam, ubique augendam et propagandam congregantur (cf. a Lap.).

3. De condonandis injuriis (21—35.).

V. 21. Quum Christus supra (v. 15—17.) dixisset, fratri peccanti, si de peccato vincatur et poenitentiam agat, condonandum esse, Petrus modum veniae scire cupiens, interrogat Christum quoties condonandum sit. — *Quoties peccabit in me frater et dimittam ei?* quoties, si in me frater peccaverit, ei veniam concedam? Est enim dictum ex Hebraeorum loquendi modo, qui interdum duo verba finita per copulam καὶ (et) tam arcte conjungunt, ut primum verbum logice tanquam participium sumendum sit. Graece ita dicendum esset: ποσάκις τῷ ἀμαρτήσαντι εἰς ἐμέ ἀδελφῷ ἁφήσω.²⁾ — *Usque septies?* Hunc numerum pro-

¹⁾ De attractione vid. Beelen gram. p. 513. 161.

²⁾ Beelen gram. p. 383.

tulit Petrus, quia, cum scivisset, doctores Judaicos docere, peccanti solummodo ter esse condonandum, putabat, satis fore, si numerum doctorum Judaicorum plus quam duplicasset. Alii putant, numerum septenarium a Petro esse selectum, quia toties in s. libris commendetur.

V. 22 *Non dico tibi: usque septies*, i. e. non hoc tibi do praeceptum, quod septies, scil. sit venia concedenda. Ita (cum Vulgata), non vero cum quibusdam hoc modo est interpungendum: non, dico tibi, septies, i. e. non ad septies tibi affirmo. — *Sed usque septuagies septies* (ἐβδομηκοντάκις ἑπτὰ). Tam graece quam latine potest id dupliciter intelligi. Vel ut septies (ἑπτὰ) sit tantum additio ad septuagies, ut sit idem quod septuagies et septies (i. e. 77 vicibus), prouti Originem et s. Augustinum secuti, multi ¹⁾ accipiunt; vel ut septies multiplicet primum numerum (septuagies), ergo 490 vicibus, uti Hieronymum secuti nonnulli ²⁾ explicant. Videtur tamen prior explicatio praeferenda esse. Stante hac explicatione (priori) graece quidem esse deberet: ἐπτά καὶ ἐβδομηκοντάκις aut ἐβδομηκοντα ἑπτάκις; ast sine dubio Christus, qui numerum veniae a suis dandae opponere voluit numero vindictae, qualis fuit in genere humano non redempto, quod attinet ad numerum augendum (jam docente Hilario) respexisse censendus est illud Mosaicum (Gen. 4, 24.): »Si Cainus septies est ulciscendus, in Lamecho id fiet septies et septuagies«. Quae hebraica verba 70 interpretes (quos Matthaeus secutus est) reddunt: ἐβδομηκοντάκις ἑπτὰ, posito numero cardinali ἑπτὰ pro adverbio numerali ἐπτάκις, et omissa copula καὶ, quamquam in hebraicis legitur. Ceterum utrovis modo acceperimus, significatur, toties, quoties peccaverit frater, esse ignoscendum. Nam ponitur numerus finitus (certus) pro infinito (incerto), pro innumeris vicibus.

V. 23. *Ideo, quia toties, quoties frater peccaverit, ignoscendum est.* — *Assimilatum est regnum coelorum homini regi*, idem in regno coelorum accidit, ac si rex quidam humanus rationem cum ministris suis conferre coepisset (cf. 13, 45.). Vox homini addita est, quia coelorum rex (divinus) comparatur cum rege

¹⁾ Berl., Arnoldi, Bisp.

²⁾ Erasmus, a Lap., Calm., de Wette, Schegg, Reischl, Schanz, Knabenbauer.

humano. — *Servis*, ministris, qui quibusdam redditibus praepositi erant. Dicuntur autem servi ex more populorum orientalium, qui omnes regis, utpote despotae, ministros vocabant *servos*.

V. 24. *Rationem ponere*, συναίρειν λόγον, rationes conferre. — *Oblatus est*; videtur Vulgata legisse προσήχθη, sed praeferenda est (cum Lachm. et Tischend.) lectio προσήχθη (προσέχγω), adductus est. Sensus non mutatur, sive una, sive altera teneatur lectio. — *Unus*, quidam debitor. — *Decem millia talentorum*, ingentem pecuniae summam. Numerus rotundus (10000 tal.) positus pro ingenti pecuniae summa. Nonnulli putant, Christum, quum sermo sit ad Judaeos, loqui de talento judaico, quod valebat circiter 4500 floren. val. austr.; sed quum in sequentibus (v. 28.) fiat sermo de denario, non autem de siclo (numo Judaeorum), praeferenda est sententia eorum, qui h. l. cogitant de talento attico, qualia in provinciis romanis in usu erant. Talentum atticum valebat 60 minas, 1 mina valebat 100 denarios, ergo 1 talentum aequabat 6000 denar. vel circiter 2100 floren. val. austr.

V. 25. *Unde redderet*, nimirum pecuniam interversam. — *Jussit eum venumdari*. E legibus Hebraeorum (Exod. 22, 3. Lev. 25, 35. coll. 4 Reg. 4, 1.) liberi homines unacum uxoribus et liberis, ubi solvendo non essent, fiebant servi creditorum. — *Reddi*, pecuniam ex venditis bonis (debitoris) comparatam.

V. 26. *Patientiam habe in me* (μακροθύμησον . .), mihi indulge. — *Omnia reddam*. Loquitur minister hic more obaeratorum, qui, quum a creditoribus urgentur, plus promittunt, quam praestare possunt.

V. 27. *Dimisit eum*, scil. liberum. — *Et debitum dimisit ei*; ergo non tantum, quod petiit, ei concessit, sed et totum debitum immensum dimisit ei, quin id petiisset.

V. 28. *Centum denarios*, perexiguum debitum (respectu debiti dimissi). *Denarius* valebat circiter 35 cruciferos monetae austr. — *Suffocabat eum*, fauces ejus premebat. Licitum erat ex jure Romanorum creditori, debitorem, ubicumque eum invenerit, prehendere et sua manu, obtorto etiam collo, ad judicem deducere (in jus rapere); quam juris consuetudinem Jesus h. l. respexisse videtur. — *Quod debes*, ὃ, τι ὀφείλεις, uti textus receptus

et nonnulli codices minusculi habent. Sed lectio εἴ τι ὀφείλεις, si quid debes, cum plurimis et optimis codicibus praeferenda est. Nonnulli jam hanc loquendi rationem explicant ex Graecorum urbanitate, qui amabant aliquid incerte proponere; sed haec urbanitas vix huic servo erat. Alii, quia dubium aderat, utrum ipsi conservus debeat; ast huic obstat certa summa 100 denariorum. Optima est explicatio Meyeri, qui εἰ logice, verbum ἀπόδος (redde) autem emphatice sumit, hoc modo: Scias oportet, tibi solvendum esse, si quid debeas.

V. 29. *Patientiam habe in me et omnia reddam tibi.* Iisdem verbis postulat conservus a servo sibi dimitti debitum, quibus ipse a domino postulaverat et misericordiam imploraverat.

V. 30. 31. *Noluit*, indulgere, seu clemens erga eum esse. *Contristati sunt*, scil. de tanta inhumanitate et crudelitate.

V. 32. *Serve nequam*, male. Ita eum vocat ob immisericordiam ejus erga conservum.

V. 33. Sensus est: Misericordia a me tibi exhibita debebat tibi esse stimulus et mensura misericordiae conservo tuo exhibendae.

V. 34. *Tradidit eum tortoribus* (βαρυσταῖς). Quum rex h. l. non jure creditoris, sed jure judicis agit, tenenda est explicatio eorum, qui vocem βαρυσταῖς exponunt de tortoribus (non vero de carceris custodibus), et quidem tanto magis, quia significantur cruciatus et poenae in gehenna perpetuae.

V. 35. *Sic*, uti rex ille in parabola. — *De cordibus vestris*, ex animo, vere, sincere (non solum ore).

In hac parabola rex est Deus; debitor 10000 tal. est homo, qui contra Deum multa graviaque commisit peccata, quibus contraxit debitum insolubile ideoque promeruit aeternam damnationem. Si jam hominem poeniteat peccatorum commissorum atque veniam a Deo petat, remittitur ei propter merita Christi a Deo debitum (omnis peccatorum multitudo ac magnitudo et poenae aeternae); si autem homo alteri homini offensam in se commissam condonare nolit, ergo odium in fratrem et inimicitias servet, Deus propter ejus inhumanitatem ac immisericordiam severissime eum judicat et in aeternum punit. Cf. 6, 12. 14. 15.

Caput XIX.

1. Iter Hierosolymam (v. 1. 2.).

(Marc. 10, 1.).

Inde a v. 12. capitis 4. evangelista locutus est de activitate Christi in Galilaea; hocce capite incipit delineare ultimum Christi iter Hierosolymam factum, eventus sermonesque, qui cum illo erant conjuncti. Ast iter hoc minime immediate eventus capite praegresso descriptos excipit; inter sermones enim Christi proxime relatos interque iter, de quo nunc fit mentio, interjacet spatium dimidii anni, quo Jesus bis Hierosolymam profectus est. Primo ivit mense Octobri (a. 782. post U. C.) ad scenopegiam agendam (coll. Joan. 7, 10. Luc. 9, 51.); dein post festum reversus est in Galilaeam. Alterum iter factum est mense Decembri (eiusdem anni) ad encaenia agenda (coll. Joan. 10, 22. Luc. 13, 22.). Inde discessit in regionem, ubi Joannes primo baptizaverat (coll. Joan. 10, 40.); postea venit Bethaniam prope Hierosolymam ad Lazarum in vitam resuscitandum (coll. Joan. 11, 1. seq.); inde aufugit, quia vitae ejus insidiae struebantur, in civitatem Ephraem in septemtrionali Judaea, ad fines Samariae sitam (coll. Joan. 11, 54.), atque inde ultimum iter fecit Hierosolymam, et quidem (coll. Luc. 17, 11.) per Samariam profectus est in Galilaeam, et hujus partem aliquam transgressus, abiit trans Jordanem in Peraeam, atque per hanc regionem versus austrum profectus in regione Jerichuntis Jordanem transeundo venit Hierosolymam mense Aprili a. 783. post U. C.¹⁾

V. 1. *Et factum est*; qua locutione, uti alias (7, 78; 11, 1; 13, 53.) declarat se ad alia transire. — *Sermones istos*, in capite 18. relatos. — *Trans Jordanem*; verba haec pertinent ad vocem *venit*, i. e. peragravit regiones Peraeae trans Jordanem positas usque ad fines Judaeae, a qua per Jordanem separabantur, quem dein transiit.

V. 2. *Secutae sunt eum turbae*, non tam ex Galilaea (ibi enim voluit iter suum latere, uti Marcus et Joannes narrant), quam

¹⁾ Cf. Patrit. III, 498. Friedlieb Geschichte des Lebens J. Ch.

ex aliis regionibus, quas pertransibat, vel quae vicinae erant; secutae sunt autem, ut eum praedicantem audirent et ab eo aegroti eorum sanarentur. — *Ibi*, nimirum in regione trans-jordanensi, in Peraea; noluit enim cum tanta populi turba Hierosolymam ingredi, ne pharisaeorum animos jam sibi necem machinantes magis irritaret, neve eis occasionem daret, accusandi se de commotione et seditione populi excitata, sicut postea illi coram Pilato objecerunt (a Lap.).

2. De matrimonio et virginitate (3—12.).

(Marc. 10, 2—12.).

V. 3. *Homini*, viro, marito. — *Accesserunt pharisaei*, dum adhuc Jesus in Peraea morabatur. Audire scil. volebant pharisaei a Christo, quam de divortio teneat sententiam, quum multa ac diuturna tunc inter scholam Schammai et scholam Hillel hac de re esset disputatio. Vid. dicta 5, 32. — *Tentantes eum*. Hisce indicat evangelista, quaestionem fuisse malo consilio propositam; putabant enim, Christum, quomocunque responderet, alterutram illarum scholarum infensam sibi redditurum esse. Malitia vero haec tanto major apparet, quia quaestionem istam Christo proposuerunt in ditione Herodis Antipae, cujus conjugium cum Herodiade Christum, severum morum censorem, aequae ac Joannem Bapt. reprehensurum, et ideo etiam similem sortem tristem sibi paraturum esse putabant.

V. 4. Christus nec affirmative (assentiendo Hillel), nec negative (assentiendo Schammai) malignis illis respondet, sed remittit eos ad s. scripturam, in qua voluntas Dei respectu matrimonii manifestata est. — *Non legistis*, scil. in libro Geneseos (1, 27.). — *Vos*, qui de legis scientia gloriimini. — *Qui fecit*, scil. hominem, (v. 5.) qui creavit hominem, seu creator hominis, Deus. H. l. ποιῆν notat creare. — *Ab initio*, a prima hominis creatione. Verba haec nectenda sunt cum verbis subsequentibus; Christus enim efferre vult, quid a prima hominis creatione factum fuerit. — *Masculum et feminam fecit eos*, creavit homines in gemino sexu, unum marem, alterum feminam, in arctissimam et perpetuam vitae communionem, qui mutuo se appetunt et perficiunt (Aug.). Quum Deus in ipsa

creatione masculinum et feminam fecit, jam hac sola sexuum significatione Creatoris intentio matrimonii declaratur. — *Eos*; respicit ad vocem antecedentem: hominem (ἄνθρωπον), quae ibi ob locum Geneseos supplenda (uti Vulgata facit) et collective sumenda est; ergo eos = homines. — *Et dixit*, nimirum Creator hominis, seu Deus, et quidem per os Adami, tanquam prophetae divinitus inspirati; nam in Genesi (2, 24.), unde verba sequentia (v. 5.) deprompta sunt, non Deus, sed Adamus loquitur, qui, cum esset sine patre et matre, visa Eva, in extasi, spiritu Dei afflatus, verba haec protulit, quibus significatum est mysterium matrimonii, sui naturalis cum Eva, et mystici, Christi cum ecclesia.

V. 5. *Propter hoc*. Verba haec respiciunt ad verba immediate antecedentia, quae Adamus, visa Eva, protulit: „*Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea; haec vocabitur virago* (הַזָּכָה), *quia de viro* (זָכָה), *sumpta est.*“ Dein prosequitur Adamus, uti hic legimus: propterea (ἐνεκεν τούτου), quia nimirum femina secundum corpus ex viro formata erat, ambo initio unum erant, utpote ex una carne, et in viro et in femina appetitus adest naturalis, ut iterum unum fiant, dimittet homo . . . Dum in loco Geneseos (2, 23.) ipse modus creationis Evae clare assignatur, Christus solam enunciat creationem hominis in gemino sexu. — *Dimittet homo patrem et matrem*, homo omnia vincula, etiam illud, quo liberi cum parentibus conjuncti sunt, rumpet, seu discedet a parentibus sibi carissimis, a quibus discedere nulla alia re permoveri poterat. — *Et adhaerebit uxori suae*, (κολληθήσεται τῇ γυναίκι), et firmissimo arctissimoque vinculo uxori suae se junget. Verbum κολλάω (ακόλλα glutinum) eleganter positum est ad significandam firmissimam arctissimamque mariti et uxoris conjunctionem (unionem). — *Et erunt duo in carne una*. In textu hebraeo non legitur numeralis vocula duo (δύο), quam habet versio septuagintaviralis, ibi tantum legitur: *et erunt in carnem unam*; sed contextus eam postulat, quapropter etiam in omnibus N. T. locis legitur. Septuaginta versio voculam istam expressit ad ostendendam monogamiam, quae alias in V. T. non legitur verbis clavis expressa. Verba: ἔσονται εἰς σάρκα μίαν sunt hebraismus pro ἔσονται οἱ δύο σὰρξ μία (erunt hi duo una caro). Sensus est: Et

mas et femina, qui, antequam unus homo in duos sexus disjungeretur, secundum corpus erant unum, iterum in matrimonio secundum corpus fiunt unum, unum quasi corpus (coll. 1 Cor. 6, 16.), per corporum unionem, quia unum principium integrum ad finem matrimonii constituunt. Unde Victor Antiochenus (in Marcum) scribit: »Ex una radice facti ambo, in unum rursus corpus conveniunt ambo, scil. ipsa corporum commixtione et unione, per quam fiunt ex duabus carnibus una caro.«¹⁾ Recte plerique inferunt, in creatione unius viri et unius mulieris etiam monogamiam declarari.

V. 6. *Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Verba haec sunt conclusio sponte sequens ex verbis: et erunt duo in carnem unam. — *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet,* quod ergo Deus primitiva creatione (quod initio rerum geminum sexum mutuo se appetentem et complementem creaverit), et effato illo scripturae (v. 5.) arctissime conjunctum, nec dissolvendum esse monstravit, id nullus hominum separet. Sic Christus ad neutram litigantium partem accedens, rejicit divortium, quum illud repugnet divinae de matrimonio ideae, docens simul matrimonii indissolubilitatem. Vox homo, cum sit opposita Deo, habet h. l. maxime universalem significationem, ita ut notet: nullus homo, sive uxor, sive judex, sive quilibet legislator. Ceterum recte observat Maldonatus: »Non dixit: quos (ὧς) Deus conjunxit, sed quod (ὅ) Deus conjunxit, ut non tanquam de duobus, sed tanquam de uno corpore loqueretur, quia paulo ante dixerat: itaque jam non sunt duo, sed una caro“.

V. 7. *Dicunt*, nimirum pharisaei bene intelligentes, Jesum omne divortium illicitum declarare. — *Illi*, Christo. — *Quid ergo Moses mandavit dare libellum repudii et dimittere?* i. e. si res ita se habet, uti tu exposuisti (quod scil. divortium omnino repugnet divinae de matrimonio ideae), quid sibi volunt, quae Moses praecepit, nimirum dare libellum repudii et dimittere (Deut. 24, 1.); nonne haec libelli datio supponit permissionem divortii? Verbis his Christo quasi exprobrare volunt, ac si in leges a Mose sancitas deliquerit, docendo, ma-

¹⁾ Cf. Estius in 1 Cor. 6, 16.

ritis omnino esse vetitum, ne uxores repudiando matrimonia solverent. De libello repudii vid. 5, 31.

V. 8. *Quoniam* (ὅτι) h. l. abundat. — *Ad duritiam cordis vestri*, (πρὸς respectu ad, ratione habita), respectu habito ad durum animum vestrum, qui respuit omnem lenitatem, clementiam et patientiam. — *Permisit*; corrigit Christus verbum a pharisaeis prolatum: mandavit. — *Dimittere uxores*, scil. dato repudii libello, non ideo, quia divortium in se bonum esse crederet; sed ne, si hoc vobis prohibuisset, uxores male et crudeliter tractassetis, vel adeo necassetis. Deus id concessit naturae per peccatum lapsae, sed per gratiam nondum reparatae. — *Ab initio*, scil. instituti matrimonii, seu in primitiva matrimonii institutione. — *Non fuit sic*, ut nimirum divortium permissum fuisset, seu matrimonii vinculum prorsus indissolubile erat. Quum Christus venisset, ut homines a peccatis eorumque sequelis liberaret, atque eos ad originalem rectitudinem reduceret, etiam matrimonium ad primaevam suam institutionem revocari debebat. Quapropter Christus in antithesi cum illa Mosaica permissione suam statuit legem, quae sit vetere perfectior, dum prosequitur:

V. 9. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur.*

Ad hunc locum et illum 5, 32., uti ibi observavimus, provocant acatholici interpretes, qui affirmant, in casu adulterii uxoris licere viro dimittere uxorem et aliam ducere, asseruntque simul, haec duo Matthaei loca normam esse doctrinae de matrimonii vinculo, postulantes, ut verba: nisi ob fornicationem, etiam in omnibus illis locis (Marc. 10, 11. Luc. 16, 18; 1 Cor. 7, 10. 11.), ubi de matrimonio sermo est, suppleantur. Sed male. Nam tali agendi ratione textui locorum citatorum vis infertur, simulque loca illa tria priora per se clarissima illustrarentur per locum obscurum (Matthaei), quod hermeuticae regulis adversum est. Potius locus hic obscurus illustretur necesse est per priora tria loca clara.

Est vero locus primus, in quo doctrina de matrimonii vinculo clare proponitur, in pericopa apud Marcum (10, 2—12.), in qua pharisaei nobis occurrunt, libellum repudii Mo-

saicum urgentes, contra quos Christus, eodem atque apud Matthaeum (19, 3–8.) modo argumentans, conjugium ad pristinam institutionem ac indissolubilitatem esse revocandum pronunciat. Persequitur vero s. evangelista suam relationem addendo, discipulis domi (seorsim) denuo de matrimonio interrogantibus, respondisse Jesum (v. 11. 12.): „*Quicumque (ὅς ἐάν) dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur.*“ Verba haec certe per se clarissima sunt. Quum jam illa Christus absque ulla restrictione et exceptione ad Apostolos suos, seorsim interrogatus ab illis hac de re, dixisset, utique statuendum est, ipsum voluisse tradere eis normam, quam in sua ecclesia valere vellet, quamque ipsi tanquam futuri doctores ejus religionis hominibus traderent servandam. S. Marcus loquitur h. l. etiam de muliere virum dimittente, quod Matthaeus praetermisit, quia evangelium suum destinavit praecipue ex gentilium numero conversis, apud quos saepissime accidit, ut uxores viros suos desererent, quae tamen res in Palaestina fere inaudita fuit.¹⁾

Alter locus, in quo docetur, matrimonii vinculum nullo in casu solvi posse, est apud Lucam (16, 18.). Postquam Jesus (v. 17.) dixit: *facilius fore, ut coelum et terra praetereant, quam de lege*, hinc etiam illa lege primaeva matrimoniali (Gen. 2, 24. contenta) *unus apex cadat*, v. 18. ad confirmandam et illustrandam hanc universalem sententiam affert legem de absoluta perennitate vinculi conjugalis: *Omnis, qui dimittit uxorem suam et aliam ducit, moechatur, et qui dimissam a viro ducit, moechatur.*

Tandem dantur duo s. Pauli loca, quorum unus exstat in epistola ad Romanos (7, 2. 3.), alter vero repetitur in prima ad Corinthios epistola (7, 10. 11. 39.).

In priori loco Apostolus Judaeo-christianis demonstraturus per mortem Domini ipsos a legis servitute fuisse liberatos, adhibita similitudine conjugii, cujus vinculum permanet firmum, quamdiu in vivis sunt conjuges, nec solvitur nisi per mortem alterius, ita scribit: *Nam quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi* (scil. conjugii); *si autem mortuus fuerit vir*

¹⁾ Cf. Döllinger Christenthum und Kirche S. 391.

ejus, soluta est a lege viri (a lege conjugii, quae eam marito suo ligabat). *Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro* (si alteri nupserit); *si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* In posteriori autem loco (1 Cor. 7, 10. 11. 39.) haec leguntur: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere* (ut uxor non se separet a viro); *quodsi discesserit* (quodsi se separaverit, nimirum ob adulterium, ob quod Dominus apud Matthaeum c. 5. et 19. discedere seu se separare permittit), *manere innuptam, aut viro suo reconciliari, et vir uxorem non dimittat* (nisi iterum e legitima causa, qualis est uxoris adulterium, et, quod ex superiori membro intelligendum et supplendum est, si dimiserit, maneat innuptus, aut uxori reconcilietur). V. 39. „*Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quodsi dormierit* (mortuus fuerit) *vir ejus, liberata est* (libera est juxta textum graecum), *cui vult, nubat, tantum in Domino*“. Juxta haec ergo docet s. Paulus, apud christianos fieri quidem posse separationem quoad torum et mensam, solutionem vero vinculi matrimonialis licitam non esse, sed istud vinculum permanere insolubile usque ad alterutrius mortem. — Eandem doctrinam quoad indissolubilitatem vinculi matrimonialis in ecclesia catholica semper viguisse, docent ss. Patres, epistolae summorum Pontificum, concilia provincialia (Eliberitanum a. 305., Arelatense I. a. 314., Milevitanum II. sub Innocentio Papa I. anno 416. aliaque inde a saec. 5—9. celebrata), et oecumenica (Lateranense III. et Tridentinum sess. 24. c. 7.), nec non et libri poenitentiales.¹⁾ Quum igitur Christus apud Marcum et Lucam diserte vinculi matrimonialis indissolubilitatem doceat, illum eandem doctrinam etiam nostro loco docere assumere debemus. Potest vero noster locus (19, 9.) locis prioribus apte conciliari, si consideretur contextus praecedentium et subsequentium. Versu 3. (capitis hujus) pharisaei ad Jesum venisse dicuntur, tentantes eum atque interrogantes: *num liceat homini*

¹⁾ Cf. hac de re Anton. Frenzel de indissolubilitate matrimonii commentarius pag. 42—136.

dimittere uxorem suam quamcunque ob causam? Christus jam respondens provocat (v. 4—6.) ad primam matrimonii institutionem, et tum ex ea, tum ex verbis s. scripturae (Gen. 2, 24.) demonstrat, e mente Dei vinculum matrimonii indissolubile esse. Quum pharisaei (v. 7.) provocant ad permissionem Mosis, uxorem dato ei libello repudii dimittendi (Deut. 24, 1.), Christus v. 8. dicit, illam licentiam (permissionem), utpote propter duritiam cordis Judaeorum (ad praecavenda mala majora) datam, tantum temporalem fuisse, nec omnino perfectam, nec intentioni divinae, in matrimonii institutione a Creatore manifestatae, prorsus convenientem. Tutetur igitur Christus verbis ante versum 9. praecedentibus matrimonii indissolubilitatem. Nunc sequitur v. 9., quo Christus adulterium tanquam unicum nominat causam, ob quam liceat viro dimittere uxorem suam. Quodsi ergo hoc versu, ut acatholici volunt, permetteret Christus solutionem vinculi matrimonialis in casu adulterii, statuendum esset, eum in eadem orationis serie sibi contradixisse, quod statuere absurdum, imo blasphemum esset. Eo minus ita judicare licet, si etiam subsequencia considerentur. — Versu 10. s. Matthaeus discipulos Christi narrat suam de responso Jesu admirationem expressisse hisce verbis: „*Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.*“ Stupor autem inde eos inaccessit, quia Dominus non solum docuit, in casu adulterii tantum licite uxorem dimitti, sed quia novas post dimissionem, etiam in casu adulterii, nuptias universaliter interdixit. Si enim Christus in casu adulterii divortium totale, vinculi matrimonialis solutionem novasque nuptias concessisset, sententia ejus non fuisset severior, quam erat sententia Schammaitarum, quae autem discipulis Christi tunc tantum nimis severa poterat videri, si essent asseclae sectae laxae Hillelianae, quales autem eos habere haud licet, quum Christus tales haud elegisset Apostolos. Quum igitur Christus divortium totale etiam in casu adulterii non concedit, verba haec Christi (v. 9.) hoc modo possunt explicari: Qui dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, moechatur. In casu adulterii uxoris dimitti quidem eadem potest, quin tamen aliam ducere liceat. Veritas explicationis hujus

inde patet, quia in altera parte versus 9. dicitur: »et qui dimissam (ἀπολελυμένην absque articulo), ergo quamcunque, etiam ob adulterium dimissam (quum non additur: excepto casu adulterii) duxerit, moechatur«. Inde elucet, Christum per dimissionem non intelligere solutionem vinculi matrimonialis, sed tantum separationem a toro et mensa. Doctrina haec Christi utique nova videri debebat auditoribus ejus, quum apud Judaeos cum qualibet conjugum separatione simul conjuncta esset solutio vinculi matrimonialis (totale divortium), ita ut novas possent inire nuptias. Ast ex illis, quae Christus prius de primitiva matrimonii indissolubilitate dixerat, facile poterant auditores verba ejus intelligere. Reliqua vide 5, 32., cur etiam per adulterium non possit solvi vinculum matrimoniale (cf. Mald. 5, 32; 19, 9). Nonnulli¹⁾ verba μὴ ἐπὶ πορνείᾳ (non ob fornicationem, uti legendum est, dum alii εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ legunt, et alii παρεκτός λόγου πορνείας sensu non diverso) tanquam non genuina e textu Matthaei expungunt; cui tamen plerique testes praestantissimi obstant.²⁾

V. 10. *Si ita est causa hominis*, si causa et ratio, qua vir possit dimittere uxorem, ejusmodi est, ut nullo in casu, etiam ob adulterium uxore dimissa, aliam ducere liceat. — *Hominis*, viri. — *Non expedit nubere*, seu uxorem ducere, quia saepenumero contingere potest, ut uxor vitiis, foeditate aut malitia, odiosa efficiatur, et homo cum ea usque ad mortem vivere deberet, aut solummodo ob adulterium ab illa se separare posset, quin aliam ducere ei licitum esset, et pauci sint, qui continentiam colere sancte sciant (Calm.).

V. 11. *Non omnes capiunt*, animo recipiunt suumque faciunt (seu non admittunt practice in animum). — *Verbum istud*, scil. non expedit uxorem ducere. — *Sed quibus datum est*, nimirum a Deo continentiae donum. Sola enim natura concupiscentiam et carnis tentationem superare nequit, opus est gratia Christi seu dono Dei, quod tamen, uti dicit s. Hieronymus, his datum est, qui petierunt, qui voluerunt, qui, ut acciperent, laboraverunt.³⁾ Significatur hisce, virginitatem esse donum Dei.

¹⁾ Hugius, Berl.

²⁾ Cf. Frenzel de indissol. matrim. comment. pag. 17. seq.

³⁾ Cf. Bellarmin. de monachis l. I. c. 31.

V. 12. *Sunt enim.* Particula enim (γάρ) h. l. est continuandi, non probandi; vult enim exponere, allatis tribus eunuchorum generibus, quinam sint illi, qui capiant verbum hoc, quod nimirum non expediat, uxorem ducere, scilicet eunuchi tertii generis. — *Eunuchi, qui a matris utero sic nati sunt,* qui a natura tales sunt, ut ad nuptias sint inepti. — *Et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus,* qui ab hominibus castrati sunt. — *Et sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum,* qui voluntatis proposito cum Dei gratia in perpetuum omne matrimonium sibi interdiciunt, et hoc ideo, ut Deo ejusque ecclesiae facilius, liberius vacent et olim aeternam beatitatem acquirant (cf. 1. Cor. 7, 32 — 36.). Constat Origenem hoc ad literam accepisse atque ideo castitatis amore se ipsum castrasse. — *Qui potest capere, capiat,* qui vim moralem colendi continentiam (seu continenter vivendi) habere putet, coelebs maneat, seu statum virginitatis fretus gratia Dei eligat. Verba haec docent, a Christo hic consilium (et quidem conditionatum) propositum esse, et non praeceptum.

3. Benedictio parvulorum (13—15.).

(Marc. 10, 13—16. Luc. 18, 15—17.)

V. 13. *Tunc,* quum viderent, quod omnes aegrotos sanaret. — *Oblati* (scil. in domo) *sunt ei parvuli* (προσσηγέθησαν, allati sunt, quae lectio ob codices antiquissimos B. U. D. L. praeferenda est lectioni προσηγέρη, quae est grammaticalis emendatio). Allati sunt partim, ut etiam hi beneficiorum ejus participes fierent; partim, ut immunes essent a morbis, quos ille ab adultis ejiciebat. — *Ut manus eis imponeret,* ut manibus impositis oraret pro salute eorum, seu ut benediceret eis et benedicendo mala ab eis propellerentur et beneficia eis obvenirent. Marcus et Lucas loquuntur tantum de tactu. Ceterum manuum impositio jam inde a temporibus patriarcharum erat symbolum communicationis gratiae et virtutis sublimioris. Sic Jacobus (Gen. 48, 14.), morti proximus, manus imposuit cervicibus Ephraimi et Manassis, liberorum Josephi, supremum bene illis precatus. Sic Moses Josuae manus imposuit, ut ipse spiritu sapientiae repleretur (Deut. 34, 9.) Cf.

Luc. 13, 13. Act. 28, 8. — *Discipuli increpabant eos*, qui scil. parvulos afferebant. *Fecerunt hoc* fors ideo, quia putabant, Dominum hominum afferentium importunitate lassari nimiumque fatigari (Hieron.), seu ei gravioribus negotiis occupato molestiam exhiberi.

V. 14. *Ait eis*, discipulis. *Talium est enim regnum coelorum*, non est, cur parvuli a me arceantur; nam tales aetate parvuli, et qui talibus parvulis, praejudiciis nondum occupatis, docilibus, modestis, malis affectibus nondum corruptis, animo, humilitate, simplicitate et candore similes sunt, inprimis regni divini, a me his in terris condendi, membra fient, ejusque beneficiorum participes erunt in hac vita et in futura. Nam ut vocem: *talium* (τοιούτων) explicemus tum de parvulis aetate, tum de iis, qui parvulis similes sunt animo, humilitate simplicitate et candore (coll. 18, 5.), postulant loca parallela Marci (10, 15.) et Lucae (18, 17.), ubi adhuc legitur: *Quisquis non receperit regnum Dei* (fidem, religionem christianam) *velut parvulus* (ea humilitate, simplicitate et docilitate, quae in parvulis elucet), *non intrabit in illud* (is regni divini civis fieri ejusque beneficiis frui non potest).

V. 15. *Et cum imposuisset eis manus*, et orasset et benedixisset eis (coll. Marc. 10, 16.). Nam sola manuum impositio sine oratione et benedictione nunquam adhibebatur (Mald.). — *Abiit inde*, ab illo loco trans Jordanem sito, ubi illo tempore versabatur.

4. Juvenis dives, pericula divitiarum (16—26.).

(Marc. 10, 17—27. Luc. 18, 18—27.)

V. 16. Et ecce, quum e domo egressus esset in viam. — *Unus*, quidam (τις); juxta Lucam erat quidam princeps (ἄρχων), i. e. synagogae praefectus, juxta alios membrum magistratus civilis, sed, quum postea ille ut juvenis (νεανίσκος) describatur, prior explicatio praeferenda est. Hic juvenis, uti Marcus narrat, in genua procumbendo reverentiam Christo exhibuit. — *Magister bone*, perfecte. Ceterum vocem ἀγαθὲ Lachmann et Tischendorf ob codices antiquos (B. D. L.) aliosque minusculos et versiones plures recte omittunt, quum ex Marco et Luca

huc illata sit. — *Quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?* Juvenis hic, uti v. 20. docet, hucusque studiose servavit praecepta Dei, sed animo sensit, se nondum satis fecisse; quapropter sincero animo interrogabat: quid (in hac voce adest emphasis) boni praeprimis sibi faciendum sit ad vitam aeternam in regno Messiano certe consequendam?

V. 17. *Quid me interrogas de bono* (τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ, uti habent cum Vulgata codices praestantissimi et antiquissimi), i. e. quid est, quod de bono a te praestando me interrogas, quasi istud esset aliquid ignotum, adhuc manifestandum? — *Unus est bonus, Deus*, istud summum et unicum bonum est Deus, utpote, qui in se omnem bonitatem concludit, et a quo cuncta, quae bona appellantur, descendunt, et secundum quem omnia dijudicanda sunt; hinc illud bonum, de quo peragendo me interrogas, in nulla alia re potest esse positum, quam in perficienda Dei voluntate, quae in mandatis ejus manifestata est.¹⁾ — *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, quum autem Deus mandata ipsius servantibus beatitatem aeternam dare promisit, serva mandata. — Alii autem codices graeci permulti (cf. Scholz) loco: τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ, eandem, quae apud Marcum (10, 18.) et Lucam (18, 19.) legitur, exhibent lectionem: τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθός, εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός (*quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus Deus*), quae lectio aliis²⁾ praeferenda videtur; partim ob contextum, partim quia difficilior est, quum ea abusi sint Ariani, probaturi, Christum, quum soli Deo esse absolutam bonitatem (perfectionem) doceat, non esse Deum. Sed eo ipso, quod lectioni priori contextus non faveat, prior praeferenda est. Ceterum, etiamsi altera teneretur lectio, perperam inde colligeretur, Christum non esse Deum; nam Christus hoc non absolute, de se negat, ac si divinitatem a se excluderet, sed respectu habito ad suam naturam humanam. Qua Dei Filio utique ei competeat propter essentiae divinae unitatem cum Patre id ipsum, quod Deo soli competere edixit. — Ne stante priore lectione pugna sit inter Matthaeum et Marcum ac Lucam, interpretes multi³⁾

¹⁾ Cf. Veith die Anfänge der Menschenwelt 155.

²⁾ Berl., Arnoldi, Scholz.

³⁾ Calm., Menoch., Massl.

statuunt, Christum utrumque dixisse, uti apud Matthaeum legitur et Marcum (ac Lucam).

V. 18. 19. Quum Christus generatim dixit: *Mandata* (τάς ἐντολάς), adolescens speciatim interrogat, quatenus essent ipsi servanda, quibus servandis aeternam possit promereri vitam, distinctionem ita faciens inter praecepta divina. — *Quae* (ποιὰς) i. e. qualia, cujus generis. — *Non homicidium facies* etc. Nunc Christus, ut juvenem edoceret, non opus esse novis praeceptis ad beatitudinem aeternam consequendam, exempli causa quaedam praecepta decalogi secundae tabulae profert, ostendere volens, quod genus praeceptorum praeprimis sit observandum tanquam gravissimum, nimirum praecepta, quae proximum spectant, quia, uti s. Joannes (1 Joan. 4, 20.) dicit, qui non diligit fratrem, proximum suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere. — *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. His verbis, quasi compendio, colligit omnia, quae de hoc praecepto mox enumeraverat Cf. 22, 39.

V. 20. *Custodivi*, servavi. Verba haec non sunt inaniter jactantis, sed veritatem dicentis. Patet id ex Marco (10, 21.), ubi Christus dicitur ad haec verba juvenem aspexisse et dilexisse, quod profecto non fecisset, si simulator et immodicus sui aestimator (arrogans), quod Christum omnia scientem latere non potuit, fuisset. (Mald.). — *A juventute*, jam a puero. — *Quid adhuc mihi deest*, scil. bonitatis, ut in ea perficiar, seu quid adhuc mihi restat ad perfectam vitae rationem? Juvenis enim sentiebat, se impelli ad majora et animo concipiebat, praeter communem illam viam mandatorum, qua omnes Deo servire teneantur et salutem suam acquirere, existere posse modum servitii divini eminentiorem, quo quis Deo arctius jungatur, et quo maxima quaedam in Dei amore ac servitio magnanimitas habeatur (Knabenbauer.)

V. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende* etc. Christus perspicuus, adolescentem hunc amore rerum terrenarum teneri, ut eum ad suimet cognitionem et ad sublimiorum studium adduceret, dicit: *si vis perfectus esse*. Ex his verbis antiqui et recentiores interpretes catholici merito collegerunt, h. l.

a Christo non praeceptum, sed consilium proponi. Dixit enim juveni interroganti: quid faciendo vitam aeternam sit consecutus? — *serva mandata*; et postquam ille respondisset, se ea servare studuisse a pueritia sua, ac interrogando: *quid adhuc mihi deest?* prodidisset, se adhuc desiderare perfectam vitae rationem, adjecit Christus verba haec (si vis perfectus esse etc.), ut indirecte eum moneret, sibi, utpote cordium scrutatori (coll. Joan. 2, 25.) notam esse ejus propensionem in terrena bona, eandemque esse unum ex gravissimis perfectionis sublimioris impedimentis. Ceterum pro omnis temporis sectatoribus Christi latet in his verbis monitum ad beneficentiam erga pauperes et ad postponenda terrena coelestibus excitans. — *Vende, quae habes*, facultates et bona tua, ut scil. vacuus sis a curis et illecebris divitiarum. — *Et da pauperibus*, ut scil. omnibus divitiarum oneribus, curis et affectibus expeditus, totus studeas perfectioni, virtutibus congerendis. In hisce verbis continetur consilium paupertatis sponte susceptae et coelibatus (nam venditis omnibus jam non poterit cogitari de nuptiis.) — *Et habebis thesaurum in coelo*, et pro erogatis divitiis terrenis habebis divitias coelestes (cf. 5, 12; 6, 20.). — *Et sequere me*, et ut meus discipulus me sequere, mihi inhaerendo vitamque meam omnibus virtutibus imitando. In his verbis expressa est perfecta erga Christum obedientia.

V. 22. *Tristis*, nimirum, quod non posset simul altiori perfectioni, quam desiderabat, studere et opes retinere. — *Abit.* Non ergo Christum secutus est, neque ea exsequutus, quae is suaserat; triste exemplar ejus, qui de se dicere illud posset: „*Video meliora proboque, deteriora sequor.*“ Praevaluit ergo amor divitiarum.

V. 23. Discessu juvenis, qui ob divitiarum amorem perfectioni christianae studere noluit, Jesus occasionem accipit, loquendi de divitiarum periculis. — *Dixit discipulis suis*, nempe circumspiciens eos, ut Marcus (10, 23.) habet, significaturus, ut praecipue attenti sint ad rem, quam nunc eis esset dicturus. — *Dives difficile intrabit in regnum coelorum.* Sicut enim juvenis propter divitias perfectionem evangelicam non est consecutus, ita etiam plerique divites propter divitias retardantur

a praeceptorum divinarum observatione, quapropter salutis aeternae participes non fiunt. Nam divitiae pariunt cupidinem divitiarum; cupido autem haec facit divitias coacervari per fas et nefas; divitiae porro ita mentem auro alligant, ut nequeat cogitare de coelo, abducunt a cura et studio eorum, quae ad vitam aeternam sunt necessaria (crescentem sequitur cura pecuniam, Horat. carm. III. 16, 17.); ipsae tandem sunt stimulus ad superbiam, gulam, luxuriam omniaque scelera, imo ducunt (coll. Ephes. 5, 5.) ad idolorum servitutem (a Lap.).

V. 24. Quum ob hoc Christi dictum obstupescerent discipuli (coll. Marc. 10, 24.), dictum suum Christus longe seyerius repetit. — *Iterum dico*, imo amplius dico. — *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum*, difficillima res est, ut dives fiat compos beatitudinis aeternae. Dictum hoc est proverbiale, idemque Hebraeis de elephanto, Arabibus et Indis de camelis usitatum erat, ubi non tantum de re impossibili, sed etiam, ubi de re difficillima loquebantur. Quapropter non est necessarium, ut cum quibusdam (qui proverbii hujus significationem ignorabant) loco κάμηλος (camelus) legatur κάμιλος (funis nauticus), hocce sensu: Sicut non quidem impossibile, summe tamen difficile est, funem nauticum, in tenuissima fila divisum, per foramen acus ducere, ita res summae difficultatis est, ut dives compos fiat beatitudinis aeternae. Sed huic lectioni, quam perpauci codices habent, etiam id obstat, quod κάμιλος significatu: funis nauticus non legitur apud antiquos scriptores, occurrit primum apud Suidam.¹⁾ Ceterum lectio εἰσελθεῖν (per foramen acus intrare), quam codices Aleph et C habent, praeferenda est lectioni: διελθεῖν (transire), qua stante foramen acus consideratur ut porta ad aliquam domum seu atrium; alterum εἰσελθεῖν est dein omittendum.

V. 25. *Mirabantur*, quia Jesus adeo clare edixit, divites difficillime fieri posse compotes beatitudinis aeternae. — *Quis poterit salvus esse*, quia scil. pauci sunt, qui non cuperent esse divites, qui non inhiarent divitiis, et omnes (docente s. Augustino), qui divitias cupiunt, in divitum numero habentur. Falsum

¹⁾ Cf. Schegg, Berl.

autem est, quod nonnulli¹⁾ putant, haec verba esse discipulorum argumentationem a majori ad minus, hoc modo: Si beatitudine coelesti potiri difficile est divitibus, qui subsidia habent multum benefaciendi, quanto magis illis, qui his subsidiis destituti sunt. Nam juxta verba Christi, uti Arnoldi recte observat, divitiae sunt maximum impedimentum salutis aeternae consequendae; ergo defectus hujus impedimenti esset adhuc majus impedimentum (juxta illam explicationem).

V. 26. *Aspiciens*, ut (juxta Chrysost.) anxiam eorum mentem mitigaret et pacaret. — *Apud homines hoc impossibile est*, humanae naturae viribus impossibile est diviti, opibus suis intricato, salutem aeternam consequi, quia propria virtute non potest se abstrahere ab amore mundi et studio rerum temporalium. — *Apud Deum omnia possible sunt*, Deo omnia possible sunt, et proinde etiam istud, quia est auctor gratiae, per quam omnes naturae difficultates facile superari possunt; hinc et per specialem gratiam Dei fieri potest, ut dives opes abjiciat, vel ut eas servans, cor eis non apponat, sed illis recte utatur (Aug.). Praepositio *παρά* cum dativo (*παρά ἀνθρώποις*, *θεῷ*) loco simplicis dativi, aut: in potestate alicujus situm esse.

5. Praemia constantibus Christi asseclis promissa

(27 — 30.).

(Marc. 10, 28—31. Luc. 18, 28—30.)

V. 27. *Respondens* (*ἀποκριθεὶς*); cf. 11, 25. — *Quid ergo erit nobis?* quale nobis praemium continget? Causa, cur Petrus id interrogarit, fuit, quod Christus juveni promisisset, eum, si possessiones suas relicturus eumque secuturus esset, thesaurum in coelo habiturum esse. Petrus alique Apostoli fecerunt jam, quod Christus ab illo juvene postulaverat; ideo Petrus scire voluit, quale praemium et qualis gloria in regno Messiano ipsis olim continget.

V. 28. *Vos, qui secuti estis me*. Non dicit Christus simul: reliquistis omnia; nam dicendo, quod majus erat, intelligit, quod minus erat (Hieron.). — *In regeneratione* (*ἐν παλιγγ-*

¹⁾ Meyerus, Berl.

γενεσις; ex πάλιν et γένεσις; Hesychius: τὸ ἐκ δευτέρου γεννηθῆναι = regeneratio). In N. T. duplex datur regeneratio; prima est animae per baptismum (cf. Joan. 3, 5.), et altera est illa restauratio, renovatio, quae fiet in fine hujus mundi, quando peccato et morte (ultimo Christi adversario) penitus devictis per gloriosam redemptorum resurrectionem, universum, seu universa creatura rationis expers, in istum gloriosum statum immutabitur, ad quem, quum ad eum juxta primaevam Dei ideam initio destinata esset, si homo lapsus non fuisset, pervenisset, et quem statum gloriosum nunc gemebunda exspectat (coll. 2 Pet. 3, 12. Rom. 8, 18. seq.). De hac altera est hic cogitandum, quum sit sermo de extremo judicio. — *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae*, quando ego Messias me cum gloria et majestate magna omnium judicem exhibebo. Methaphora sessionis declaratur judiciaria ejus potestas (cf. Act. 7, 55.). — *Sedebitis et vos*. Repetiit: et vos, ob sententiam intermediam: cum sederit Filius hominis. Allusit simul his ad regum morem, qui in summo tribunali consident, consiliarios autem sibi habent in consessu proximos. — *Super sedes duodecim*. Dicit duodecim, quamvis Judas honore illo excidisset, quia duodecim erant Apostoli, quibuscum loquebatur; non quod putaret, etiam Judam sessurum esse, sed, quod, si in apostolatu perstitisset, sicut alii sessurus fuisset; quasi dicat: Apostolorum officium hoc habere propositum praemium, ut qui eo bene functus fuerit, super sedem in judicio sessurus sit et ceteros judicaturus (Mald.). Hinc verba illa valent idem ac: sedebitis unusquisque super sedem suam. — *Judicantes*, non tantum comparatione sui cum impiis, nec etiam approbatione sententiae Christi solum, quomodo omnes boni judicabunt (coll. 1 Cor. 6, 2.); sed multo honorificentiori modo, quasi regni coelorum primores et principes et quasi assessores Christi judicis conjudicabunt cum auctoritate et potestate. Quia primi omnibus relictis, Christum sunt secuti ac primi post Christum ejus regni fundatores et propagatores fuerunt, ideo etiam in gloriosa illa divinae majestatis manifestatione maxime similes Christo apparebunt, sedentes, ut ille, in thronis tanquam judices (Knabenbauer). — *Duodecim tribus Israël*,

i. e. totum populum Judaicum (numerus certus pro incerto positus); quum autem hic populus sit radix, in quam etiam populi gentiles inserti sunt (coll. Rom. 11, 17—24.), ut participes fiant salutis in Christo, ideo per populum Israël intelligenda est universitas eorum, qui ad regnum Christi (ecclesiam) pertinent, ergo Israël κατὰ πνεῦμα, i. e. omnes credentes, fideles Christi.¹⁾ Sic ergo Christus respondit ad Petri quaestionem: *quid ergo erit nobis?*

V. 29. Nunc docet Christus, etiam eos, qui propter se aliquid dumtaxat reliquerint, praemium magnum accepturos esse. — *Uxorem* (ἡ γυναῖκα); vox haec recte omittitur a Lachmanno et Tischendorfio. — *Propter nomen meum*, i. e. propter me et propter evangelium (Marc. 10, 29.). — *Centuplum* (ἐκατονταπλάσιον); sed huic lectioni, quae ex Marco (10, 30.) huc illata est, praeferenda est lectio πολλαπλάσιον, multiplicia. Ceterum sensus non mutatur, quum istud centuplum (numerus finitus pro indefinito positus) significet: multipliciter. Lucas (18, 30.) clarius habet: *et non recipiat multo plura* (multiplicia) *in hoc tempore et in saeculo venturo vitam aeternam*. — *Accipiet*, scil. in hac vita (coll. Marc. 10, 30. et Luc. 18, 30.) bona spiritualia, nimirum animi tranquillitatem, pacem et consolationes divinas, nec non et homines probos, qui eum instar cognatorum amaturi vitaeque necessaria ei suppeditaturi sint. — *Et vitam aeternam possidebit*, nimirum in futuro saeculo (coll. Marco et Luca).

V. 30. Ne Apostoli et alii, qui (coll. v. 29.) omnia propter Christum reliquerunt et in praecipuo quodam dignitatis et praemii loco consistunt, in fervore tepescant et nimia confidentia salutis, evadant negligentes ac tepidi, Christus generali sententia graviter monet, dum dicit: *multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi*, i. e. multi, qui primi sunt et esse videntur, erunt postremi, novissimi; et qui ultimi sunt et habentur, evadent primi; seu: multi, qui primi sunt dignitate, possunt fieri ultimi et minimi in regno Dei; qui vero dignitate ultimi sunt, possunt evadere primi ac praecipui in gloria et mercede. — Quod haec Christi

¹⁾ Cf. Mald., Schegg.

verba intelligenda sint de dignitate¹⁾ et non de tempore, uti nonnulli²⁾ explicant, docet contextus sermonis Christi, qui modo habitus est. — Alii (a Lap.), qui verba Christi intelligunt de dignitate, putant, Christum occurrere tacitae Apostolorum objectioni: qui fieri poterit, ut nos, viles, pauperes, ignorantes, ignobiles, sedeamus iudicantes tribus Israël, in quibus sunt viri plurimi dignitate, scientia et auctoritate eminentes? — Sed certe non est probabile, Apostolos talem tacitam objectionem apud se volvisse et de dignitate sibi oblata obstupuisse atque se indignos reputasse, qui alias (Matth. 18, 1. Marc. 9, 33; 10, 35. Luc. 9, 46; 22, 24.) inter se disceptabant, quis sit major, qui primas sedes appetebant sibi, expostulabant.³⁾

Caput XX.

1. Parabola de operariis vineae (v. 1—16.).

V. 1. *Simile est regnum coelorum homini patrifamilias.* In codicibus graecis et in pluribus latinis parabola haec operariae γάρ (enim) arete adjungitur ad antecedentia, et quidem recte. Nam ipsa parabola iterum adumbratur doctrina, quo modo fieri possit, ut primi evadant novissimi, et novissimi primi; quare ad sententiam illam (19, 30.) expressam ejusque sensum majoris explicationis et illustrationis causa parabola haec adjungitur. Sensus est: simile quid accidit in regno Messiano (quod tempus et saeculorum consummationem aeternitatemque complectitur), quale est, quod fecit paterfamilias quidam . . . — *Qui exiit primo mane*, mox ut diluxit, cum prima luce. — *Conducere operarios invineam suam*, ad operam vineae suae impendendam, seu qui vineam ipsius colerent.

V. 2. *Conventione autem facta ex denario diurno* (ἐκ δηνάρיו τῆν ἡμέραν). Quum pretium in textu graeco exprimitur genitivo, videtur ἐκ significare id, ex quo conventio orta est, vel

¹⁾ Chrys., Euthym., Mald., Luc., Schanz, Knabenbauer.

²⁾ Orig., Theophyl., Jans., Arnoldi, Bisp., Pözl.

³⁾ Conf. Knabenbauer.

conditionem et causam, ex qua vel secundum quam conventum est inter dominum et operarios; — τὴν ἡμέραν alii explicant accusativum temporis, sed rectius alii referunt τὴν ἡμέραν ad verbum συμφωνήσας, quia ita magis determinatur, de quo conventum sit; ergo fere idem ac: quod attinet ad diem (Knabenbauer). — Ceterum denarius fuisse videtur merces, quae tum temporis operariis pro labore diurno dari solebat (cf. Tob. 5, 14); id etiam in Talmude enunciatur.

V. 3. *Circa horam tertiam*. De distributione diei et noctis apud Judaeos vid. comment. in evang. s. Joan. 1, 39. — *Stantes in foro*. Solebant nimirum apud antiquos, qui aliis operam suam locare volebant, in foro se sistere.

V. 4. *Et illis*, i. e. sicut prima vice conductis, ita etiam his dixit. — *Quod justum fuerit, dabo vobis*; non dicit: denarium, quia jam pars diei praeteriit, denarius autem merces erat diurni laboris.

V. 5. *Fecit similiter* conductos misit in vineam.

V. 8. *Procuratori*, (ἐπιτρόπῳ), administratori rei domesticae. — *Mercedem*, scil. pro diurno labore dari solitam. — *Incipiens a novissimis usque ad primos* (brachylogice dictum), incipiens ab ultimis, qui hora undecima venerunt, et procedens usque ad primos, scil. in danda mercede.

V. 9. *Qui circa undecimam horam venerant*, qui circa horam quintam pomeridianam in vineam missi erant. — *Acceperunt singulos denarios*, acceperunt singuli denarium. Praepositio ἀνὰ saepe ponitur sensu distributivo, ita et h. l.

V. 10. *Plus* (πλεῖον, lectio πλείονα, scil. δηνάρια est interpretamentum), i. e. plus quam denarium.

V. 12—14. *Hi*, cum contemptu. — *Una hora fecerunt* (ἐποίησαν) una hora operati sunt, seu opus fecerunt. — *Qui portavimus pondus diei et aestus*, qui exantlavimus (pertulimus) molestum diei laborem solisque ardorem. — *Uni*, loco omnium. *Amice* (ἐταῖρε), ita dominus operarium alloquitur, ut eum, mercede unius denarii non contentum, facilius de falsa sua sententia deduceret. Latini dicerent: bone vir. — *Tolle, quod tuum est*, i. e. denarium tuum. — *Sicut et tibi*, scil. dedi.

V. 15. *An non licet mihi*, nimirum in rebus meis, seu melius (ob v. 14. τὸ σὸν): quod attinet ad bona mea, seu de

meo (Aug.), uti habet textus graecus (ἐν τοῖς ἑμοῖς). — *An oculus tuus nequam est*, an tu operariis aliis invides, quia ego in alium liberalis, benignus sum? Malus enim oculus Hebraeis significat invidiam (coll. Marc. 7, 22. et praepimis Proverb. 28, 22; 23, 6., ubi pro homine invidio est hebraice oculus malus). Lectio εἰ ὁ βροταλμός, utpote difficilior, ob testes praestantissimos praefenda est lectioni ἧ ὁ βροταλμός, et particula εἰ sumenda est ut particula directae interrogationis.¹⁾

V. 16. *Sic* (ὥτως), i. e. sicut in hac parabola ultimo vocati primo vocatis aequiparantur et eandem quam primi accipiunt mercedem, quamvis solum per unam horam opus fecerint, et primo vocati aequiparantur novissimis, quamvis diutius laborarint et diei pondus et aestus portaverint, — ita etiam fiet in regno Messiano, in quo pariter non aestimabitur tempus, quia Deus efficere potest, ut illi, qui solum brevi in ejus servitio vixerint, auxilio majoris, et amplioris gratiae, quam pro sua liberalitate concedit, cui vult, egregium sanctitatis et gloriae gradum attingant. — *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*. Nonnulli, quia haec pars in pluribus codicibus (Aleph, B. L. Z.) et versionibus non legitur, eam expungunt tamquam additamentum ex 22, 14. assumptam. Sed, cum tot testes ei suffragentur, ideo cum aliis retineri debet. Particula: enim (γάρ) indicat, nunc reddi rationem, cur novissimi evadant primi et primi fiant novissimi. Ratio autem in eo est, quia multi quidem (ad servitium Dei et salutis suae studium) vocantur gratiis ordinariis, quibus vero ex sua parte non pro viribus suis cooperantur; pauci autem ad gratias omnino sublimes, quibus egregie cooperantur, pro Dei liberali consilio eliguntur. Deus enim non respicit ad temporis diuturnitatem, sed ad internum fervorem ex gratia prodeuntem (s. Thom.). Servatur itaque in vocatis justitia, in electis praevallet gratia.²⁾ Verba haec nonnulli ita explicant: Multi sunt vocati ad beatitudinem aeternam, sed non ad eam electi, quia vocationem suam non sequuntur. Sed explicatio haec ideo admitti non potest, quia parabola de iis tantum loquitur, qui omnes voca-

¹⁾ Cf. Schegg.

²⁾ Conf. Knabenbauer.

tionem sunt secuti et revera compotes facti beatitudinis aeternae. Si eadem verba: *multi enim sunt vocati* etc. postea (22, 14.) alio sensu occurrunt: id nostrae explicationi non obstat, quia in utroque loco diversus adest contextus. Cf. Mald. — Significatio parabolae. Per vineam significatur regnum Messianum, ecclesia his in terris (militans); paterfamilias est Deus, qui vario tempore vocat homines per gratiam suam in ecclesiam ad Dei cultum et salutis suae studium. Diversae horae sunt diversae hominum aetates, quibus ad fidem et justitiam faciendam in ecclesiam vocantur, quatenus alii in pueritia (summo mane), alii in adolescentia (hora tertia), alii aetate virili (hora sexta), alii in senectute (hora nona), alii in fine vitae (vespere) vocantur. Nonnulli per illas diversas horas intelligunt diversas mundi aetates: ab Adamo usque ad Noë; a Noë usque ad Abrahamum; ab Abrahamo usque ad Mosen; a Mose usque ad Christum; ab adventu Christi usque ad finem mundi. Sed hoc ideo probari non potest, quia primo vocati affirmant, se pondus diei et aestus totius diei portasse, dum ultimo vocati solum una hora laborarunt. Qui enim priori mundi aetate vocatus fuerat, non diutius laboravit, quam qui ultima mundi aetate vocatus est, nimirum a vocatione sua usque ad mortem. Per forum significatur mundus; dies est totum tempus, quod inter ecclesiae foundationem a primo Christi adventu usque ad alterum tempore iudicii extremi interjectum est (Athan.). aut pro singulis cujusvis hominis aetas, qua in ecclesia laborat; vespera est adventus Christi ad iudicium, pro singulis finis vitae temporalis. Dispensator est Christus; per denarium significatur beatitudo aeterna, quam accipiunt non tantum ii, qui per totam vitam Deo (debito modo) servierunt, sed etiam illi, qui posteriori aliqua vitae aetate vocabantur, quia Deus non respicit temporis diuturnitatem, sed internum fervorem, ex gratia prodeuntem, qui operibus confert dignitatem. Ex aequalitate mercedis haud potest concludi, etiam in coelo omnes fore pares in gloria, quia Deus justus pro diversitate meritum diversam tribuit gloriam. Cetera ornatus causa adjecta sunt in parabola.¹⁾

¹⁾ Conf. Knabenbauer.

2. Christus tertio praenunciat passionem et mortem suam (17—19.).

(Marc. 10, 32—34. Luc. 18, 31—34.).

V. 17. *Ascendens* (ἀναβαίνων). Cur dicit ascendens, vid. comment. in evang. s. Joann. pag. 82. — In itinere hoc, uti Marcus (10, 32.) refert, Jesus discipulis anteivit, docturus eos, quam prompti, cum opus esset, obire mortem deberent; discipuli autem stupentes et timentes eum secuti sunt. Causa pavoris indeque stuporis, ait Beda, erat instans mortis periculum; stupebant enim, quod Christus animo tam alacri et resoluti se suosque in apertum mortis discrimen conjiceret; timebant vero, ne ipsi cum Christo paterentur et occiderentur. — *Secreto*. Noluit Apostolis coram omnibus mortem sibi instantem dicere, quia turbae, nondum firmæ in fide, audita nece offendi poterant. In textu graeco adhuc legitur: καὶ ἐν τῇ ὁδῷ, et in via.

V. 18. *Ecce*. Particula haec indicat h. l. tempus jam instans, quasi diceret: Ecce, jam in hoc ascensu prae foribus est, quod aliquoties praedixi vobis de morte mea (scil. 16, 21. seq. et 17, 21. seq.). — *Principibus sacerdotum et scribis*; vid. 2, 4. — *Condemnabunt eum morte*, non pronunciando mortis sententiam potestate judiciali (nam jus vitae et necis penes Pilatum erat), sed praejudicio auctoritatis, dicentes ad Pilatum: reus est mortis (cf. 26, 66.). Vid. commentar in evang. s. Joann. 18, 31.

V. 19. *Gentibus*. Pilato ejusque ministris gentilibus. Praedixit nunc morte instante suam passionem et mortem, ut Apostolos in fide sua suaeque passionis et resurrectionis firmaret. Lucas (18, 34.) simul dicit, *Apostolos nihil horum intellexisse*, quod, uti Maldonatus, Chrysostomum secutus, ait, non ita intelligendum est, quasi Christi verba non intellexerint, quibus significaverat, se ad mortem progredi, sed ita, ut mortis ejus mysterium non comprehenderint, neque cognoverint, morte sua Christum salutem universo hominum generi allaturum esse (quum enim a Christo terrenum regnum expectarent, passionem et mortem ejus cum expectatione sua conciliare non poterant). — Dum addidit: *et tertia die resurget*, vel ut in pluribus codicibus legitur: *suscitabitur*, indicat gloriam mox secuturam.

3. Filiorum Zebedaei petitio, Christi monita (20—28.).

(Marc. 10, 35—45.).

V. 20. *Tunc*, quum audita resurrectionis mentione, discipuli, erroneis suis de regno Messiano terreno opinionibus repleti, putassent, Christum nunc conditurum esse regnum suum terrenum (Jans.) — *Mater*, Salome, uxor Zebedaei, mater Jacobi et Joannis, Apostolorum (coll. 27, 56. Marc. 15, 40; 16, 1.). — *Adorans*, (προσκυνοῦσα), in genua prolabendo ei reverentiam exhibens. — *Petens*. Matthaeus non pugnat cum Marco, qui (10, 35.) ait, filios id a Christo petiisse. Vel enim filii cum matre, vel per matrem haec sua vota proponere poterant. Filios autem fontem petitionis fuisse, inde patet, quod apud Matthaeum Christus responsum suum non ad matrem, sed ad filios dirigit.

V. 21. *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo* (ἐκτὸς ἑνός, vid. 4, 3.), fac, ut hi duo filii mei tibi, ut regi, potestate et dignitate proximi sint in regno quondam tuo. Nam regi a dextris et a sinistris ii solent sedere, qui potestate et honore ei proximi sunt. Cf. 3. Reg. 2, 19.

V. 22. *Nescitis, quid petatis*, erroneam tenetis de mei regni indole opinionem, putantes, regnum meum esse terrenum et ideo petitis bona temporalia et dignitates, quae contingere vobis nequeunt, quum spiritualia solum pollicitus sum (Calm.); aut: nescitis, quid sit regnum meum, nempe non carnale, sed spirituale (Jans.). — *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* satisne virium habetis, ut eandem, quam ego sortem subeatis passionis et mortis? Quid sit calix metaphoricè, vid. commentar. in evang. s. Joan. 18, 11. Textus graecus in multis codicibus hoc loco, et s. Marcus (10, 38.) adhuc habet: *et baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* (quae verba ex Marco huc illata sunt). Quibus verbis eadem sententia expressa est, ac praecedenti; nam etiam baptismus per metaphoram denotat sortem adversam, calamitates in hominem irruentes, quibus quasi undis obruitur et immergitur. — *Possumus, volumus, parati sumus in mortem tecum ire*. Ostendebant his voluntatem

promptitudinemque patiendi pro Christo, ut postea exitus docuit.

V. 23. *Calicem quidem meum bibetis*, perpessuri quidem estis pro me calamitates aerumnasque, et ita mihi similes eritis. Ita sunt verba haec explicanda, et non de morte violenta, quum Joannes naturali morte mortuus est, calamitates autem multas (v. c. exsilium) expertus. — *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare, sed* (dabitur illis, δοθήσεται ἐκείνοις, quod supplendum est), *quibus paratum est a Patre meo*. Vulgata post dare habet adhuc: vobis (scil. petentibus, sed certantibus et merentibus) quae vox in codicibus graecis non legitur; alii vero (juxta codicem D.) volunt post dare supplere: aliis (ἄλλοις), quae utraque lectio originem debet conatui, locum hunc eripiendi Arianis, qui ex eo Christi auctoritatem probare volebant, minorem esse, quam Patris. Dein stante alterutra lectione vis verborum: non est meum, minuitur, quin dicamus, tum deberet esse in textu graeco ἐν μὴ loco ἄλλῃ. Quapropter s. Augustinus dicit, hoc Christum non tanquam Deum, sed tanquam hominem dixisse, (uti infra 24, 36. Marc. 13, 32. dicit, *se nescire diem et horam judicii*). Sed, quum contextus nullum nutum, ut ita verba illa exponantur, praebet, utique non est opus ad hanc confugere explicationem. Nam Christus h. l. non negat, suae potestatis esse, concedere, ut quis ad dexteram vel sinistram sedeat, quum diserte apud Lucam (22, 29. 30.) id docet; sed tantum dicit, non esse suae potestatis istud dandi, quia tantum illis dabitur, quibus a Patre suo paratum, per aeternum decretum destinatum est. Cur autem dixerit Christus: Quibus paratum est a Patre meo potius, quam: quibus paratum est a me, quasi plus Patri quam sibi auctoritatis tribuat? Facilis est responsio, ait Maldonatus, id per usitatam in s. literis attributionem factum esse, in quibus, etsi omnia opera externa, ut theologi dicunt, tribus personis communia sint, tamen quaedam uni, quaedam alteri personae, tanquam propria soleant attribui; ut potentia et providentia (opera potentiae et providentiae) Patri; sapientia (opera sapientiae) Filio; gratia et dona (opera gratiae et charitatis) Spiritui sancto. Quia ergo paratum esse,

est, esse praedestinatum, praedestinatio autem est genus quoddam providentiae, Patri potius, quam Filio tribuitur.¹⁾

V. 24. *Decem*, i. e. reliqui Apostoli. — *Indignati sunt*, nimirum Jacobo et Joanni, ob tanti honoris cupiditatem, quo reliquos superare vellent; nam et ipsi ambiebant primas in regno Christi sedes.

V. 25. *Vocavit eos*, reliquos decem, qui fors bini vel terni inter se de duorum petitione murmurabant. — *Principes gentium*, principes gentiles, a Dei cultu et religione alieni. — *Dominantur* (κατακυριεύουσιν), duriter dominatum exercent. — *Eorum*, i. e. in eos, gentiles. — *Et qui majores sunt*, qui principum vice funguntur (seu magnates gentilium). — *Potestatem exercent in eos*, contra eos insurgentes sua abutuntur potestate. Utraque hac sententia vult Christus dicere: Quod affectatis, gentilium est, amantium solum dominatum, et potestate sua ad fastum et gloriam suam abutentium.

V. 26. *Non ita erit inter vos*, qui estis discipuli regni coelestis, ut in alterum alter dominatum exercent. Futurum erit pro imperativo: esto. — *Major fieri*, insignis esse, seu excellere auctoritate et dignitate aliis. — *Sit vester minister*, non desideret dominari, sed humiliter de se sentiendo aliorum inserviat commodo.

V. 27. *Qui voluerit inter vos primus esse*, qui voluerit omnium princeps esse. — *Erit vester minister*, omnium commodo inserviat. Est gradatio. Utraque sententia (v. 26. 27.) aliis verbis expressa, haec est: Non fastus dominandi, sed humilitas, in aliorum ministerio se manifestans, comparat homini principatum in regno coelorum. Respectu nostri loci dicit se summus Pontifex servum servorum Christi.

V. 28. Ad probandam dicti sui veritatem, exemplum suum proponit, sensusque est: Sicut ego Messias non veni in hunc mundum ideo, ut regis terreni instar dominatum exerceam in alios, sed ut omnium saluti vel vitam profundendo prospicerem et inservirem. Sic Christus manifeste edicit, dominium politicum a se et regno suo alienum esse. — *Dare animam suam* (δοῦναι τὴν ψυχὴν), vitam ponere, seu mortem

¹⁾ Cf. Bisp., Schegg.

subire. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 10, 11. — *Redemptionem*; graece est λύτρον, quod est pretium redemptionis, quod pro redimendo captivo vel mancipio, vel etiam pro re solvitur; metaphorice transfertur ad Christum, quatenus vitam suam profudit, ut e potestate peccati, maledictionis, diaboli et mortis aeternae homines liberaret. — *Pro multis* (ἀντὶ πολλῶν), loco (seu vice) multorum, seu: ne multis esset hominibus moriendum, nimirum sensu tropico, quo moritur, qui vitae aeternae expers, miseriae perpetuae (τῇ ἀπωλείᾳ) traditur. Sic Christus hisce clare indicat, mortem suam fuisse sacrificium piaculare et vicarium. Pro multis, quia multus saepe poni solet pro: omnis (πᾶς), potest explicari per: pro omnibus; quod diserte s. Paulus (Rom. 8, 32; 2 Cor. 5, 14; 1 Tim. 2, 6.) docet, dicens, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse. Sed si etiam multus h. l. proprio suo significato accipiat, non adest difficultas; nam quantum ad voluntatem Christi et ad sufficientiam mortis ejus attinet, pro omnibus mortuus est, mortuus est enim, ut morte sua omnium hominum peccata auferret, et iterum mors ejus valebat ad omnium redemptionem; quantum vero ad efficientiam (seu fructum) attinet, solummodo pro multis mortuus est, scil. pro iis, qui per fidem et charitatem redemptionis ejus participes fiunt, seu qui in justitia per fidem accepta usque ad mortem perseverant (Chrys., Hieron. alique). Cf. 26, 28.

Pars Quarta (20, 29 — 28, 20.).

In hac parte enarrantur ea, quae ultimis vitae Christi publicae diebus evenerunt, ejus passio, mors et resurrectio.

1. Sanatio caecorum in vicinia Jerichuntis (29 — 34.).

(Marc. 10, 46 — 52. Luc. 18, 35 — 43.).

V. 29. 30. *Et egredientibus illis ab Jericho.* Jericho erat urbs Palaestinae, sita in tribu Benjamin, ad fines tribus Ephraim, inter Hierosolymam et Jordanem. Ab Hierosolyma

distabat 150, et 60 stadia a Jordane. — *Miserere nostri*, ita nimirum, ut visum nobis restituas. — *Fili David*, vid. 9, 27.

V. 31. *Increpabat eos*, vel ideo, ne clamoribus suis molesti essent Christo, vel ne turbarent eos audientes Christum docentem.

V. 32. *Quid vultis?* Interrogabat eos, non ac si ignoraret, quid vellent, sed quia illis occasionem praebere volebat, petitionem suam manifestandi, ut ita firmaretur fides eorum.

V. 33. *Ut aperiuntur oculi nostri*, i. e. cupimus (θέλωμεν), quod supplendum est ex antecedenti quaestione: quid vultis, ut visum recuperemus. S. Matthaeus duos caecos Jesum sanasse memorat. Lucas (18, 36—43.) et Marcus (10, 46.) unius tantum mentionem faciunt; et quidem Marcus dicit, hoc factum esse, cum Jesus proficisceretur Jerichunte, Lucas autem ait, hoc evenisse, quum appropinquaret Jerichunti. Difficultas haec ita potest expediri: Factum, de quo Lucas loquitur, non est idem, de quo Matthaeus et Marcus sermonem faciunt: ergo posito hoc, antequam Jesus Jericho ingrederetur, sanatus est ab eo caecus, de quo Lucas agit; dein autem hujus miraculi fama adductos esse (juxta s. Aug.) alios duos, qui a Christo Jerichunte egresso visum receperant, et de quibus narrant Matthaeus et Marcus, et quidem Marcus de uno tantum loquitur, quia iste fors nobilior et vulgo magis celebrer erat, ideoque etiam et nomen caeci (Bartimaeus) et patris ejus (Timaus) expressit; quo posito tres fuissent a Christo caeci sanati. Patritius rem ita proponit: Unus caecus sanatus est, antequam Jerichuntem veniret Dominus, de quo loquitur Lucas; dein vero, cum Jerichunte egrederetur, sanatus est alius, Bartimaeus nomine, de quo Marcus loquitur; Matthaeus vero de his duobus h. l. conjunctim loquitur, ita ut duo caeci sanati essent.¹⁾

¹⁾ Patrit. de evang. I, 234. et in Marc. 10, 46. Ita et Knabenbauer.

Caput XXI.

1. Solemnis Christi in metropolin ingressus (v. 1—11.).

(Marc. 11, 1—11. Luc. 19, 29—44. Joan. 12, 12—15.).

Juxta Synopticos videtur Jesus statim profectus esse Jerichunte Hierosolymam; quod tamen non ita est. Nam, uti s. Joannes (12, 1. seq.) docet, profectus est Christus ex urbe Jericho Bethaniam, in quem vicum pervenit feria sexta (8. Nizanis), ubi sequente sabbato commoratus est, et ibi in domo Simonis leprosi (Marc. 14, 3. Matth. 26, 6.) coena exceptus est, in qua a Maria unctus fuerat.¹⁾ Die dominica (10. Nizanis, ergo die illo, quo agnus juxta legem [Exod. 12, 3—6.] eligebatur, proximo solemnii Paschatis mactandus) dein Hierosolymam solemniter ingressus est (cf. comment. in evang. s. Joan. 12, 1.). Unctionem ipsam Jesu postea, nullo temporis ordine servato, Matthaeus (26, 6. seq.) et Marcus (14, 3. seq.) narrant, ut ostenderent, qua occasione a Juda consilium, Jesum prodendi, captum esset. Cur Hierosolymam tenderet, quamvis sciret, mortem suam a Judaeorum senatu decretam esse, vid. comment. in evang. s. Joan. 12, 1. 12.

V. 1. *Quum appropinquassent*, propius advenissent Jesus ejusque asseclae. — *Bethphage*, in viciniam Bethphages; nam coll. v. 2. misit Jesus duos discipulos in Bethphages vicum, ergo Jesus cum reliquis itineris sociis non in ipso vico Bethphage, sed prope illum commorabatur, quod loco parallelo Lucae (19, 29.) confirmatur, ubi Jesus appropinquasse ad Bethphage et Bethaniam legitur. Bethphage erat vicus, situs ad radicem orientalem montis olivarum, ad occidentem Bethaniae, 15 stadiis ab Hierosolyma remotae, paululum vicinior urbi Hierosolymae, quam Bethania. Nomen sortitur a בֵּית פִּיָּא, domus ficuum, grossorum. Cum Lucas (19, 29.) et Marcus (juxta textum receptum) scribunt: cum appropinquasset ad Bethphage et Bethaniam, nonnulli (Robinson) colligebant,

¹⁾ Cf. Wieseler chronolog. Synopse der Evang. Langen: die letzten Lebenstage Jesu, S. 7.

Bethphagen longius fuisse ab Hierosolyma remotam, quam Bethaniam. Sed falso; nam juxta Joannem (12, 12.) Jesus ex vico Bethania ibat Hierosolymam; hinc, si in hac via in viciniam venerat Bethphages, utique Bethphage vicinior Hierosolymae esse debebat. Lucas ergo et Marcus de locis istis in genere loquuntur, quin ipsum utriusque vici situm accurate significare vellent.¹⁾ — *Ad montem Oliveti.* De monte hoc vid. commentar. in evang. s. Joan. 8, 1.

V. 2. *In castellum*, in vicum Bethphage. — *Quod contra vos est*, i. e. qui vicus vobis oppositus, seu ante vos est. — *Pullum*, nimirum asininum, quia asina commemoratur. Vid. commentar. in evangelium s. Joan. 12, 14. — *Adducite mihi*, scil. asinam et pullum. Asinam adduci jubet, ut pullus fortasse adhuc lactens, facilius ad ipsum adduci et Jesum ei insidentem facilius Hierosolymam portare posset.

V. 3. *Aliquid dixerit*, respectu solutionis et abductionis utriusque animalis. — *Et confestim dimittet eos*; graece ἐὺθὺς δὲ, confestim autem = potius confestim concedet, ut uterque ad me adducatur asinus. Intelligitur ex hoc versu, uti ex sequentibus, hominibus, quorum erat uterque asinus, et universim hominibus vici illius, Christi personam notam jam fuisse, et magnae apud illos auctoritatis; sed simul se probat Jesus rerum futurarum praescium et Dominum animorum, qui inclinat corda hominum (Prov. 21, 1.).

V. 4. Versu hoc causa indicatur, ob quam hoc factum est, scil. ideo, ut impleretur oraculum, quod praedixerat propheta Zacharias (9, 9.). Effatum hoc non verbotenus, sed memoriter, quoad sensum, est adductum. — *Ut* (ἵνα) finaliter accipiendum est.

V. 5. *Dicite filiae Sion: ecce rex tuus venit tibi mansuetus*. Vid. comment. in evang. s. Joan. 12, 15. — *Sedens super asinam et pullum*. Stante hac versione Christus alternis vicibus utrique asino, nimirum primum asinae matri, dein ejus pullo insedit, quod juxta nonnullos ideo fecisset, ut significaret, se esse Dominum tum Judaeorum (per asinam significatorum), tum gentilium (significatorum per pullum, utpote nullo legis jugo domitorum). Sed, quum ceteri evangelistae omnes aperte

¹⁾ Cf. Jans., a Lap., Langen, Schanz.

dicunt, Jesum pullo asinino insedissee, asinae matris ne mentione quidem facta, graeca verba potius vertenda sunt: super asinum et pullum, particula et (καὶ) autem explicative sumenda: nimirum, ita ut sensus sit: super asinum, nimirum (seu: et quidem) pullum. Quod autem graecum ὄνον ita verti possit, haud potest dubium esse, quia ὄνος tum asinum, tum asinam denotat.¹⁾ — *Filium subjugalis*, super filium jumentum, i. e. asini; nam graecum ὑποζύγιον in universum denotat omne jumentum, in primis tamen de asinis usurpatur. Pullos animalium Graeci nominant filios (υἱός vel παῖς).

V. 7. *Et impossuerunt super eos*, super asinam et pullum, et hoc ideo, quia ignorabant, utro Jesus uti vellet; qua re magistro suo amorem et reverentiam suam demonstrarunt. — *Et eum desuper sedere fecerunt*, quasi in graeco esset: καὶ ἐπεκάθισαν αὐτὸν ἐπάνω, quae lectio in nullo codice graeco antiquo invenitur. Praeferenda est lectio: καὶ ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν, et insedit iis, scil. vestimentis. (Ita jam Theophyl. et Euthym.)

V. 8. *Plurima turba*, plurimi alii Judaei, qui ad festum paschale Hierosolymam venerant et resurrectionem Lazari mortui audiverant, Hierosolyma egressi, Christo obviam iverunt (Joan. 12, 12. 13.), ut eum qua Messiam Hierosolymam solemniter deducerent. — *Straverunt vestimenta sua in via; alii autem caedebant ramos de arboribus et sternebant in via*. Juxta Joannem (12, 13.) quidam gestabant ramos palmarum. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 12, 13.

V. 9. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 12, 13.

V. 10. *Commota est*, nimirum extraordinario Jesu in urbem ingressu et quasi triumpho. — *Universa civitas*, cives Hierosolymitani, maxime sacerdotes, scribae et pharisaei, invidia, quod viderent Christo tantum honoris tribui. — *Quis est hic?* est interrogatio indignantium, prodentes suum contemptum et invidiam.

V. 11. *Propheta*, ille propheta per excellentiam, promissus a Deo. — *A Nazareth*, i. e. popularis noster, utpote Nazarethi educatus. Verosimile enim est, in turba hac permultos fuisse Galilaeos, qui verbis illis laetitiam suam manifestare volebant, quod ipse sit popularis eorum.

¹⁾ Cf. Berlepsch.

2. Altera templi purgatio, indignatio principum de Christi miraculis (12—17.).

(Marc. 11, 15—18. Luc. 19, 45—48.).

V. 12. 13. Haec templi purgatio non est facta illo die (10. Nizanis), quo Christus Hierosolymam ingressus est, sed teste Marco (11, 11. 15.) postridie (die lunae). Christus enim, docente Marco, qui diligentius ordinem constituit, post solemnem ingressum, vespera ivit Bethaniam, ibique pernoctavit (sicut pridie, quod et diebus insequentibus fecit coll. Luc. 21, 37. 38.), postridie dominicae i. e. feria secunda sive die lunae, mane iterum rediit Hierosolymam atque in itinere ficulneae maledixit, et dein Hierosolymam ingressus, templum purgabat. S. Matthaeus vero, qui etiam alias ordinem chronologicum non servat, hunc eventum ita refert, ac si statim post Christi in urbem ingressum contigisset. Reliqua vid. in commentar. in evangelium s. Joan. 2, 14—16.

V. 14. Postquam Jesus ut rex novus palatium suum repurgaverat, deinde in eo consedit et dona regali munificentia populo suo distribuit, rem agens dignam loco, quum turbae praeconium coelestibus signis sancivit et palam fecit, vere in se competere jus honoremque Messiae, quem propheta Isaïas (35, 5. 6.) insignivit verbis: „*Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum*“ etc. (Franc. Luc.).

V. 15. *Videntes*, advertentes. — *Mirabilia*, miranda ejus facta, illam scil. ejectionem et salvationem aegrorum. — *Pueros clamantes*, i. e. repetentes acclamationes majorum. — *Principes sacerdotum et scribae*, quorum praeter alia simul erat, curare, quae in templo fiebant et docebantur. — *Indignati sunt*, scil. Jesu, quia laudem illam, qua Messias proclamabatur, accipiebat.

V. 16. *Audis, quid isti dicunt?* i. e. quum id audis, impedi istam acclamationem. Hisce partim vituperant, quod Christus illam acclamationem non impediat; partim rescire volunt, utrum Christus hanc sibi laudem arroget jactetque se Messiam. — *Utique*, scil. audio, sed non est, cur illos impediam. — *Quia*, (ὅτι) est recitativum; praemittitur scil. orationi directae, verba recitanda alterius continenti; hinc h. l. redundat. — *Ex ore*

infantium et lactentium perfecisti laudem. Verba haec desumpta sunt ex Psalmo 8. (v. 3.), in quo psaltes canit laudem, qua Deus ab universa creatura, a coelo et terra usque ad infantes lactentes, celebratur. Quum Christus illa verba Psalmi ad clamorem parvulorum applicet, affirmat, in hoc parvulorum clamore etiam illa Psalmi verba impleri, proinde clamorem illum non solum acceptat, sed ad Deum refert, cui, ipsum Messiam profitendo, laus penditur. Vult itaque dicere: Quia vos me ut Messiam non agnoscitis, nec laude, quae mihi competit, celebratis, Deus mihi laudem paravit ex ore infantum elinguium et balbutientium; imo, ut Lucas (19, 40.) addit, *si hi tacuerint, lapides clamabunt.*¹⁾

V. 17. *In Bethaniam.* Vid. commentar. in evang. s. Joan. 11, 1. — *Ibique mansit*, i. e. pernoctavit.

3. Ficui sterili Christus maledicit (18—22.).

(Marc. 11, 11—14. 19—26.).

V. 18. *Mane*, scil. diei post solemnem ingressum, die lunae, quo dein purgatio templi facta est (coll. Marc. 11, 12.). S. Matthaeus eventum hunc post templi purgationem ponit, quia exsecratione illa symbolice veritatem aliquam significare volebat. — *In civitatem*, scil. Hierosolimam. — *Esuriit*, vere, esurie naturali.

V. 19. *Arborem unam* (μία); alii quandam (= τινά); alii: solam, quae, quum folia haberet, spem dabat famis levandae. Altera explicatio melior. — *Secus viam*, i. e. juxta seu ad viam. Arbores ficus ad viam plantabantur, quia pulvis fertilitatem earum adjuvare dicitur. — *Venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantum.* In Palaestina (et generatim in Oriente) ficus ter fructus singulis annis ferre solet: 1.) ficus praecoces (Boccoren) circa finem mensis Martii adolescent, sed maturescunt demum exeunte Junio (Jes. 28, 4 Jerem. 24, 2.); 2.) alterum genus ficuum aestivarum (Kermuse) mense Junio erumpere solet, sed maturescit demum Augusto; 3.) ficus denique serotinae (ut h. l.) per hiemem in arbore manent ac vere inter novas frondes foliaque maturescunt. Sic

¹⁾ Cf. Schegg Erklärung der Psalmen I. S. 82.

ergo circa festum Paschatis, quamvis, uti Marcus (11, 15.) scribit, *non esset tempus ficuum* (scil. maturarum), expectandum erat, in arbore foliis instructa, inventum iri ficum unam alteramve serotinam; quam cum non invenisset, maledixit ficulneae. Sed hac maledictione et arefactione arboris repentina Christus discipulis simul sortem populi Judaici adumbrare volebat. Ficus enim haec ad viam sola stans est symbolum populi Judaici. Hic a Deo inter reliquos populos electus, legem acceperat, et ad ejus observationem saepius per prophetas monebatur; quapropter in hoc populo Messias eximias virtutes merito desiderare (esurire) et expectare potuit, nominatim fidem in se firmam et vivam; ast ille fructus, propter quem illa omnia Dei dona populo concessa erant, non apparuit, quapropter, uti ficus maledicta arefacta est, etiam hic populus reprobabatur et ut arbor arefacta stabit usque ad finem mundi (coll. Rom. 11, 30.), vacua omnibus fructibus moralibus, utpote destituta humore fidei et gratiae, ut perpetuum signum maledictionis divinae. Eandem rem vividius depingit V. 33—46.

V. 20. *Et videntes discipuli*, non nunc, sed postridie (feria tertia) mane, cum illac praeterirent (coll. Marc. 11, 20.). — *Mirati sunt*, de tanta virtute maledictionis. — *Quomodo continuo aruit*, scil. ad illius sententiae pronunciationem.

V. 21. Admirationi Apostolorum utitur Christus, ut fidem eorum in se, Messiam, firmiorem redderet, eosque moneret, ipsos viva firmaque fide adhuc majora patratuuros esse, quam id est, quod in ficu factum est. — *Haesitaveritis*, dubitaveritis, vacillaveritis. — *Non solum de ficulnea facietis*, non solum id, quod in ficu factum est, perficietis. — *Sed et, si monti huic dixeritis: tolle et jacta te in mare, fiet*, i. e. majora patrabitis. Cetera vid. 17, 19.

V. 22. Videsis dicta 7, 7—10; 18, 19.

4. Christus respondet ad quaestionem de potestate ipsius (23—27.).

(Marc. 11, 27—33. Luc. 20, 1—8.).

V. 23. *Et quum venisset in templum* (εἰς τὸ ἱερόν) in templi atrium vel in porticus. — *Principes sacerdotum et seniores po-*

puli, et (coll. Marc. 11, 27.) legisperiti (non omnes, sed complures), qui omnes erant membra synedrii magni. Odium adversariorum Christi jam summum evasit, quia tam multi Christo adhaerent; quum tamen aperta vi eum in templo aggredi non auderent, utpote populum timentes (Marc. 11, 18.), dolosis interrogationibus eum capere et perdere studebant. Primum synedri legatos ad eum mittebant, qui ipsum interrogarent: *In qua potestate*, qua auctoritate. — *Haec faciat*, nimirum doceat, templum purgaverit aegrotosque ibi sanaverit. — *Quis dedit tibi hanc potestatem?* Interrogatione hac fors sperabant, Christum dicturum esse, Deum ipsi hanc potestatem dedisse, se divina agere auctoritate; quod si fecisset, eum de laesa Jehovahae majestate accusassent; si Messiam se diceret, eum tanquam regiae potestatis usurpatorem apud praesidem rom. accusare potuissent.

V. 24. *Respondens Jesus*, non aperte, sed more, antiquis usitato, nova quaestione tali, cujus solutio responsum simul contineret ad quaestionem priorem. — *Interrogabo vos et ego unum sermonem*, etiam ego unum verbum quaestionis vobis dicere volo, seu unam quaestionem vobis proponam.

V. 25. Adfertur ipsa Christi quaestio. — *Baptismus Joannis*. Sub baptismo intelligendum est omne ejus munus, hinc unacum baptismo doctrina, praedicatio et testimonium de Jesu; quia autem baptismus praecipua ejus functio erat, totum munus nomine baptismi designat. — *De coelo*, a Deo, seu: an divina egit auctoritate; nam opponitur verbis: ex hominibus. Sensus est: Quae Joannes Bapt. egit, numne auctore Deo, divina auctoritate, tanquam divinus legatus egit, an autem impulsu, jussu humano? — *Cogitabant inter se* (διελογίζοντο παρ' ἑαυτοῖς), inter se clam deliberabant, utpote intelligentes vim quaestionis Christi.

V. 26. *Si dixerimus, e coelo, dicet nobis: quare ergo non credidistis ei?* si responderimus, divina auctoritate prodiisse ac egisse Joannem, nobis dicere posset: cur, quum ea, quae Joannes ut legatus divinus docuit, vera esse negare non possitis, non credidistis ei praedicanti et testificanti, me esse Messiam (coll. Joan. 1, 26. 29.). Propterea non responderunt, divina auctoritate prodiisse et egisse Joannem. — *Si autem*

dixerimus, ex hominibus, timemus turbam, si autem responderimus, humano impulsu, jussu, eum prodiisse ac egisse, metuendus est populus, ne, uti habet Lucas (20, 5.), lapidet nos, ut blasphemos. — Omnes enim habebant Joannem sicut prophetam, nam omnes Joannem maximi aestimabant, eum prophetam ac praecursorem Messiae habebant.

V. 27. *Nescimus, nempe id, quod ipsis etiam fatentibus totus populus noverat, quod ex ore Joannis audierant (Joan. 1, 19—24, 32.); unde multis modis mentiuntur. Propterea et Christus eos indignos habuit; quibus responderet.*

5. Prima parabola de duobus filiis jussis in vinea operari (28—32.).

V. 28. Quod maligni illi dicere noluerunt, scil. Joannem divina auctoritate prodiisse ac egisse, id Christus ipse pronunciat, et in parabola illos summae improbitatis et simulationis coarguit (a Lap.). — *Quid vobis videtur?* Formula hac vult Jesus attentos reddere ad ea, quae dicturus est.

V. 30. *Eo*, scil. in vineam operatum. — *Domine*; vox honoris, qua etiam liberi apud Hebraeos patrem compellabant.

V. 31. *Praecedent*, in graeco est praesens: praecedunt, ante vos introeunt in regnum Dei, quod scil. jam inter vos consistit. Talis peccatrix jam particeps facta regni Dei est illa apud Lucam (7, 50.); talis publicanus erat Matthaeus.

V. 32. *Venit enim*. Reddit rationem dicti prioris. — *In via justitiae*, praedicans illam viam, quam justitia praescribit, postulat, atque ipse in ea incedens, agendo vitam perfecte justam, sanctam. — *Publicani et meretrices crediderunt ei*, et animum in melius mutarunt. — *Videntes*, scil. portitores et meretrices credidisse et animum in melius mutasse. — *Nec poenitentiam habuistis*, nec posthac poenitentiam egistis, ut fidem Joanni haberetis. — Parabola significatio est haec: Homo ille, qui duos habebat filios, est Deus; vinea est regnum Dei; prior filius sunt portitores et meretrices (peccatores publici, homines flagitiosi); nam ante Joannis adventum Deo, eos per legem et prophetas ad poenitentiam provocanti, non obediverunt, postquam vero Joannes exstitit, fidem ei habuerunt, ita ut ejus praeconio convenienter animo in me-

lius immutato, Deo servirent. Filius posterior sunt synedri, qui ficta pietate simulabant, se Dei mandatis in V. T. praescriptis obtemperare, sed revera non serviebant, nec postea, quum Joannes exstisset, et exemplum portitorum et meretricum vidissent, poenitentiam egerunt. Ita plerique Maldonatum secuti. Permulti tamen Patres (Athanas., Chrysost., Hieron.) alique (Beda, Theophyl.) per primum filium intelligunt gentiles, per alterum Judaeos. Explicatio haec, quum ei contextus non favet, tantummodo admitti potest ut applicatio practica.¹⁾

6. Altera parabola de vinitoribus (33—46.).

(Marc. 12, 1—12. Luc. 20, 9—19.)

V. 33. Pergit Jesus alia parabola notare impietatem et levitatem synedrorum, annunciando simul eorum perditionem propter crimen, quod in ipsum Messiam commissuri sunt. — *Audite*; alloquitur synedros, sed in his simul populum, qui (coll. Luc. 20, 9.) aderat. Parabola haec mutuata est ex Jesaia (5, 1 seq.). — *Homo erat paterfamilias* (= erat homo paterfamilias); vid. 18, 23. — *Torcular*, lacum torcularium (idem quod ὑπολήγιον apud Marcum, i. e. lacus, seu vas torculari suppositum), terrae infossum, in quem uvarum liquor per homines expressus influit. — *Aedificavit turrim*. Turres apud veteres in hortis et vineis, quo diligentius fructus custodiri possent, exstruebantur. — *Agricolis*, vinitoribus. — *Locavit*, colendam tradidit, ea scil. sub conditione, ut pars fructuum ei redderetur (coll. Luc. 20, 10.). — *Et peregre profectus est*, curam vineae relinquens colonis.

V. 34. *Tempus fructuum*, scil. maturorum, seu tempus vindemiae. — *Fructus ejus* (αὐτοῦ). Alii αὐτοῦ referunt ad herum (patremfamilias) hoc sensu: redditum annuum, qui ipsi deberetur. Alii cum Vulgata pronomen ejus referunt ad vineam, hoc sensu: fructus, quos vinea genuit et vi contractus patrisfamilias erant. In substantia sensus non differt.

V. 35. *Dixerunt intra se*, inter se locuti sunt. — *Significatio parabolae*: Homo paterfamilias est Deus; vinea

¹⁾ Cf. Mald., a Lap., conf. Knabenbauer.

est ecclesia V. T. seu theocratia Judaica V. T., quam Deus condidit, et ne per gentiles corrumperetur, eam sepe legis circumdedit; in ea ut torcular condidit altare, in quo continuo victimarum sanguis, Christi sanguinem praefigurans, manabat, et ut turrim extruxit templum, ex quo agricolae velut speculatores e specula ad custodiam vineae (populi electi) prospectabant.¹⁾ Alii (Mald.) per turrim, torcular et sepem nil aliud exprimi putant, quam: Deum omnibus rebus necessariis vineam instruxisse, seu fecisse vineae (ecclesiae) suae, quidquid facere debuit (coll. Jes. 5, 4.). Vinitores sunt sacerdotes, legisperiti et seniores populi, quibus ut custodibus Israël (Jes. 62, 6.) Deus ecclesiae suae curam demandavit, dum ipse peregre profectus est, nimirum inde a lege data usque dum ipse incarnatus in sua venerit atque populi sui curam suscepit (Orig.). Fructus, quos dominus sibi reddendos postulavit, erant gloria ejus (Mal. 2, 2.), gratitudo, amor et observatio legis. Servi sunt prophetae, qui, postquam ecclesiae suae curam sacerdotibus, legisperitis et senioribus tradidisset, variis temporibus a Deo mittebantur, ut in populo Judaico verae probitatis fructus exigerent, et, si tales non adessent, tam populum, quam populi moderatores monerent de illis, quae Deo tanquam Domino suo habeant praestanda, quorum alii (teste historia) ignominiose tractati, alii plane occisi sunt. Tandem in plenitudine temporis misit Deus Filium suum incarnatum, Jesum Christum, quem quidem ut legatum divinum et haeredem domus Davidis pharisaei et legisperiti agnoverunt (Joan. 11, 47.), sed invidia et superbia ducti eum tanquam seductorem, qui ad populum Dei non pertinet, gentilibus tradiderunt, ut crucifixione, poena apud Judaeos ignota, interiret, et ipsi haereditatem, dominium in populum retinerent.

V. 40. 41. Ut pessimi illi vinitores et pastores populi ipsorum sententia se condemnent, quaerit Jesus ex eis: *Cum ergo venerit dominus vineae, quid faciet agricolis illis?* Quum hi duces et pastores populi (sacerdotes, legisperiti et seniores populi) (uti ex v. 45. elucet) minime cogitarent, parabolam directam esse ad ipsos et contra ipsos, audacter respon-

¹⁾ Orig., Hilar., Hieron., Beda, Theophyl., Euthym.

derunt: *Malos male perdet*, improbos illos vinitores gravissimis poenis afficiet. Id re vera factum est; nam mali illi primores populi Israël male interierunt, quum respublica et urbs Hierosolyma a Romanis subverteretur (Theoph., Lap.). — *Et vineam suam locabit agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Ipsi primores et duces populi profitentur aperte, vineam aliis vinitoribus esse elocandam et priores debere poenas acerbissimas dare, et tales esse vinitores eligendos, qui re vera fructum et proventum Domino reddant. Id factum est, quum Christus populo suo alios providerit pastores, nimirum Apostolos, quibus dixit: »ego elegi vos et posui vos, ut eatis et fructum afferatis (Joan. 15, 16). Attamen adest in narratione Matthaei differentia quaedam cum Marco et Luca; nam juxta Matthaeum Christus proposita hac parabola dixit (v. 40.): *Quum ergo venerit dominus vineae, quid faciet agricolis illis?* Dicunt (v. 41.) ei: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis.* — Apud Marcum (12, 9.) et Lucam (20, 16.) dixit Christus: »*Quid ergo faciet dominus vineae? Veniet et perdet eos et dabit vineam aliis.*« Pro his juxta Matthaeum ad quaestionem Christi responderunt auditores, juxta Marcum vero et Lucam respondisse videtur ipse Christus; imo apud Lucam post responsum hoc inducuntur auditores dicentes: »*Absit hoc!*« — Diversitas haec conciliari potest, si (cum s. Chrys. et Euthym.) teneamus, tum apud Matthaeum, tum apud Marcum Lucamque aliquid omissum esse; nimirum ad quaestionem Christi responderunt auditorum aliqui (ut Matthaeus habet), quod Marcus et Lucas non notarunt diserte; Christus vero dein responsum graviter repetebat (uti Marcus et Lucas habent), et ita quidem, ut nunc intelligerent principes sacerdotum et legisperiti, de ipsis esse sermonem istum sub imagine vinitorum (colonorum), quare dixerunt: *absit hoc* (scil. ut nos occidamus Messiam, Filium Dei et male pereamus), et hoc Matthaeus non notavit.¹⁾

V. 42. Quum principes sacerdotum et legisperiti dixissent: *absit hoc*, et sic declinare vellent, quae eis Christus prae-dixit; convertit oculos in illos (coll. Luc. 20, 17.) et dixit: —

¹⁾ Cf. Mald., a Lap.

Numquam legistis in scripturis, nimirum Psalmo 117. (seu juxta 70 in Ps. 118, 22. 23.), quem Messianum habetis? Sensu historico spectat hic Psalmus ad populum Israël docetque, populum hunc, quamvis a gentilibus contemptum et rejectum, tamen destinatum esse, ut fieret primus in terra populus. Sensu autem typico agit Psalmus hic de Christo, uti jam rabbini Psalmum interpretati sunt, et h. l. Christus et Petrus (Act. 4, 11. 1 Pet. 2, 6.) faciunt. Quapropter sensu typico in hoc parabolico sermone iidem sunt aedificantes, qui in parabola praegressa erant vinitores; idem aedificium, quod vinea; idem lapis reprobatus, qui filius seu haeres occisus. Sensus, quem Christus hic intendit, est: Ego, quem vos, populi moderatores, repudiatis et spernitis, nihilominus Messias sum et novi aedificii, ecclesiae N. T., ero fundamentum. — *Lapidem quem* (λίθον ὃν) per attractionem dictum pro: lapis, quem (λίθος, ὃν). — *In caput* (εἰς κεφαλήν) more Hebraeorum (cf. 19, 5.). Caput anguli est lapis angularis, ideo caput dictus, quia primarius (praecipuus, capitalis) est in structura, quo aedificium fundamento superstructum sustinetur, et tota junctura duorum parietum (Ephes. 2, 20.) continetur (cf. Mald.). Christus erat lapis capitalis et fundamentalis theocratiae V. T.; spes in venturum Messiam erat anima populi Israël. Quapropter quum moderatores populi Christum rejecissent, corrui totum aedificium, Israël factus est cadaver. Christus est lapis angularis ecclesiae tanquam primarium et principale ejus fundamentum, et totius aedificii ecclesiastici caput, qui omnes in unitatem fidei colligit et retinet diversos populos inter se nectens. — *Reprobaverunt*, rejecerunt tanquam non idoneum et inutilem ad aedificium exstruendum. — *Aedificantes*, structores, architecti. — *Hic*, cum emphasi: ipsissimus hic. — *A Domino*, a Deo omnipotenti. — *Factum est istud*, nimirum quod lapis ab aedificii structoribus rejectus, ad lapidem angularem adhibitus est. In graeco est femininum αὐτῇ et θαυμαστῇ positum pro neutro, ideo, uti nonnulli putant, quia interpretes Alexandrini secuti sunt loquendi rationem Hebraeorum, qui saepe femininum pro neutro ponunt. — *Mirabile est in oculis nostris*, i. e. nobis mirabile videtur, quod scil. a Deo ita con-

stitutum erat. Alii¹⁾ feminina ἀντη et θαυμαστή referunt ad κεφαλὴ γωνίας, hoc sensu: Auctore Deo Christus factus est hic, scil. lapis angularis, et hic lapis angularis nostro iudicio admirabilis est. Explicatio prior praeferenda est.

V. 43. *Ideo*, quia lapis a vobis rejectus a Deo in lapidem angularem constitutus est. — *Dico vobis*, scil. synedristis moderatoribus et plebi, vobis adhaerenti. — *Auferetur a vobis regnum Dei*, Messianum (ecclesia), quod nunc unice inter vos Judaeos exstiterat, seu desinetis esse populus Dei. Populus Israël erat naturalis haeres promissionis Abrahamo factae, ipse erat possessor regni divini, quum in hoc populo istud unice extitit temporibus antemessianis; quum autem regem suum et dominum (Messiam) rejecisset, desiit esse populus Dei; regnum Dei ablatum est ab eo, et ejus locum occupabat populus sacerdotalis et regalis (1 Pet. 2, 9.), Israël secundum spiritum (Rom. 2, 28. Gal. 4, 29.), i. e. multitudo fidelium, ex omnibus terrae populis collectorum, seu ecclesia christiana, in qua progerminant fructus regno Dei, (quod consistit in sanctitate et justitia), apti et digni, et quos Christus initio sermonis montani enumeraverat. — *Et dabitur genti facienti fructus ejus*, et transferetur ad multitudinem fidelium, potissimum ex gentilibus collectorum, qui edituri sint fructus dignos regno Dei, seu, qui gratiis Dei sibi collatis bene utentur atque fructus producent, ad quos Dei dona et gratiae conceduntur. Sic Christus vaticinatur vocationem gentilium.

V. 44. *Qui ceciderit super lapidem istum*. Significat hoc versu duplicem poenam, alteram minorem, alteram majorem; quemadmodum, qui in lapidem cadit, se quidem laedit, sed multo minus, quam si lapis super eum de superiore loco caderet (Mald.). Super lapidem cadere (docentibus Chrysostomo, Augustino, Euthymio et Theophylacto) est: non credere in Christum, seu offendere in Christi personam et conditionem humilem. — *Confringetur*, perniciem sibi accerset. — *Super quem vero ceciderit*. Lapidem cadere super aliquem, est juxta August.: Christum de coelo ad eum judicandum et condemnandum venire. — *Conteret eum*.

¹⁾ Fritsch., Meyer, Schegg.

graece λικμήσει, ventilabit, i. e. eum penitus perdet, eum instar palearum quasi comminutum dissipabit, disperget (Theoph., Euth.). Versio Vulgatae: conteret, non est satis accurata; nam λικμάω (α λικμός vannus, Worffschäufel) notat: ventilo (werfeln), non autem: contero, comminuo, perdo. Christus autem significaturus, se esse funditus perditurum in extremo iudicio, qui in eum non sit crediturus, usus est dicendi imagine a frumento ventilando desumpta, dicens: eum ventilabit, i. e. eum instar palearum comminutum dissipabit, disperget, seu funditus perdet. Adest in his verbis allusio ad locum Danielis (2, 44.), ubi lapis (i. e. regnum Messiae) omnia regna conterit et ventilat. Vult ergo Christus hoc versu dicere: Grave detrimentum patientur, et miseri erunt jam in hac terra, quibus offensioni sunt mea persona et humilis conditio, seu qui in me Messiam non credunt; sed miseriores erunt in altera vita, quum ego eos condemnvero ad poenas aeternas. Versus 44. in quibusdam codicibus non legitur, quapropter nonnulli eum ex Luca (20, 18.) huc illatum omittunt. Sed praestantissimi testes eum habent, et si ex Luca esset desumptus, certe immutatus et post v. 42. illatus fuisset.

V. 45. 46. *Cognoverunt*, partim ex ipsis Psalmi verbis, partim ex dictis et gestibus Christi. — *Tenere*, violenter comprehendere.

Caput XXII.

1. Parabola de regiis nuptiis (v. 1—14.).

Parabola hac Christus idem docet, quod illa de vinitoribus, scil. rejectionem Judaeorum et vocationem gentilium. Similis est porro haec parabola illi, quam refert Lucas (14, 16. seq.), sed non est eadem; nam praeter discrepantias alias haec parabola apud Matthaeum dicta fuit postrema hebdomade vitae Christi, et quidem publice, in templo, illa apud Lucam multis antea mensibus Capharnaumi apud quemdam pharisaeum.¹⁾

¹⁾ Cf. Calm., Patrit. I, 416. 421.

V. 1. *Respondens*, loqui exorsus, cf. 11, 25. Alii: respondens tacitae eorum cogitationi. Occasionem prae-buit tentamen adversariorum Christi, eum comprehendendi. — *In parabolis*, i. e. parabolico usus dicendi genere; nam una tantum sequitur parabola. Est pluralis categoricus, quo attenditur genus potius, quam numerus.¹⁾

V. 2. *Simile factum est regnum coelorum homini regi*, simile quid accidit (seu similiter fit) in ecclesia (in regno Mes-siano) condenda ac propaganda, ac si rex quispiam pararet nuptias filio suo (cf. 13, 24.). Vocem γάμος recte vertit Vulgata per: nuptias (i. e. nuptiarum solemnia); versio: convivium nuptiale, non est satis accurata.

V. 3. *Vocare invitatos*, qui dicerent jam antea invitatis, esse tempus, ut venirent. Mos enim erat (et etiam nunc esse perhibetur, uti nonnulli dicunt) in Oriente, prius invitatos brevi ante solemnia nuptiarum iterum invitandi.

V. 4. *Prandium*, a quo nimirum, ut series epularum nuptialium inciperetur, rex voluisse videtur. — *Paravi*, paratum habeo. — *Altilia*, ceterae pecudes pinguefactae, veluti arietes, vituli, volatilia.

V. 5. *Illi*, nonnulli, qui invitati erant. — *Neglexerunt*, rebus hujus mundi occupati, nihil curabant invitationem, seu: quae regis famuli ad eos locuti sunt. — *In villam suam* (ἰδίαν pro pronomine possessivo), in agrum suum. In parabola apud Lucam se excusant duo priores. (Luc. 14, 18. 19.).

V. 7—9. *Succendit*, inflammari jussit. — *Non fuerunt digni*, ut nimirum huic nuptiarum celebritati interessent. — *Ite ergo*, ne scil. convivium nuptiale, quum invitati illo indignos se prae-buerint, frustra sit paratum. — *Ad exitus viarum*, i. e. ad ea loca in urbibus, ubi plures viae conveniunt et ideo homines permulti confluere solent.

V. 10. *Congregaverunt*, scil. sua invitatione, quae non repudiabatur. — *Malos et bonos*, nullo discrimine facto, id unum spectantes, ut invitationem acciperent, reliqua regi (coll. v. 11.) relinquentes. — *Et impletae sunt nuptiae discumbentium* (καὶ ἐπλήσθη ὁ γάμος ἀνακειμένων). Tischendorf ob codices: Aleph, B. L. loco γάμος legit ὁ νυμφών, quae vox proprie significat con-

¹⁾ Cf. Beelen gram. p. 174.

clave sponsi et sponsae (das Brautgemach). Quum neque nuptiae, neque nuptiarum solemnia, neque convivium nuptiale convivis repleti recte dici possit, recte autem dici potest repleti locus rebus corporeis, lectio *συμψών* praefenda est, quae denotat conclave seu coenaculum, in quo convivae nuptiales epulabantur. Syrus habet: domus convivii; Jansenius: locus nuptialis.

V. 11. *Intravit*, scil. coenaculum nuptiale. — *Ut videret discumbentes*, utrum hilares essent omniaque digne tantis nuptiis, tanto sponso et sponsa agerentur. — *Non vestitum veste nuptiali* non tali indutum veste, qualis decebat nuptias.

V. 12. *Amice*; vid. 20, 13. — *Quomodo*, qua fronte et audacia tu ad tantas nuptias venire potuisti? — *Non habens vestem nuptialem* (*μὴ ἔχων*), quin haberes, seu quum scires, te non habere vestem nuptialem. — *Obmutuit*, quia se excusare non potuit.

V. 13. *Tunc*, quum ille homo per silentium se ipsum condemnasset. — *Ligatis manibus et pedibus*, ne se defendere et fugere queat. — *In tenebras exteriores* etc.; vid. 8, 12.

Significatio parabolae: Rex est Deus Pater, sponsus est Christus, incarnatus Filius Dei, sponsa Christi est ecclesia, nuptiae Christi sunt conjunctio ejus cum ecclesia, quae nuptiae durante vita ejus publica inchoatae durabunt usque ad ejus adventum ad judicium, quo conjunctio Christi cum ecclesia consummabitur per gloriam. — Invitati sunt Judaei, qui jam in Abrahamo, cui promissio facta est Messiae, invitati et postea per prophetas ad regnum Messianum vocati et praeparati erant. Servi missi, per quos Judaei jam ab antiquo tempore vocati, invitabantur, ut in Christum crederent, sunt Joannes Baptista, Apostoli et alii discipuli Christi, ast major pars renuit Christo fidem adhibere. Post Christi ascensionem Apostoli ex Dei jussione Judaeis in Palaestina et in exteris regionibus praedicabant, jam omnia esse peracta, quae ad hominum salutem essent necessaria, et miraculis patratis et Dei donis ac beneficiis ostensis eos urgebant, ut in regnum Messianum (ecclesiam) et ad participationem tot bonorum accederent. Sed maxima Judaeorum pars, quum diversis rerum terrenarum amoribus, studiis ac lucris abstracti et occupati essent, contempsit

invitationem; alii vero (synedri et proceres) persecutiones moverunt in Apostolos et in christianos, uti id satis elucet ex Actibus Apost.: (8, 1; 9, 24. 29; 12, 3; 13, 50; 14, 5. 18; 17, 5. 13; 18, 6. 12; 21, 28; 22, 22.) et epistolis s. Pauli (2 Cor. 11, 24. 1 Thess. 2, 14—16.).

In poenam malitiae eorum Hierosolyma devastabitur per exercitus Romanos (per Titum et Vespasianum), quasi exsecutores sententiae divinae (coll. Luc. 19, 23.) et spreta a Judaeis salute Messiana invitabuntur gentiles ad ingressum in regnum Messianum (in ecclesiam). Vocatio quidem gentilium jam ante eversionem urbis efficaciter facta est, sed in parabola res apte ita describi potest, quia in sermone prophetico singula proponi solent non secundum seriem temporis, sed secundum internam quandam rerum cognitionem. Quum plenitudo gentilium in regnum Christi (ecclesiam) ingressa fuerit, et antequam incipiant nuptiae in coelo celebrandae, seu gloriosa Christi cum ecclesia conjunctio, fiet (tempore judicii extremi) lustratio et discretio convivarum. Qui sanctitatis veste, gratia sanctificante, ornati non fuerint, ab angelis separabuntur et poenis aeternis subjicientur.

V. 14. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Quia parabola haec contra Judaeos erat proposita, Christus hisce verbis declarat, paucos ita vocatum iri ad regnum Messianum, ut simul eligantur, ut revera veniant. Judaei vocati sunt ad regnum Messianum (ad ingressum in ecclesiam Christi), pauci autem electi, qui invitationi obsequuntur et gratia Dei tracti et adjuti revera in ecclesiam ingrediuntur, fidem suscipiunt. Etiam s. Paulus illos, qui fidem susceperunt, saepe appellat electos (Rom. 11, 7. 1 Cor. 1, 27. Ephes. 44. 1 Thess. 1, 4. 2 Thess. 2, 12.). Sed simul his verbis (v. 14.) declaratur, esse gratiae Dei, ut qui vocentur, re ipsa veniant. — Recte autem jam ab antiquis interpretibus observatur, in illo uno, qui non habebat vestem nuptialem et ideo ex magna discumbentium multitudine ejectus est, nos graviter moneri, non satis esse, intrasse in ecclesiam, sed opus esse, ut vivamus vitam sua vocatione dignam, ut decenti ornatu (gratiae sanctificantis) vitam degamus in ecclesia.

2. Solvit Christus quaestionem de censu Caesari dando (15—22.).

(Marc. 12, 13—17. Luc. 20, 20—26.)

V. 15. *Tunc*, quum pharisaei pluribus parabolis irritati essent, et quum ob populi metum non auderent, Christum vi comprehendere, eum dolo capere tentabant. — *Ut caperent eum in sermone*, ὥπως παριδεύσωσιν, *ut illaquearent eum sermone*, i. e. ut elicerent a Jesu dictum aliquod, quod occasionem eis praeberet, eum accusandi et perdendi.

V. 16. *Herodiani*. Hi non erant, uti nonnulli putant, aulici Herodis Antipae, sed homines, qui stabant ex partibus domus regiae Herodianaë, hinc et Romanorum, quorum beneficio familia Herodis regnavit. — *Viam Dei*, viam, quam Deus ab hominibus ambulari vult, seu quid Deus ab hominibus velit fieri, vel non fieri, mandata Dei. — *In veritate*, vere, sincere (ἡληθῶς). — *Non est tibi cura de aliquo*, neminem curas, utrum quae doces, aliis placeant, an displiceant. — *Non enim respicis personam hominum*, nam nullam habes rationem externae hominum conditionis (ut dignitatis, divitiarum, honorum, potentiae, scientiae, aut nationalitatis), seu: partium studio non detineris. Hoc enim notat h. l. *respicere personam*, aut *accipere personam* (Luc. 20, 21.), aut *videre in faciem hominum* (Marc. 12, 14.). Cuncta haec dicta sunt captatio benevolentiae.

V. 17. *Licet census dare Caesari, an non*, licetne jure divino juxta principia theocratica Judaeo, cujus Dominus et rex legitimus est solus Deus (Jehova), tributum Caesari pendere, et ita imperium Caesaris agnoscere eique se submittere? Lex Moisaica tantum tributa templo pendenda (Exod. 30, 12.) praecipit. Quaestio haec erat valde captiosa. Aderant enim pharisaei, qui, uti omnes fere Judaei, juxta sua principia theocratica imperium Romanorum (et ipsius Herodis) atque tributa quaevis ab his exacta, tamquam subjectionis et duri jugi alieni signa maxime aversabantur, solum Deum regem suum agnoscences et ad suae legis normam gubernari desiderantes. Si itaque Jesus simpliciter affirmasset, dandum esse tributum Caesari, populi theocratici libertatisque ejus inimicum eum diffamassent, sicque populum ab eo avertere studuissent, ut

facilius eum possent perdere. Si vero simpliciter negasset, dandum esse census, simile, nisi et gravius periculum incurrisset. Aderant enim Herodiani, imperii et jurium Romanorum maximi defensores, qui, si Jesus negative respondisset, eum jurium Romanorum adversarium et populi concitatorem apud Herodem accusassent. Vox Καῖσαρ, lat. Caesar, proprie erat agnomen Julii Caesaris, quod adscitum ab Octaviano Augusto ejusque successoribus postea in nomen appellativum mutatum est, quo Romanorum summi principes ornarentur.

V. 18. *Cognita*, sua divina omnium rerum scientia. — *Nequitia eorum*, consilio eorum maligno, quum non discendi, sed ipsum tentandi causa interrogarent.

V. 19. *Ostendite mihi numisma census*, ostendite mihi numum, quo census Caesari a vobis solvi consuevit. — *Obtulerunt denarium*, i. e. monetam romanam.

V. 20. 21. *Cujus est imago haec et superscriptio?* *Dicunt ei: Caesaris.* Sensus est: Ipsa imago et inscriptio hujus monetae, quae apud vos in usu est, (tacite) dicunt vobis, vos subditos esse Caesari. Nam, si in regione aliqua numi exteri in usu erant, tamquam subjectionis signum hoc considerabatur illeque agnoscebatur tamquam dominus, cujus moneta regio utebatur.¹⁾ — *Reddite ergo*, i. e. quia ipsa moneta, quae apud vos in usu est. testatur, vos subditos esse Caesari, praestate etc. — *Quae sunt Caesaris*; haec non tantum de tributo, sed de officiis illis, quae dominus jure poscit a subditis suis praestanda (uti vectigalia, operas, obedientiam etc.), accipienda sunt. — Et sic etiam verba: quae sunt Dei, non solum de tributo, quod templo solvendum sit, sed de officiis, quae Deo universim sunt praestanda (cultum, amorem, voluntati suae obedientiam, verbis fidem), intelligenda sunt. — Hoc monitum addendo ostendere voluit Christus, non impediri Judaeos Romanorum imperio, quominus Deum tamquam regem suum supremum revereantur. Veritatem hujus testatur historia, quatenus christiani, quamvis subjecti essent principibus gentilibus, sancte impleverunt officia in Deum et principes.

¹⁾ Cf. Maimonides in tract. Gezelah c. 5.

V. 22. *Mirati sunt*, quia consilia eorum astuta a Christo tam facile eversa fuerint; nam inextricabilis videbatur phariseis laqueus, quem Christo posuerunt.

3. Sadducaeis a Christo responsum datur (23—33.).

(Marc. 12, 18—27. Luc. 20, 27—40.)

V. 23. *In illo die*, eodem nimirum, quo pharisei ad silentium redacti sunt. — *Accesserunt Sadducaei*. Proponunt isti, qui (coll. 3, 7.) negabant resurrectionem mortuorum, hanc quaestionem, ut ob absurditatem, quae ex ea sequi videbatur, (quod scil. vel plures eandem haberent postea simul uxorem, vel unus prae caeteris, quibus erat par jus) vel expugnarent resurrectionem, vel vero Christum cogerent negare doctrinam de resurrectione.

V. 24. *Moses dixit*, i. e. legem nobis sanxit, scil. Deut. 25, 5. — *Suscitet semen*, sobolem ei procreet. Jubet scil. lex levirum, aut si nullus levir esset, proximum cognatum, viduam defuncti fratris (cognati) ducere, et primum ex hoc conjugio genitum, demortui filium haberi atque haeredem. — *Ut ducat* (ἐπιγαμβρεύω affinitatis jure tanquam affinis uxorem duco).

V. 25. Nunc ipse casus proponitur, qui verosimiliter fictus est. Cur eum Sadducaei attulerint, dictum erat supra (v. 23.).

V. 26. *Similiter*, scil. duxit fratris uxorem et sine prole mortuus est. — *Usque ad septimum*, i. e. usque eo, dum septem illam duxerint et mortui essent.

V. 28. *In resurrectione*, tempore resurrectionis; Marcus (12, 23.) addit: cum resurrexerint, nimirum septem fratres et mulier. — *Cujus erit de septem uxor?* Nonnulli doctores Judaici¹⁾, ne polyandriam in altera vita admittere cogerentur, docebant, ejusmodi mulierem in vita altera in primi mariti potestate futuram esse. Qua tamen re parum profecerunt, partim, quia non apparet ratio, cur huic potius uxor detur, quam alteri; partim, quia nullo scripturae s. effato suam sententiam roborare potuerunt. Si autem Jesus dixisset, ejusmodi mulierem septem fratribus fore communem, eum ut po-

¹⁾ Sohar Gen. f. 24. c. 96. teste Wetstenio.

lyandriam docentem, quae lege Mos. interdicta erat, diffamassent. Unde dein concludebant: non dari resurrectionem.

V. 29. Christus alio modo quaestionem solvit, dum docet, erroris Sadducaeorum fontem esse ignorantiam s. scripturae et potentiae Dei. — *Nescientes scripturas*, i. e. quia non intelligitis eas, quae hac de re (scil. resurrectione mortuorum) loquuntur. — *Neque virtutem Dei*, Dei omnipotentiam, qua corpus redactum in cineres, ad vitam, eamque longe aliam ac jam vivimus, revocabitur.

V. 30. Hoc versu probat, illos ignorare potentiam Dei. Vult Christus dicere: Vestra resurrectionis negatio innititur erroneae ac crassae opinioni de indole corporis resuscitati. Vos nimirum putatis, Deum mortuos tali tantum forma posse restituere, qua in hac vita vixerint, non autem posse eos longe alia, sublimiori, ad vitam revocare, quam degent absque cibo, potu et nuptiis. Quamdiu genus humanum mortale est, propagatione hinc et connubiis, per quae illa hominum propagatio efficitur, opus est; ast in altera vita homines non amplius sunt morti obnoxii, nam etiam quoad corpus similes erunt angelis (utpote praediti corpore spirituali, supernaturali et immortalis coll. I. Cor. 15, 42. sqq. Luc. 20, 35.) omnino subjectum spiritui (s. Thom.), quapropter ibi illa propagationis et connubiorum necessitas cessabit. Verbum γαμοῦσαι de viris, qui uxores ducunt, γαμίζονται autem adhibetur de filiabus, quae nuptui dantur, seu nubunt.¹⁾

V. 31. Hic probat, eos nescire scripturam. — *Dictum est*, nimirum Exod. 3, 6. Christus locum Mos. sibi elegit, quamvis longe clariora ex prophetis testimonia suppeterent, quia Sadducaeos, qui tantum id tanquam normam, regulam fidei et morum habebant, quod in Pentateucho continebatur, et ideo ad locum Mos. provocabant, iisdem armis (i. e. loco Mos.) refellere volebat; in Pentateucho autem testimonium, quod apertius faceret pro corporum resurrectione animaeve immortalitate, nullum exstat. — *Vobis*, i. e. ad vos edocendos.

V. 32. Argumentatio Christi haec est: Vocat se Deus numen propitium (tutelare) Abrahami, Isaaci et Jacobi, et quidem eo tempore, quo isti patriarchae jam diu (ante 500 annos)

¹⁾ Cf. Veith: Die Anfänge der Menschenwelt 209.

obierant; quo utique docet, se in quodam nexu cum iis existere; non posset autem in tali nexu cum iis esse, si ipsi morte sua penitus extincti essent, nec ultra existerent. Unde concludendum relinquit: ergo Abrahamus, Isaacus et Jacobus vivunt. — Hisce Jesus non tam corporum resurrectionem directe demonstravit, quam potius animarum immortalitatem. Sed hoc sufficiebat, quia Sadducaeis (testibus Orig., Hieron.) corporum resurrectionem ideo negabant, quod ipsam animam unacum corpore interire simulque dissolvi contenderent. Ast probata animarum immortalitate, etiam corporis resurrectio Sadducaeis erat probata; cum enim hominis partes constitutivae sint anima et corpus, sponte sequitur, si homo quoad unam partem, animam, est immortalis, illum etiam quoad alteram, corpus, non posse in perpetuum penitus exstingui, quia ad hominis essentiam anima et corpus pertinent; i. e. si animae hominum vivunt in altera vita (sunt immortales), etiam corpora eorum resurgere debent.¹⁾

4. De praecepto omnium maximo (34—40.).

(Marc. 12, 28—34.).

V. 34. *Audientes*, i. e. postquam compererunt. — *Quod silentium imposuisset Sadducaeis*, Jesum Sadducaeos ad silentium redegissee; ἐσιμώσεν proprie: capistro os obturasset (1 Cor. 9, 9. 1 Tim. 5, 18.), non quasi iis silentium imperasset, sed quia non habebant, quod replicarent. — *Convenerunt in unum*, scil. locum, i. e. loco quodam se congregarunt, deliberaturi, quomodo eum capere possent nova quaestione.

V. 35. *Legis doctor* (νομικός), legisperitus (γραμματέας coll. Marc. 12, 28.). — *Tentans* (πειράζων). Nonnulli interpretes, quia juxta narrationem Marci (12, 32. 33.) hic legisperitus responsione a Christo accepta, laudat Christum, et ab ipso Christo, quia sapienter responderit, audit: non es longe a regno Dei, vocem πειράζων sumunt sensu bono: experimentum capiens, explorans. — Sed difficile est hoc loco vocem: tentans accipere notione bona. Quum pharisaei, Saddu-

¹⁾ Cf. Mald., Berl.



caeis ad silentium redactis, convenerint et deliberarint, quomodo Christum capere possent nova quaestione, interrogavit eum unus ex eis, tentans eum; unde patet, vocem tentans in tali nexu non posse accipi sensu bono. Quare praeferenda est explicatio s. Chrysostomi et s. Augustini, (quos plures sequuntur), qui dicunt; interrogavit tentans a principio, Domini tamen responsione correctus et laudatus est.¹⁾

V. 36. *Quod est mandatum magnum in lege* (ποία ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ), i. e. quodnam praeceptum in lege (seu inter praecepta, ἐν τῷ νόμῳ = ἐν ταῖς ἐντολαῖς) magnum est (eminens inter reliqua), cui reliqua si comparentur, non magna videantur? Quod relate ad sensum idem est ac: quodnam praeceptum est maximum? Qua explicatione stante Matthaeus quoad sensum idem diceret ac Marcus (12, 28.), qui habet: *quod est primum omnium* (prae ceteris) *mandatum?* — Alii autem (Meyerum secuti) verba apud Matthaeum ita explicant: Quale (seu: cujus generis) esse debet praeceptum, ut sit magnum in lege? Qui ita interpretantur, ne Matthaeus cum Marco pugnet, statuere debent, legisperitum utrumque (uti Matthaeus refert, et uti Marcus habet) aut revera interrogasse, aut saltem etiam alterum interrogare voluisse, quo cognito Christus pro sua omniscientia ita responsum dedit, ut utraque quaestio soluta fuerit. — Quaestio illa inde orta est, quia doctores Judaici dividebant 613 praecepta legis Mos. in magna (gravia) et parva (levia), et haec ultima citra culpam violari posse asseverabant. Quatenam vero praecepta sint gravia, quatenam levia, de hoc inter se dissentiebant. Fuerunt inter pharisaeos, qui legis ceremonialis praecepta inter gravia referebant, et morales leges inter levia. Tentatio in eo est, ut Christus, quicquid respondeat, necessario videatur debere oppugnare unam alteramve ex variis rabbinorum opinionibus ac sententiis.

V. 37. Jesus pro sua sapientia ita respondit, ut quisque fateri debeat, id esse revera mandatum omnium maximum et dignitate primum: *Diliges Dominum* (in hebr. Jehova) *Deum tuum*. De verbo φιλέω, quod distinguitur a verbo ἀγαπάω, vide dicta 5, 44. — *Ex toto corde tuo*; hebraice et graece: in toto corde tuo, et in tota anima tua et in tota mente tua. Verba

¹⁾ Conf. Knabenbauer.

haec desumpta sunt ex Deut. (6, 5.), libere adducta juxta versionem septuagintaviralem; in Deuteronomio adhuc legitur: in tota fortitudine tua. — Cor Hebraeis designat affectum et intellectum; anima, quae sedem suam in sanguine habere concipitur, saepe notat concupiscentiam (vim appetitivam interiorem); διάνοια complectitur totam cogitandi sentiendique rationem, ita ut re ipsa respondeat verbis Deuteronomii (6, 5.): ex tota fortitudine tua, uti et verbis apud Marcum (12, 30.) in tota virtute tua, et illis apud Lucam (10, 27.): ex omnibus viribus tuis. Non autem opus est, haec tria distinguere, quia in singularum partium enumeratione inest magna quaedam vis ac significatio, qua affectus summus et integerrimus exprimitur; seu, uti Victor Antiochenus (ad Marc. 12, 30.) notat verbis iis commonstrari, hominem tanto Dei amore flagrare debere, ut nihil prorsus in ullam animae facultatem irrepere sinat, quod suam erga Deum dilectionem excludat, aut diminuat, aut alio transferat; seu, uti, Maldonatus scribit, ut Deum, quantum possumus, diligamus, et omnia, quae habemus, illi impendamus.¹⁾

V. 38. *Hoc est maximum*; graece: magnum, jure scil. praecipuo, quod prae aliis illud magnum (ἡ μέγιστη) appellari debet — et *primum mandatum*, dignitate et amplitudine, qua hominis in Deum officia comprehenduntur.

V. 39. *Secundum autem simile est*, scil. dignitate et gravitate officiorum. — *Huiusmodi diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. Verba haec desumpta sunt ex Lev. 19, 18. Vide dicta ad 5, 43. — Dicitur simile priori, quoniam est dilectio hominis, qui factus est secundum imaginem Dei (s. Thom.). Diligenda est in homine imago ac similitudo Dei. Dicitur simile non aequale, quia post Deum inter omnes res creatas prae omnibus diligendus est proximus affectu, actibus, officiis, et quia utrumque mandatum est de dilectione et utrumque tendit in idem objectum, scil. in Deum; nam, quia Deus diligitur, diligitur etiam proximus, ut Dei opus. — *Sicut te ipsum*, eodem modo, quo nos ipsos diligimus, ut scil. proximo omnia,

¹⁾ Conf. Knabenbauer.

quae optamus nobis (omne bonum, honestum, utile, delectabile) optemus, ut eum propter Deum diligamus ut nos ipsos, et eo affectu, quo nos diligimus. Hanc dilectionis regulam jam exposuit Christus (7, 12.) dicendo: »Omnia, quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis.« — Christus dilectionem sui ipsius hic omittit, quia haec omnibus insita est et quasi naturalis, et quae veram suam mensuram haurit ex dilectione Dei, in qua (dilectione Dei), quum Deus ut immensa bonitas, ens primum, bonum summum, meretur immensum amorem (nulla datur mensura in hac dilectione).

V. 40. Nunc ostendit, quare sint maxima mandata, dum dicit: *In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae*; vult dicere: omnia legis et prophetarum praecepta, ad mores pertinentia, his duobus (dilectionis Dei et proximi) praeceptis innituntur et fulciuntur, et in tuto sunt ac firmiter consistunt, quamdiu duo illa loco non moventur, ad haec duo praecepta totus pertinet decalogus (conf. Rom. 13, 9.). In verbo *κρέματα*, suspensa sunt, pendent, est imago deprompta a baculo seu clavo, in quo variae res suspenduntur.

5. Quaestio de Messia, Davidis filio (41—46.).

(Marc. 12, 35—37. Luc. 20, 41—44.).

V. 41. Dum illa pertractarentur (v. 36—40.), interea accesserunt pharisaei. — *Congregatis*, nimirum in templo (coll. Marc. 12, 35.)

V. 42. *Cujus filius est*, scil. juxta scripturam. Phariseos, qui varias quaestiones tentandi causa Christo proposuerant, nunc Dominus ipse interrogando aggressus est, ut pudor eorum, quo jam hucusque affecti fuerant, maximus fieret. — *Dicunt ei: David*. — Pervulgata nimirum erat apud Judaeos sententia, Messiam e Davidis stirpe proditum esse: de praestantiore vero ejus natura sublimioreque, qua ipso etiam Davide excellentior foret (nimirum illum fore Deum simul atque hominem) nil tradebant, licet in prophetarum oraculis nutus ea de re haberent. Jesus jam (v. 43. 44.) evertere incipit sententiam eorum, qui Messiam solum filium Davidis fore credebant,

nilque eo sublimius exspectantes, atque amantes veritatis ad agnoscendam Messiae dignitatem veram ducere studet, dum ostendit, hanc eorum sententiam non posse conciliari cum Davidis ipsius effato, quippe qui Spiritu s. actus, Messiam Dominum suum vocet.

V. 43. *Quomodo*, qui fit. — *Ergo*, si nimirum nihil aliud est, nisi Davidis filius. — *In Spiritu*, scil. sancto (coll. Marc. 12, 36.), i. e. per Spiritum sanctum actus, seu Spiritu s. afflatus (tamquam propheta). Ex his patet, Psalmos affatu divino esse compositos. — *Eum*, scil. Christum, Messiam. — *Dominum*, scil. suum. Pater enim non vocat filium Dominum suum.

V. 44. Verba haec allata sunt ex Ps. 110, 1., quem omnes Judaei de Messia interpretabantur et etiam Jesus ipse h. l. tamquam Messianum tractat. — *Dixit Dominus*, nempe Deus. (Jehova.) — *Domino meo*, (לַאֲדֹנָי) scil. Messiae. In his verbis (Domino meo) sita est vis argumenti. — *Sede a dextris meis*, regna mecum, seu: esto majestatis meae et potestatis particeps. Cf. dicta 20, 21; 1 Cor. 15, 25. — *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, donec adversarios tuos plane tibi subiciam. — Dum autem dicit: *donec* (ἐως) etc. . . , minime negat, postea (omnibus adversariis plane subjectis) etiam sessurum esse a dextris (seu regnaturum); potius contrarium (continuatio) exprimitur, eum perpetuo sessurum, seu absolutissimum imperium habiturum esse. Si enim omnes adversarii Christi subjecti fuerint, (quod fiet die extremi judicii, devicto ultimo hoste, morte), tum prostratis omnibus suis adversariis, perfectissime, longe gloriosior, regnabit. »Non enim praesentium promissio, recte observat s. Basilius (hom. 25.), est futurorum exceptio.« Cf. Hebr. 10, 12. Vid. dicta 1, 25. Ceterum dictionis imago; „adversarios pedibus veluti scabellum pedum subicere“, desumpta est a consuetudine victorum, qui hostis devicti cervici pedem imponere solebant.

V. 45. Sensus est: Si igitur David, qui tamquam rex, praeter Deum nullum agnovit sui Dominum, Messiam appellat suum Dominum, nonne is, licet quoad naturam suam humanam sit ex ejusdem stirpe, aliquid simul Davide majus esse, ideoque sublimiorem (divinam) naturam habere debet?

V. 46. *Nemo poterat ei respondere verbum*, quia nimirum credebant, Messiam fore merum hominem, qui tamquam rex terrenus regnum Davidis collapsum multo augustius sit restitutus et usque ad fines terrae subactis gentibus dilataturus; nam alias dicere debuissent: David Messiam vocat Dominum suum respectu divinae ejus naturae; filium autem respectu humanae ejus naturae, secundum quam ab eo descendit.

Caput XXIII.

1. Acerba Christi in pharisaeos et legisperitos oratio (1—36.).

(Marc. 12, 38—40. Luc. 20, 45—47.)

V. 1. *Tunc*, i. e. redactis ad silentium pharisaeis et legisperitis. — *Locutus est ad turbas*, acerba oratione ad populum et discipulos habita invexit in eos, ne exemplo ducum horum in exitium pertrahantur. Plura, quae in hac oratione occurrunt, a Luca (11, 39—52; 20, 45—57.) tamquam alio tempore et loco a Christo dicta commemorantur. Hic jam Jesus omnia, alias dicta, in unum colligit, ut tanto magis conspiciantur perversa populi ducum et magistrorum consilia.

a) Vituperat: Quod dicant, quid faciendum, sed ipsi non faciant (2—4.).

V. 2. *Super cathedram Moysis sederunt*, i. e. legisperiti et pharisaei, ut legis doctores, sunt legitimi Mosis successores et docendi auctoritate praediti. Nam juxta Hebr. dicendi modum: *in cathedra alicujus sedere*, est successor ejus in munere esse. — *Scribae et pharisaei*. Legisperiti enim et pharisaei munere fungebantur docendi populum, legem Mosis interpretandi. Ceterum, dum h. l. Christus pharisaeos recenset inter eos, quorum muneris erat legem interpretari, non ideo facit, quod proprium sectae illorum esset, sed quod plerumque legis doctores forent atque inter Judaeos peritissimi legum morumque interpretes haberentur (Calm.).

V. 3. *Omnia ergo*, quia legitimi Mosis successores sunt et docendi auctoritate pollent. — *Quae dixerint vobis, servate et facite*, observate continuo (quod spectat negativa praecepta) et opere facite (quod spectat positiva praecepta). Per haec intelliguntur ea statuta, quae ad legis observantiam urgendam et tuendam praescribebantur, nimirum statuta (praescriptiones), quae spectabant externum cultum Dei, sacrificia, observantiam dierum festorum, tributum templo solvendum, varias oblationes, decimas, leges de iis, quae munda vel immunda essent. — Nonnulli interpretes verba: quaecunque dixerint vobis, servate et facite, restringunt variis additis; alii: si ea praecipiant, quae Moses docuit; alii: si bene docent; alii: si non legi Mosaicae contraria praescribunt. Sed, si ita verba Christi explicentur, plebs indocta statuitur iudex supremus, quae haud capax dici potest ad dijudicandum, utrum statuta illa, consuetudine jam diu recepta et a legis doctoribus promulgata, sint legi Mosaicae conformia, an recte ex ea deducta, an recte accommodata temporum necessitati et varietati? — Si doctores legis Mos. auctoritate sua male usi fuerint, id relinquit Dei iudicio, qui severum de iis faciet iudicium. Ast, quum doctores illi malum praeberint exemplum, addit: *secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt*.

V. 4. Nunc Christus explicat, quod affirmavit. — *Alligant enim*; sive legitur γάρ (enim), sive δέ (vero), sensus idem manet, quia utraque particula h. l. est explicativa. Metaphora sumpta est a jumentis, quibus imponi et alligari solent sarcinae. — *Onera*; haec sunt innumera legisperitorum praecepta addita legi, quam latissime extendebant; porro legis interpretationes rigidae. — *Importabilia*, difficilia ad portandum. — *Imponunt in humeros*, ut scil. ea ferant. — *Digito suo nolunt movere*, ne minimum quidem observandi conatum adhibent, ut saltem exemplo suo ea reddant leviora; in se ergo indulgentissimi sunt. Est dictio proverbialis.

b) Vituperat eorum inanis gloriae cupiditatem (5—7.).

V. 5. *Ut videantur*; videsis 6, 5. — *Phylacteria* (φυλακ-
τήρια) (hebr. T h e p h i l l i n) erant schedae membraneae (Per-

gamentsstreifen), quibus inscriptae erant quatuor legis Mosaicae sectiones (nimirum: Exod. 13, 1—10; 11—16; Deut. 6, 4—10; 11, 13—22.), quas membraneas schedulas thecis insertas aptare fronti et brachio sinistro inter precandum Judaei solebant. Dictae sunt autem istae schedae phylacteria, i. e. conservatoria, tum quod praecepta illa divina in memoriam revocabant Judaeosque admonebant, ut leges servarent; tum, ut nonnulli putant, quod iis vim inesse opinabantur ad daemones avertendos.¹⁾ Pharisei haec phylacteria dilatabant, i. e. latiores membranulas gestabant, quam ceteri Judaei, ut viderentur esse observantiores et studiosiores. Eadem de causa amplificabant fimbrias. — *Magnificant fimbrias*, magnas faciunt fimbrias palliorum suorum, ut nimirum viderentur omnibus religiosiores et exactiores legis custodes. Erant autem fimbriae fila quaedam lanea non texta, in extremitate pallii dependentia, hyacinthini coloris (cf. 9, 20.). Jusserat Deus Judaeos illas gestare, ut visis eis recordarentur, se pertinere ad populum sanctum, Deo conjunctum, a quo ejusque lege deficere nefas esset. (Cf. a Lap.). S. Marcus (12, 31.) simul dicit, eos amare incedere in stolis, in vestibis fimbriatis usque ad talos fluentibus et quidem gravitatis affectandae et venerationis causa.

V. 6. *Primos recubitus*, locum honoratiorem. — *In coenis*, in conviviis. — *Primas cathedras*, primos consessus (sedes), qui erant loca media in lecto. Vid. comment. in evang. Joan. 12, 2. — *In synagogis*, in conventibus.

V. 7. *Salutationes*; hae nimirum apud populos orientales in prolixa appreciatione et frequenti corporis inflexione constabant. — *Rabbi*. Vid. comment. in evang. s. Joan. 1, 38.

V. 8. Sequitur nunc (v. 8—12.) applicatio dictorum. — *Vos autem*, qui estis discipuli mei et quos a phariseorum vitiis alienos esse decet. — *Nolite vocari rabbi*, ne affectetis hujusmodi gloriosae appellationis titulos. — *Unus est enim magister vester*, scil. Christus, qui possidet omnes thesauros sapientiae et scientiae; solus Christus ita docet illustratione gratiae, ut animus revera illuminetur luce divina et voluntas efficaciter propellatur ad bonum amplec-

¹⁾ Cf. Berl., Schegg.

tendum; solus Christus est via, veritas et vita, i. e. ille magister, per quem reipsa apti reddimur ad beatitudinem acquirendam. — *Omnes vos fratres estis*, omnes unum eundemque habemus magistrum Christum, per quem efficimur inter nos fratres, hinc nemo audeat sibi prae reliquis nomen magistri arrogare.

V. 9. *Et patrem nolite vocare vobis super terram*, et patrem nolite vocare vestrum quemquam scil. doctorum. Praeceptores et doctores apud Judaeos a discipulis etiam titulo patris salutare solebant. — *Unus est enim Pater vester, qui in coelis est*, a quo nimirum vitam habemus et naturalem et supernaturalem, cujus gloriae nos oportet esse maxime studiosos, cui uni nos plane tradere, confidere, committere decet, et a quo optima quaeque speranda sunt.

V. 10. *Nec vocemini magistri*, ne affectetis vocari magistri; in graeco est: *καθηγηται*, duces, qui viam monstrant. Hoc nomine etiam philosophi vocabantur apud Graecos tanquam duces, quos discipuli sequantur. Quod Christus hisce verbis prohibet, id postea s. Paulus reprehendit in Corinthiis, qui habebant inter se contentiones propter magistros, quum alii se Pauli, alii Apollos, alii Cephae (Petri) discipulos dicerent (1 Cor. 1, 12. 13.). — *Quia magister vester* (*καθηγητής*), dux vester, princeps ac caput, qui solus vobis viam monstrat agmenque ducit, — *unus est Christus*; nam Christus solus est dux et antesignanus et princeps fidei, salutis et vitae (Hebr. 12, 2; 2, 10. Act. 3, 15.), cui ex toto animo adhaerendum est.

V. 11. 12. Nunc infert, ne quis se super alios extollat, sed si qua auctoritate et dignitate polleat, magis se animo demittat, dum dicit: *qui major est vestrum, erit minister vester*. Conf. dicta 20, 26. — Ut vero omnem animi elationem fortiter et constanter reprimant et humiliter de se sentiant, Christus locutione proverbiali ob oculos ponit damnum superbiae et mercedem humilitatis, dum dicit: *qui autem se exaltaverit*, superbe aliis se praeferendo, *humiliabitur*, a Deo; Deus enim superbis resistit (1 Pet. 5, 5.). — *Et qui se humiliaverit*, qui demisse de se senserit ac se gesserit. — *Exaltabitur*, nimirum a Deo. Ita via ad veram gloriam

et honorem in humili animi demissione assignatur. Quum nemini in mentem venire possit, a Christo ipsam appellationem patris prohiberi, quia ipse Deus asserit, praeter ipsum esse aliquos patres, cum praecipit, ut honoremus patrem et matrem, inde etiam elucet, non absolute prohiberi, ut quis titulo magistri, patris ac ducis honoretur, sed tantum, ne desiderent et studeant (uti pharisaei) ob vanam gloriam his vocari nominibus. Quapropter frustra nonnulli acatholici affirmant, Christum his versibus improbasse hierarchicos ordines et gradus, quales hodie in ecclesia catholica sunt.

Octo vae in scribas et pharisaeos (v. 13—33.).

1. Exprobrat eis, quod potestatem viam ad salutem indicandi male exercuerint. (v. 13).

V. 13. Primum vae. *Qui clauditis regnum coelorum.* Repraesentatur hic regnum coelorum (Messianum) sub imagine palatii seu arcis, cujus portae patefactae sunt, ut homines ingrediantur et cujus tenent claves pharisaei, utpote auctoritate, scientia et muneris potestate instructi, aliis veram viam ad salutem indicandi. — *Nec introeuntes*, nec eos, qui ingredi volunt, seu, qui in eo sunt, ut ingrediantur. — *Sinitis intrare*, imeditis ab ingressu, nimirum doctrina vestra, exemplo et calumniis homines a fide in me abstrahendo. Cf. Luc. 11, 52.

2. Vituperat eorum avaritiam et injustitiam sub specie pietatis (v. 14).

V. 14. Secundum vae. Hic versus, qui in codicibus multis graecis priori praemittitur, in pluribus plane deest; unde quidam putant, eum e Marco (12, 40.) in hunc locum translatum fuisse. Sed, quum multi testes eum habent (etiam Vulgata), ideo ut genuinus retinetur. Tali modo sequuntur octo maledictiones (vae) legisperitorum et pharisaeorum, prouti in sermone montano octo beatitudines inculcaverat. — *Comeditis*, devoratis, consumitis. — *Domus*, facultates (= τὰ υπάρχοντα). — *Orationes longas orantes*; graece: καὶ (et quidem) προσάγει μακρὰ προσευχόμενοι, in speciem longe precantes, qui longas et verbosas preces in speciem pietatis facitis, subdolo consilio, ut vos insinuetis in gratiam viduarum, quae, non ha-

bentes virum consiliatorem et opum protectorem, facilius decipiuntur et prouiores sunt ad sua largiendum hypocritis, sanctitatem praeferentibus. — *Propter hoc*, propterea, quia simulatis pietatem, ut ejus ope decipiatis. — *Amplius accipietis iudicium*, experiemini maiorem, graviolem, condemnationem, quam alii peccatores, quia viduas, quae quouis modo iuvandae sunt, priuatis et uestra male facta sub specie pietatis celatis.

3. Castigat eos, quod studio proselytos facienda, homines peiores reddant (v. 15).

V. 15. *Tertium vae. Circuitis mare et aridam*, totum orbem. Nonnulli uerba haec proprio sensu sumunt, quum (teste Jos. Fl. Antiq. XX. 2, 1.) post exilium multos studium gloriae Iehovae augendae ad peregrinationes tales impulit. Alii contra uerba haec ut proverbium sumunt, quorum sensus sit: Omnem lapidem movetis, seu quodcunque tentatis. — *Ut faciatis unum proselytum*, ut unum advenam ex gentilismo ad Iudaicam religionem adducatis. Distinguebant Iudaei duo genera proselytorum, proselytos iustitiae, qui legem Mos. totam amplecterentur, initiati per circumcisionem, et proselytos portae, qui inter Iudaeos habitarent, non quidem circumcisi, et doctrinam de uno Deo suscipientes se obstringerent ad sic dicta septem praecepta Noachica observanda. Hic loci intelligendum est primum proselytorum genus¹⁾ — *Fuerit factus nimirum proselytus*. — *Facitis eum filium gehennae duplo quam vos*, facitis eum aeterna condemnatione duplo vobis digniorem, quia facitis eum peiorem, quam vos estis (cf. 8, 12.). Idque autem fecerunt falsis suis traditionibus, quibus corrumpebant legem, et malo suo exemplo, quo ad vitia et scelera (simulationem et superbiam aliaque huic sectae propria vitia) excitabantur, ut eis fierent peiores obstinatoresque in fide Christi neganda.

4. Castigat perversam eorum doctrinam de iuramento 16 — 22).

V. 16. *Quartum vae. Duces caeci*; videsis 15, 14. — *Nihil est*, scil. iurare, seu tale iusjurandum non valet; alii obsequens oppositum: debet (δρζει): non tenetur hoc iureju-

¹⁾ Cf. Haneberg Geschichte der bibl. Offenb. S. 445, Arnoldi.

rando. — *In auro templi*, per aurum, quod omnino in templo est; ergo per aurum, quo templum ornatum erat, per vasa sacra et thesaurum templi in gazophylacio. — *Debet*, iusjurandum servare tenetur. Quamvis nullum talis iuramenti exemplum notum sit, facile tamen cogitari potest, avaros phariseos iuramenta per aurum templi et per sacrificia (v. 18.) praeprimis sancta habuisse. »Isti, ait s. Thomas, totam religionem trahebant ad quaestum, ut traherent homines ad offerendum.«

V. 17. *Quid enim* etc. . . .; his causam reddit, qua probatur, phariseos a Christo jure meritoque appellatos esse stultos et caecos, quippe quum non videant, templum majus esse, quam aurum. — *Majus*, praestantius, sanctius et ideo magis obligans. — *Quod sanctificat aurum*, a quo sanctitas communicatur auro. Nam ante oblationem templo factam profanum est; templum vero non propter aurum, sed propter Deum sanctum est, quippe quum ad preces et sacrificia Deo in illo offerenda dedicatum sit (a Lap.). — Ceterum sive legatur ἀγιάζων, sive ἀγιάσας, sensus est idem; stante priori lectione sanctificatio auri per templum ut continua, altera autem ut semel facta consideratur.

V. 18. 19. *In altari*, per altare. — *In dono*, per donum. — *Majus*, praestantius, sanctius. — *Quod sanctificat donum*. Nam altare per se, ex institutione sua, Deo dedicatum est; donum vero, antequam altari imponatur, profanum est, atque ipsa impositione fit sacrum.

V. 20. *Ergo*, quia altare dono, in ipso posito, sanctitatem tribuit. — *In eo*, scil. per altare, i. e. iuramentum tale valet, quia altare, utpote Deo dedicatum, in singulari ad Deum relatione existit, per quem quisque jurans jurare intendit. — *Et in omnibus, quae super illud sunt*, et (consequenter jurat) per omnia in altari oblata; hinc omni modo tale iuramentum obligat.

V. 21. *Jurat in illo*, nimirum per templum, i. e. iuramentum tale valet, quia templum tamquam Dei domus (habitaculum) in singulari existit relatione ad Deum, ad quem omne iuramentum refertur. — *Et in eo, qui habitat in ipso*, et per Deum habitantem in templo. Conclusio ut supra.

V. 22. Videsis dicta 5, 34 — 36.

5. Perstringit eos, quod in legis observatione minutissima ut gravissima, et gravissima ut minutissima tractent (v. 23. 24).

V. 23. Quintum vae. Sensus est: Vae vobis, qui, cum in minimis religiosi videamini, gravissima charitatis erga Deum et proximum officia negligitis. — *Qui decimatis*, qui decimas offertis, *mentham* (Münze), genus herbae minoris odoriferae; *anethum* (Dill) herba, qua veteres in cibis condiendis utebantur, et *ciminum*, i. e. cuminum sativum (Rümmel), quo aromate utebantur ad cibos condiendos. — Ex mandato nimirum divino (Lev. 27, 30. Num. 18, 21. Deut. 14, 22.) omnium frugum (tritici, olei, vini) et animantium (i. e. boum, caprarum, ovium) decimae dandae erant sacerdotibus. Quaestio autem fuit de oleribus, an lege decimarum comprehenderentur. Pharisei, ut magis religiosi et pii viderentur, diligentissime olerum etiam minutissimorum decimas persolvebant, negligentes tamen simul praecepta Dei graviora. Non vituperat Jesus sollicitam hanc decimarum persolutionem, sed perstringit affectationem religiositatis (eorum simulationem) cum ea conjunctam atque simultaneum neglectum officiorum longe graviorum. (Calm.). — *Reliquistis*. Consulto Jesus elegit tempus praeteritum, ut significaret, phariseos legisperitosque graviora Dei praecepta jam diu non minus, quam si abrogata essent, oblivioni dedisse (Mald.). — *Graviora*, quae sunt majoris momenti, scil. legis Mos. praecepta (coll. v. 24.). — *Judicium*, ut suum cuique tribuatur. — *Misericordiam*, qua ex benignitate proximo succurrimus, consilio, opera, operibus, etsi non debeat ex justitia. — *Fidem*, fidelitatem in dictis, pactis et conventis. — *Haec*, scil. graviora, iudicium, misericordiam et fidem. — *Illa*, nimirum decimationem herbarum. Unde apparet, Christum illam decimationem non improbare, dummodo non vitietur superbia et vanitate.

V. 24. *Excolantes*, qui excolatis culicem, nimirum e potu vestro, ne eum bibendo hauriatis. Respicit Christus ad Judaeorum morem, qui revera solebant potum per colum transfundere, ne culex aut alia bestiola, quae lege censebatur immunda, ab incautis deglutiretur. Sed formula: culicem excolare, etiam proverbialiter adhibetur de iis, qui res leves minutasque anxie servare student; uti formula: camelum glutire pro-

verbaliter de iis adhibetur, qui in rebus gravissimis prorsus negligentes sunt (cf. 19, 24.). Sensus est: Qui minutas res tam anxie curatis, dum gravissimas sine ullo scrupulo negligitis.

6. Perstringit eorum simulatam pietatem, dum externam rerum munditiam anxie curant, non autem animi morumque integritatem (25. 26).

V. 25. 26. Sextum vae. *Quod de foris est*, exteriorem partem. — *Calicis*, vasis, ex quo sumitur potus. — *Et paropsidis*, patinae (lancis), ex qua sumitur cibus. — *Intus autem pleni estis rapina et immunditia*. Videtur interpretes Vulgatus legisse: ἀκαθαρσίας, per quam vocem juxta s. Paulum intelligendum est omne vitiorum genus. Sensus est: Vos pharisaei, exteriori poculorum et patinarum munditiei studetis, animus vero vester plenus est rapina omniumque scelerum immunditia. — Sed in graeco, loco: pleni estis juxta codices: Aleph, B. L. legitur: γέμουσιν pleni sunt (nimirum calix et paropsis), et loco ἀκαθαρσίας vel ἀδικίας, vel πλεονεξίας juxta codices: Aleph, B. D. L. legendum est ἀκρασίας (forma serior pro ἀκράτεια) incontinentia, intemperantia, i. e. nimia cupiditas opum aliorum, juxta quam lectionem sensus est: ea, quibus pocula et patinae refertae sunt, sunt ex rapina et nimia cupiditate opum aliorum congesta. Praepositio ἐξ ante ἀρπαγῆς ostendit, unde orta sit plenitudo.

V. 26. *Caece*, quia nimirum non intelligis, quaenam mundities sit vera coram Deo. — *Munda prius, quod intus est calicis et paropsidis*, fac, ut ea, quae vasis, calice et paropside, insunt (i. e. potus et cibus) non sint injuste parta. Quum autem hoc fieri nequit, nisi homo perversam animi indolem mutet et purget, utique verbis his Christus simul poscit animi mutationem, purgationem. — *Ut fiat, quod deforis est, mundum*, ut dein etiam exterior earum (calicis et paropsidis) mundities non tantum appareat, sed revera adsit et valeat. Externa mundities sine interna nihili est. Hisce Christus significat, veram munditiam esse, si adsit mundities interior, animi morumque integritas. Permulti codices et Patres verba: et paropsidis non habent, et loco αὐτῶν legunt αὐτοῦ, scil. ποτηρίου; quare multi putant, ea verba esse ex v. 25. illata. Sensus tamen manet idem.

V. 27. 28. *Septimum vae*, dum Christus ostendit, eos totos scatere vitiis et coram oculis Dei sordibus plane op-pletos esse. Ostendit, eos totos scatere vitiis. — *Sepulchris dealbatis*. Quia ex lege Mos. (Num. 19, 16.), si quis cadaver aut sepulchrum attigerat, per septem dies immundus factus est, ideoque quovis anno, 15. die mensis A dar (Martii) sepulchra calce aut gypso dealabantur; partim ornatus causa, partim, ut minus dignosci possint, ne quis inconsulto accedens pollueretur.

8. Perstringit eos, quod sint socii majorum suorum in occidendis prophetis et mensuram impietatis eorum absolvant (29—36).

V. 29. *Octavum vae*. *Aedificatis sepulchra* (οικοδομεῖτε), exstruitis monumenta super sepulchra, ut nimirum per hoc testemini vulgo imperito vestram reverentiam et pietatem erga prophetas et viros sanctos, nec non et detestationem scelerum majorum occidentium. — *Iustorum*, aliorum hominum, pietate et diligentissima legis observatione in V. T. insignium.

V. 30. *Si fuissemus*; graece ἦμεθα (loco ἦμεν); rectius: *essemus* i. e. si vixissemus. — *In diebus patrum nostrorum*, aetate majorum nostrorum, qui illos occiderunt. — *Non essemus socii eorum in sanguine prophetarum*, non essemus socii eorum in occidendis prophetis.

V. 31. *Itaque*, quia nimirum illos, qui prophetas occiderunt, patres vestros nominatis. — *Testimonio estis vobismet ipsis* (μαρτυρεῖτε ἑαυτοῖς, dativus incommodi), i. e. testificamini contra vos et profitemini. — *Quia filii estis eorum*, quod sitis illis similes (nimirum spectata indole, pro qua, si patrum aetate vixissent, idem, quod patres, fecissent, imo, prouti praescivit, facturi erant in ipsius persona et in Apostolis). Est in verbis filii estis ambiguitas quaedam (amphibolia), quum formula filium esse alicujus significet tum ex posteris alicujus esse, tum esse alicui similem. H. l. Christus altero sensu verba sumpsit. S. Lucas (11, 48.) explicationis causa addit: „*testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum*“; causam addens: „*quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem aedificatis eorum sepulchra*“; quasi diceret: vos exstruendis monumentis super sepulchra prophetarum, quos majores vestri occiderunt, meliores ipsis videri vultis, quaetenus hac agendi

ratione ostendere vultis, vos honorare illos prophetas atque improbare patrum vestrorum scelero; ego autem dico, vos, qui spectata indole patribus vestris similes estis, potius approbare mala patrum vestrorum opera, quatenus exstruendis illis monumentis opera patrum vestrorum perficitis. Breviter: Majores vestri occiderunt, vos illos sepelitis. Cf. Mald.

V. 32. *Vos*, cum emphasi: vos, qui filii talium estis (hinc et ita, uti illi animati). — *Implete mensuram patrum vestrorum*, absolvite mensuram illam impietatis ac scelerum, a patribus vestris inchoatam, me scil. meaeque doctrinae praecones occidendo. Imperativus *implete* est permissivus, concessivus, hoc modo: absolvite . . . non impedio, quia summe desidero mortem, ut homines redimam. Quae explicatio simplicissima videtur (cf. Joan. 13, 27.).

V. 33. *Progenies viperarum*, pessimorum parentum pessimi filii; videsis 3, 7. — *Quomodo fugietis*, impossibile est effugitu (φύγῃτε, conjunctivus deliberativus). — *A judicio gehennae*, sententiam damnatoriam in gehennam, seu: aeternas poenas in gehenna, i. e. aeternam damnationem (cf. 12, 32. in fine).

V. 34. Quum Christus in praegressis exposuisset, quales essent pharisaei et legisperiti, atque iis minitatus esset poenam gehennae, nunc (v. 34.) praedicat, quid ipse sit factururus et quid pharisaei et legisperiti tempore futuro operaturi sint, dum dicit: Ideo (διὰ τοῦτο) non est cum nonnullis referendum ad v. 32. (ut expleatis mensuram illam improbitatis), nec cum aliis ad v. 32. et 33.), sed¹⁾ ad v. 33. (quia estis genimina viperarum, quae judicium gehennae non effugient). — *Ecce ego mitto*; verba haec juxta s. scripturae loquendi modum (ecce dies veniunt) explicanda sunt de re futura, sicut legitur apud Lucam (11, 49.): „*Sapientia Dei* (i. e. Christus, in quo et per quem se manifestavit divina sapientia) *dixit: Mittam ad illos*. Dum dicit Christus: *ego mittam*, declarat, se esse Deum, quia in libris V. F. de solo Deo dicitur, eum prophetas inspirare et mittere. — *Prophetas, sapientes et scribas*.

¹⁾ Jans., Mald., Arnoldi, Schanz, Knabenbauer.

Nonnulli interpretes putant, tribus hisce appellationibus Apostolos designari eo modo, quia apud Judaeos eorum nominum consuetudo esset; vel quia Apostoli et prophetae fuerint spiritu prophetico repleti et sapientes, divina imbuti sapientia, et legis doctores; vel quia, quod veteribus praestabant prophetae, sapientes (qui scil. libros sapientiales condiderunt) et scribae, qui legem explicabant et applicabant, ea omnia etiam ab Apostolis praestita sunt (Mald.). Sed, uti recte scribit Knabenbauer, voces ipsae atque ipse eventus, quum Christus non solos Apostolos miserit et quum juxta s. Paulum (1 Cor. 12, 8. seq. Ephes. 4, 11.) varia sint dona discipulorum Christi, postulant, ut statuamus, Christum dicere velle, missum iri a se, qui singulari Spiritus s. impulsu doceant; alios, quibus per Spiritum s. detur sermo sapientiae; alios, qui in sermone scientiae fungantur munere doctoris. — *Ex iis*, alios ex iis. — *Occidētis*, uti Stephanum et Jacobum majorem. — *Alios crucifigētis*, uti Petrum, Simonem, fratrem Domini, et Andream. — *Flagellabitis*, uti s. Paulum (Act. 16, 22; 22, 24.). — *Et persequimini de civitate in civitatem*, quod s. Paulus expertus est (Act. 17, 13.).

V. 35. Versu hoc declarat Christus, quale iudicium sibi sint attracturi occisores legatorum ab ipso missorum. — *Ut veniat*, ὅπως ἔλθῃ; nonnulli interpretes¹⁾ particulam ὅπως (ut) sumunt de eventu: eo eventu, ut; seu: ita ut; alii²⁾ supplent: ut, sicut cupitis; alii³⁾ rectius particulam sumunt finaliter, eo fine, ut . . . quae particula referenda est ad totam sententiam eamque praecipuam: ecce ego mitto, scil. legatos meos ad vos. Quamvis Christus ut Deus praevидit, quid facturi sint mali, si ad eos miserit legatos suos, eos tamen misit, quia malis occasionem dare voluit, ut per opera eorum, quae facturi erant (occidendis legatis), appareat eorum malitia ipsique convincantur, eos esse filios homicidarum. Unde autem haud sequitur, Deum aut velle malum, aut auctorem esse mali. Deus malum

¹⁾ Jans., Mald., Berl.

²⁾ Arn., Reischl, Bucher.

³⁾ Meyer, Schegg, Bisp., Schanz, Pölzl, Knabenbauer.

quod praevidet, fieri permittit, quia homini liberum dedit arbitrium et quia etiam illa, quae ex abusu libertatis necessario sequuntur (i. e. peccata) suae gubernationi subservire facit, i. e. res ita ordinat et disponit, ut ipsa mala justitiam Dei et potentiam patefaciant. Sed, quae ex peccato necessario sequuntur, poenae et vindicta, haec, peccato supposito, vult infligere. »Deum velle, dicit s. Thomas, ut iudicium appareat justum.«¹⁾ — *Omnis sanguis, culpa et poena pro sanguine.* — *Justus, justorum*; sensus est: ut culpas sustineatis poenasque detis pro omni sanguine innocenter effuso, seu pro caedibus omnium insontium. — *Qui effusus est*; in graeco est participium praesentis; qui effunditur; quasi Jesus videret sanguinem adhuc fluentem. — *A sanguine Zachariae, filii Barachiae.* De hoc Zacharia variae dantur sententiae: 1.) Alii cogitant de Zacharia propheta; sed nullibi s. scriptura, narrat hunc prophetam violenta morte fuisse interemptum, vel plane inter templum et altare holocaustorum occisum. 2. Alii²⁾ intelligendum esse putant Zachariam, Joannis Bapt. patrem. Sed non nisi in apocryphis quibusdam (in protoëvangelio Jacobi c. 23.), quae in ecclesia auctoritatem non sunt nacta, invenitur mentio violentae mortis viri hujus. — 3.) Alii intelligunt Zachariam eum, qui teste Jos. Flavio (de bello jud. lib. 4. 6, 4.) brevi tempore ante excidium Hierosolymae in templo a zelotis est trucidatus, et quem Jos. Flavius Baruchi filium vocat. Sed interpretationi huic obstat tempus praeteritum (occidistis, ἐφονεύσατε), quare his (Calm.) dicendum est, tempus praeteritum h. l. positum esse pro futuro, et hanc partem dicti Christi (quae ad Zachariam pertinet), prophetica esse, Dominumque de eventu futuro, qui certe praevidebatur, ita loqui, ac si jam praeteritus esset; aut dicere debent (Hug.), Matthaeum, qui (uti dicunt) post illam caedem factam scripsit, tempus futurum, quo Christus usus est, mutasse in praeteritum, quod haud dici potest de Matthaeo, quum tale quid nullibi in ejus evangelio invenitur. 4.) Plurimi tandem³⁾ co-

¹⁾ Conf. Knabenbauer, p. 296. 297.

²⁾ Chrysost., Basil., Theophyl., Euthym.

³⁾ Beda, Maldonatus, Fritschius, Meyerus, Arn., Reischl, Schegg, Bisp.

gitant de Zacharia, qui in vestibulo templi, in atrio sacerdotum, quod erat inter templum (sive sanctum) et altare holocaustorum interfectus est, et de quo est sermo 2 Chron. (24, 20. seqq.). Quae sententia commendatur ab Hieronymo, qui scribit: »in evangelio, quo utuntur Nazareni, pro filio Barachiae filium Jojadae reperimus scriptum.« — Attamen huic explicationi duo obstando videntur. Primum, quod illius Zachariae pater in citato libro Chronicorum non Barachias, uti nostro loco, sed Jojadas vocatur; secundum est, quod non ille Zacharias, sed Urias, prophetarum a Judaeis occisorum ultimus est (cf. Jerem. 26, 23.). — Ad expediendam difficultatem primam varii varias ingressi sunt vias. Alii Hieronymum secuti,¹⁾ statuunt, patrem Zachariae istius habuisse duo nomina, nimirum Jojadae, quo nomine compellatur in libro 2. Chronicorum; Barachiae, quo nomine apud Matthaeum h. l. occurrit. Ita jam antiquus quidam scholiasta: Ζαχαρίας δὲ τὸν Ἰωδαῆ λέγει, θυγάτηρ γὰρ ἦν. — Alii²⁾ opinantur, verba: filii Barachiae esse subditicia, et jam antiquissimis temporibus a librario quodam adscripta, qui putarit, Zachariam prophetam, Barachiae filium, intelligendum esse. — Alii³⁾ statuunt, adesse h. l. errorem in exprimendo patris nomine, quatenus Matthaeus, traditionem erroneam secutus, nomen patris addidit, quod Christus non expresserat. Ast quomodo possit conciliari haec sententia cum inspiratione Matthaei, haud intelligitur. — Alii⁴⁾ tandem putant, Jesum syrochaldaice locutum dixisse, usque ad sanguinem Zachariae, filii Jojadae, atque cogitasse de Zacharia, de quo in 2. lib. Chron. sermo occurrit; sed graecum Matthaei interpretem scripsisse: filium Barachiae, quo animos primorum lectorum acrius feriret, significans scelus brevi commissum, quod etiam Jos. Flavius refert. Sic permutavit primum et ultimum exemplum sanguinis innocenter effusi in s. libris V. T., nimirum exemplum Abelis et Zachariae, filii Jojadae cum primo et ultimo exemplo sacrae historiae generatim, scil. cum exemplo Abelis et Zachariae.

¹⁾ Grotius, Kuinoel, Mald., Arnoldi, Reischl.

²⁾ Wassenberghius, Bel., Knabenbauer.

³⁾ Meyer, de Wette, Schegg, Schanz.

⁴⁾ Eichhornius, Bisp.

riae, filii Barachiae, qui brevi tempore ante excidium Hieros. in templo a zelotis est trucidatus. Quod tanto magis, uti observatur, facere poterat, quia sors Zachariae, filii Barachiae, magnam habet similitudinem cum sorte Zachariae, filii Jojadae. Sed huic explicationi obstat, haud verosimile esse, versorem hebraici evangelii s. Matthaei ausum fuisse, verba Christi immutare, quia absque dubio ecclesia tali agendi rationi oblocuta fuisset. — Quapropter videtur primus expediendae difficultatis hujus modus, utpote simplicissimus, preferendus esse, cum nil inconsuetum sit, ut personae duo gererent nomina.

Respectu alterius difficultatis dicere possumus, Christum conjungere caedem Zachariae, filii Jojadae, cum caede Abelis (qui sensu latissimo etiam, uti Abrahamus coll. Gen. 20, 7., prophetis annumeratur), quia secutus est morem Judaeorum, qui caedem hujus Zachariae, utpote valde atrocem et detestabilem, quum esset commissa in propheta, sacerdote et judice, in loco sancto, in atrio sacerdotum, inter templum et altare holocaustorum, quod vel ipsis maleficis asylum praebuit (Exod. 21, 14. 1 Reg. 1, 51.) et juxta traditionem die sabbati, in festo expiationis, cum caede Abelis connectere et conferre solebant. — *Inter templum et altare*, in ea vestibuli (atrii) templi parte, quae erat inter templum (stricte sic dictum. i. e. sanctum, graece *ναός*) et altare holocaustorum. Sic Christus locum, quo necatus est Zacharias, accuratius indicat, quam auctor Chronicorum, qui simpliciter refert, eum in vestibulo templi occisum fuisse. Tandem ultima adhuc restat difficultas: Quomodo Judaeos aevi sui Christus poenas subituros esse dicit ob caedem eorum etiam prophetarum, quos non ipsi, sed majores eorum trucidarunt, imo ob necem etiam Abelis nominatim, qui a fratre suo Caino occisus est, antequam populus Hebraeorum existeret.

Nonnulli¹⁾, Jesum humano vulgarique modo loquentem statuentes, verba Christi ita explicant: Vos, qui majorum mores non detestamini, sed imitamini, utpote illis non tantum similes, sed eos etiam renitentia vestra erga legatos divinos, impietate

¹⁾ Mald., Calm., Kuin.

et crudelitate superatis, Deus ita puniet, ac si vellet a vobis caedium omnium in terris commissarum, ab Abele, per Cainum interfecto, usque ad Zachariae, filii Jojadae, necem, poenas expetere, i. e. gravissime vos puniet.

Sed praeferenda meretur explicatio eorum¹⁾ qui dicunt, Jesum ita loqui ratione aestimationis civilis, qua censentur posteri esse unum quid cum parentibus (inde: quem occidistis), seu, uti ait Jansenius, ratione unitatis istius, qua unus est populus, et in quo posteri sunt aliquid majorum et majores aliquid posterorum; unde fit, ut facta majorum filiis imputentur, si filii peccata majorum imitantur, et ita complent mensuram scelerum ab illis inchoatam; tunc enim excidium a perversa natione promeritum in illam quidem cadit, sed in postremis istius nationis exercetur et sentitur, dum filii luunt tam sua, quam patrum suorum peccata. Sic Deus jussit Saulum delere posteros Amalec ob scelera parentum a quadringentis annis perpetrata (1 Reg. 15, 2. 3.); ita in revolutione gallica filii luebant non tantum sua, sed et parentum suorum peccata; et quum Hierosolyma diruta esset, atque reliquiae populi dispersae essent, filii luebant omnia scelera perpetrata a caede Abelis usque ad necem Zachariae.

V. 36. *Venient.* Est cum vi antepositum, ut indicetur, poenam revera in eos casuram esse. — *Haec omnia*, omnes caedes in homines probos ab Abele usque ad Zachariam commissae, seu: caedium omnium culpa et poena cadet. — *Super generationem istam*, Judaeos hujus aetatis, quia post tot subsidia et exempla ultionis divinae non convertuntur. — Nam per generationem hanc sunt intelligendi Judaei aevi Christi.

2. Christus Hierosolymae dolenter acclamat (37 — 39.).

(Luc. 13, 34 — 35.).

V. 37. Per Jerusalem h. l. intelliguntur homines hujus urbis, et commemorantur incolae hujus urbis primariae, ita ut reliqui quoque Judaei simul significantur. Repetitio autem nominis est indicium miserantis et admodum amantis.

¹⁾ Jans., a Lap., Schegg, Bisp., Knabenbauer.

— *Occidis et lapidas eos, qui ad te missi sunt*, quae occidere et lapidare soles. Vulgata legit πρὸς . . . σὲ, quam tamen lectionem codex D et quidam minusculi habent; sed praeferenda est lectio: πρὸς . . . αὐτήν, ad eam, ita ut post allocutionem Jerusalem sermo transeat in tertiam personam: quae occidit et lapidat eos, qui ad eam missi sunt. (Cf. Schegg). — *Quoties volui congregare*, quoties vos Judaeos per prophetas aliosque servos meos ac denique per me ipsum excitare studui ad vitae animique mutationem in melius et ad me tamquam Messiam agnoscendum adducere. Loquitur ita Christus ut rex et dux populi Israël inde ab ejus electione in populum Dei. Alii interpretes¹⁾ verba: quoties volui etc. . . tantum de Christo explicant, qui collatis evangeliorum narrationibus saepius in urbe commoratus, studuit incolas urbis congregare in regnum suum eosque ab extremo excidio tueri. Comparat Christus se suumque amorem, providentiam, sollicitudinem salvandi Judaeos, gallinae; filii sunt cives Hierosolymitani omninoque Judaei; nam Hebraei civitates saepe comparare solent matribus, adeoque cives nominant filios. — *Sed noluisti*, quia prophetas et me internecino odio persequeris.

V. 38. *Ecce, jam in proximo est*. — *Domus vestra*; alii²⁾ intelligunt per verba haec: templum; alii³⁾ rectius urbem Hierosolymam et in ea tanquam in capite exprimitur totius nationis et reipublicae ruina. — *Relinquetur*; in graeco est praesens: relinquitur, i. e. jam in eo est, ut relinquatur. Sensus: Praeterit tempus, quo civitas et tota natio et respublica Judaica in meo erat patrocínio et tutela; subtraham ei meam tutelam, meumque patrocínium, ideoque sors ejus, utpote sibi ipsi relictæ, erit excidium urbis et gentis. Quum Hierosolyma esset caput et metropolis populi, utique in ipsa urbe exprimitur totius nationis et reipublicae judaicae ruina. Vulgata, textus receptus et Tischendorf. h. l. et Luc. 13, 35. legunt vocem *deserta* (ἐρημος), quae tamen merum est interpretamentum, quo explicatur sequela denegati patrocínii.

¹⁾ Arnoldi, Schanz, Knabenbauer.

²⁾ Hieron., Theophyl., Euthym., Arnoldi.

³⁾ Beda, Jans., Schegg, Bisp., Kuin., Knabenbauer.

V. 39. Quamvis illa ruina temporalis, eversio urbis (quam v. 38. Christus comminatus est, jam non posset averti, tamen, si Judaei resipiscere voluerint, salutem fore promittit, dum dicit: *Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec.* Plerique veterum interpretum et etiam aliqui recentiorum¹⁾ verba hujus versus accipiunt de tempore secundi Christi adventus ad judicium, quando Judaei in fine mundi (juxta alios coacti et inviti, juxta alios conversi) majestate ejus aspecta, dicent: *benedictus, qui venit in nomine Domini.* — Ast, quum verba Christi sint generalia, nulla adest ratio, ut illa intelligantur de sola populi Israël conversione tempore adventus Christi ad judicium (de qua conversione nos docet s. Paulus Rom. 11, 25.). Nec etiam illud: videre Christum, urget, ut de corporali Christi aspectu intelligatur, quia ita etiam ultima conversio excluderetur, quae sane fiet, antequam Christus modo visibili veniat ad judicium. Quapropter alii interpretes²⁾ Origenem et s. Hieronymum secuti, dicunt, Christum illis verbis: non videbitis me amodo, dicere velle: ab hoc tempore me jam non videbitis eo modo, quo me eousque vidistis, sanantem, docentem, salutem vestram agentem (seu me talem non experiemini, qualis inter vos hucusque fui); nam feria tertia hebdomadae passionis, qua die haec verba fecit, a munere suo publice docendi cessavit. — *Donec dicatis: benedictus, qui venit in nomine Domini;* Christus vult dicere: sub una hac conditione, si me Messiam agnoscatis. Sic Christus Judaeis viam salutis ostendit simulque enunciat, fore ut ex Judaeis non pauci eum Messiam agnoscant. Haec conversio Judaeorum, quae ex parte jam post Christi resurrectionem inceperat, continuatur usque ad ejus adventum ad judicium.

¹⁾ Chrys., Theoph., Euth., Mald., Calm., Lap., Schegg.

²⁾ S. Thom., Schanz, Knabenbauer.

Caput XXIV.

Sermo Christi propheticus de Hierosolymae templique excidio, de ejus reditu ad iudicium et de fine mundi (24, 1—25, 46.).

(Marc. c. 13. Luc. 21, 5 — 38.).

A. Sermonis hujus occasio (v. 1—3.).

V. 1. *Et egressus de templo, ibat*; graece ἐξελθὼν ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἐπορεύετο, i. e. et postquam Jesus (e templo ἐκ τοῦ ἱεροῦ coll. 21, 23.) egressus est, discessit a templo, quasi indignatus de perversitate eorum, qui disponebant templi cultum, ut se conferret in montem olivarum (v. 3.).¹⁾ — *Aedificationes templi*, i. e. admirandam structuram, pulchritudinem, firmitatem et magnificentiam templi (τοῦ ναοῦ) ceterorumque aedificiorum templo adstructorum et ad id pertinentium (in graeco enim est ἱεροῦ vide 4, 5.). Occasionem praebuit dictum Christi in fine capitis praegressi (v. 38.), quo Christus praedixerat urbis, hinc et templi excidium. Verosimiliter ipsi discipuli inter se de templo collocuti sunt (uti Lucas indicat); deinde autem unus eorum nomine omnium rogavit Christum, ut lapides templi structuramque consideraret (uti Marcus 13, 1. refert). Hoc autem ideo fecit, quia fors dubius haerebat, an verba Christi praegressa rite intellexerit nec ne; nam ita sperabat, Christum mentem suam clarius patefacturum esse. De pulchritudine templi scribit Jos. Flav. (Bell. Jud. V. c. 5. n. 6.).

V. 2. *Videtis haec omnia*. Alii²⁾ legunt sine negatione et vocem βλέπειν sumunt significatu considerare, admirari: attente considerate seu admiramini magnificentiam hanc. Nonnulli codices graeci legunt cum negatione: οὐ βλέπετε, quae lectio ob praestantissimos codices (Aleph, B. C.) praeferenda est, quum prior esse videtur emendatio facta ob locum Marci (13, 2.), hoc sensu: num non revera adest illa magnificentia? Alii ita explicant: Videntes haec quidem, non videtis, ad quid tandem

¹⁾ Cf. Berl.

²⁾ Chrys., Jans., Mald.

deventura sint ex decreto divino. — *Hic*: Jesus templum digito monstrassee putandus est. — *Non relinquetur lapis . . . , qui non destruat*ur. Dictione hac proverbiali significatur plenaria templi eversio; simulque praedictio haec Christi ad literam impleta est. Nam sub Juliano apostata (a. 362.), cum Judaei fundamenta veteris templi, quae in excidio terrae infossa remanserant, nudassent, ut novum templum imponent, terrae motus excitatus (ex imis fundamentis erumpentes flammae) lapides veterum fundamentorum concussit ac longe lateque disturbavit.¹⁾

V. 3. *Sedente*, nimirum e regione templi (coll. Marc. 13, 3.). — *Secreto*, seorsim, non praesentibus aliis, qui etiam adfuerunt in monte olivarum. — *Discipuli*, juxta Marcum Petrus, Jacobus, Joannes et Andreas. — *Haec*, nimirum urbis et templi excidium, de quo Jesus v. 2. locutus est. — *Signum adventus tui et consummationis saeculi*. Quum discipuli prius Christum de consummatione saeculi (13, 39. 49.), de adventu Filii hominis in gloria Patris cum angelis suis (16, 27.), de regeneratione, quando sederit Filius hominis in sedem majestatis suae (19, 28.) loquentem audivissent, nunc interrogant, quando haec futura sint, quae modo de templo dixit, et quale signum, ex quo nosci possit, instare adventum ejus gloriosum finemque mundi; existimabant enim eodem tempore futuram esse et templi vastationem et Christi adventum finemque mundi.

B. Sermo Christi propheticus (v. 4—14.).

Quod ad hunc Christi sermonem propheticum respectu habito ad discipulorum quaestionem (v. 3.) attinet, ille dispesci solet in tres partes: Prima pars continetur a v. 4—14; secunda incipit a versu 15., et juxta alios extenditur usque ad v. 23; juxta alios²⁾ secunda pars finitur v. 20; tertia pars juxta alios incipit a versu 23; juxta alios versu 21. — Quod jam ad primam responsionis Christi par-

¹⁾ Cf. Ammian. Marcell. c. 23. n. 1.

²⁾ Auct. op. imp., Anselm., Menoch., Sylv., Schegg, Schanz, Knabenbauer.

tem (4—14.) attinet, nonnulli¹⁾ arbitrantur. Christum proponere signa eversionem urbis Hieros. praegressura; alii²⁾ putant, signa proponi fini mundi obvia; et iterum alii³⁾ affirmant, in hac parte proponi signa tum eversionem urbis, tum finem mundi praegressura.

Ast unicuique harum explicationum nonnulla in hac parte prima obstant. Primae explicationi obstat v. 5., quia ante eversionem urbis nemo surrexit, qui se Christum professus sit, sed postea; neque explicatur v. 7., retenta verborum proprietate, neque v. 9., neque v. 14.; et quae a v. 10—12. dicuntur, etiam non sine dictione hyperbolica temporis ante urbis eversionem possunt accommodari.

Secundae sententiae, dari in hac parte signa, finem mundi praegressura, maxime favet v. 14., et etiam, quae v. 10—13. praedicantur, quibus describi videtur magna illa apostasia, quam s. Paulus (2 Thess. 2, 3.) futuram esse docet, antequam surgat antichristus. — Ast reliqua ita proponuntur, ut nullo modo signa esse possint, quia bella gravia, persecutiones et calamitates in unoquoque saeculo exstiterunt. — Et si res ita se habet, etiam excluditur tertia sententia, a Christo proponi signa tum eversionem urbis, tum finem mundi praegressura. — Quapropter alii interpretes⁴⁾ docent, Christum in hac parte prima Apostolis (et omnibus fidelibus futuris usque ad finem mundi) ad interrogationes propositas nihil respondisse, sed ante omnia eos adhortare ad vigilantiam, ut caveant a seductione, quum vita obsepta sit a falsis doctoribus, a rerum temporumque calamitatibus, ab inimicis religionis, a malis eorum exemplis. — Haec monita data esse pro toto ecclesiae tempore, elucet e v. 14., in quo evangelium dicitur praedicandum esse in orbe universo et tum venturam esse consummationem saeculi.

¹⁾ Hil., Chrys., s. Thom., Dion., Jans.

²⁾ Cyr., Hier., Fab., Iren., s. Greg.

³⁾ Bed., Mald., Lap., Sylv., Lamy, Arn., Schegg, Bisp., Schanz, Pölzl.

⁴⁾ Euth., Dion., s. Pasch., Lamy, s. Thom., Knabenbauer.

I. Monita ad vigilantiam et ut caveant a seductione (v. 4—15.).

V. 4. *Videte, ne quis vos seducat.* Maximi enim momenti est, ut caveant a seductione.

V. 5. *Multi enim venient in nomine meo.* Explicat, cur vigilandum sit et cavendum a seductione, quia multi nomen meum et dignitatem sibi vindicabunt. — *Dicentes: ego sum Christus, et multos seducent.* Qui asserunt, nunc signa recenseri eversioni urbis praevia, ut tales seductores afferunt Theudam (Act. 5, 36.), Simonem Magum (Act. 8. 9.), Dositheum et Menandrum illius discipulos, Aegyptium quemdam. Ast nemo ex illis impostoribus ante urbis eversionem dicebat se esse Messiam. Sub nomine Messiae prodierunt urbe et templo eversis, uti Barkochba Hadriano imperante. Dein eo ipso, quod multi venire dicuntur, qui non uno eodemque tempore prodire possunt, indicatur, non dari designationem temporis. Si vero illud: ego sum Christus, intelligitur de doctoribus falsis, non habemus signum adventus Domini, quia ejusmodi doctores jam saepe existerunt (Knabenbauer).

V. 6. Christus duplex bellum fore dicit: alterum spirituale a seductoribus, alterum corporale ab hostibus et seditiosis. Nunc monet, ne altero bello obruantur, dum dicit: *Audituri enim estis* (graece melius: δὲ, cum oratio ad aliquid novi progrediatur). — *Proelia*, bella, quae prope erunt, quorum tumultum et strepitum audiunt. — *Et opiniones proeliorum*, rumores bellorum, quae saepe magis turbant ac terrent homines, quam ipsa bella. Lucas addit: seditiones, quas multas narrat Jos. Flavius (bell. jud. IV. c. 5.). — *Videte, ne turbemini*, attendite, nolite turbari, ita ut aequo animo esse desinatis. — *Oportet enim haec fieri*, scil. pro hominum malitia, pro regum cupiditatibus et dominandi libidine, pro odio nationum mutuo et avaritia. — *Sed nondum est finis*, scil. malorum, calamitatum. Uti ex Jos. Flavio (de bello jud. 2, 12. 1. 2. et Antiq. 20, 5. 3. 4; 18, 9. 1.) scimus, Judaea variis seditionibus et tumultibus exagitabatur; etiam bella externa non deerant. Ast haec non posse considerari tanquam signa

prævia urbis eversionem, elucet e v. sequenti (v. 7.) quo declaratur, quænam bella intelligantur.

V. 7. *Consurget enim gens in gentem et regnum in regnum.* Verba hæc, quum sint generalia et ampla, nec apte explicari possunt de tumultibus illis in Judæa aut de bellis Romanorum et Parthorum, de quibus Tacitus (in *Annalibus*) et Suetonius (Ner. 39.) loquuntur, aut de tumultibus excitatis Caesareæ, Scythopoli, Ascalone, Ptolomaide, Alexandriae, Damasci. Nec etiam possunt considerari tanquam signum consummationis sæculi, quia ejusmodi bella magnarum gentium vel regnorum inter se gesta sat multa ex historia populorum discimus. Idem dicendum est de illis, quæ bella partim comitari vel subsequi solent: *Et erunt pestilentiae et fames et terræ motus per loca, κατὰ τόπους*, in diversis locis, vel quasi ab una regione ad aliam ejusmodi calamitates progredientur. Neque hæc restringi possunt ad famem in Palaestina imperante Claudio (Act. 11, 28. Jos. Antiq. 3, 15; 20, 2. 5.), quæ fames nimio quoque tempore distat ab eversione templi, adeo ut ejus signum esse nequeat, et ad terræ motus, quibus Colossæ, Laodicea, Pompeii diruta sunt (Tacit. *Annal.* 14, 27; 15, 22.), vel Creta, Smyrna, Miletus, Chios, Samus concussa sunt.

V. 8. Ne putent, ejusmodi calamitatibus jam adduci ac præmonstrari finem, dicit: *Hæc autem omnia initia sunt dolorum*; vult dicere: hæc mala, si cum iis, quæ postea consecutura sunt, conferantur, exigua sunt et similia primis doloribus partus instantis prænunciis, qui si cum doloribus in ipso partu irruentibus comparantur, exigui sunt. Metaphora a mulieribus parturientibus sumpta est.

V. 9. A descriptione malorum, quæ generatim hominibus omnibus eventura sunt, transit Christus ad ea, quæ discipulis ipsius (christianis), uti antea jam Apostolis annunciaverat (10, 22.), perferenda erunt, dum dicit: *tradent vos in tribulationem*, vos affligent, tormentis tradent, variis modis vexabunt. — *Et occident vos et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum*; significat, occisis aliis alios odio fore, et quum dicit: eos odio fore omnibus gentibus, indicat diffusionem evangelii per totum terrarum orbem.

V. 10. *Et tunc*, exortis illis vexationibus. — *Scandalizantur multi*, a fide in me deficient, timore persecutionum et tormentorum. — *Et invicem tradent*, apostatae tradent eos, qui perseverabunt; imo (coll. Marc. 13, 12. et Luc. 21, 16.) et illi, qui sanguinis vinculo (i. e. parentes, fratres et cognati) sibi arctissime conjuncti sunt, inimico animo se invicem sunt persecuturi.

V. 11. Ad vexationes inimicorum (qui corpora primum infestant) accedet corruptio animorum per falsos doctores, haereticos. — *Et multi pseudoprophetae surgent et seducent multos*, scil. a fide per suam doctrinam falsam. De talibus pseudoprophetis jam conqueritur Apostolus Paulus, qui sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi, ministri satanae (2 Cor. 11, 13, 15. Phil. 3, 2. Col. 2, 18. Gal. 5, 12, 1 Tim. 1, 20; 4, 1. seq. etc.). Veritatem hujus vaticinii Christi confirmat historia, qua teste innumeralis haereticorum doctorum cohors exorta est, qui, quamvis inter se maxime discordes, una in re solum concordēs, odio nimirum in unam veram ecclesiam Christi.

V. 12. *Et quoniam abundavit iniquitas*, propter ingravescentem improbitatem, se manifestantem odio et persecutione, defectione et seductione. — *Refrigescet caritas multorum*, scil. christianorum, qua antea erga Deum et proximum fervebant.

V. 13. *Qui autem perseveraverit usque in finem*, qui usque ad mortem firmiter in Deo constiterit, propter odia et persecutiones non defecerit a fide (v. 9.) nec falsorum doctorum sermonibus victus fuerit (v. 11.) et inter haec mala caritatem non amisit (v. 12.). — *Salvus erit*, is aeternam beatitudinem consequetur.

V. 14. Post tristia nunc subjungit laeta: *Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe*, hic scil. nuncius salutis de regno Messiano (cf. 4, 23; 9, 35; 26, 13.), quem nuncium ego afferō et cujus pars etiam id est, quod hoc loco doceo. — *In testimonium omnibus gentibus*, ut scil. hac praedicatione, ubique facta, omnibus reddatur testimonium de Christo et salute per eum consequenda atque omnes gentes convincantur, fuisse eis salutem (scil. aeternam) a Deo

oblatam, et eos esse inexcusabiles, si illam repudiaverint (cf. 8, 4; 10, 18.). Quum sermo sit de omnibus gentibus, etiam verba: in universo orbe (ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ) intelligi debent sensu universali, ita ut evangelium demum aliquando in unoquoque orbis terrarum tractu, ubi aliqua gens vitam degit, annunciari debeat. Quum ad vocem οἰκουμένη cum emphasi addita est vox ὅλη, et Christus evangelium suum omnibus ad salutem consequendam proponi vult, neque ullam gentem excipit (coll. 28, 19.), elucet, vocem οἰκουμένη hoc loco non posse explicari de imperio Romano. — *Et tunc*, si evangelium ubique annunciatum fuerit. — *Veniet consummatio* (τὸ τέλος v. 3. 6.), erit finis mundi — ante non erit; quando post futurus sit, incertum nobis est; ante tamen non esse futurum, dubitare non debemus; an autem, simulatque praedicatum fuerit evangelium, finiendus sit mundus, incertum est. Quum de die illa et hora nemo sciat, evangelium in toto orbe praedicatum non potest simpliciter dici esse signum adventus Domini.¹⁾

II. Prophetia de Hierosolymae eversione (15—22.).

(Marc. 13, 14—20. Luc. 21, 20—24.).

V. 15. *Ergo* (ὥν). Quum Christus praemisisset monita pro toto ecclesiae tempore, voce hac (ergo) reedit ad quaestionem v. 3., atque accuratius respondet ad primam illius quaestionis partem, scil. ad quaestionem de tempore destructionis Hierosolymae et templi. — *Abominationem desolationis* (βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως). Vox βδέλυγμα est nomen verbale a βδελύσσομαι, abominor, ergo res abominanda; cum genitivo τῆς ἐρημώσεως denotat rem abominabilem, quae vastationem efficit vel secum fert. — Quid autem sit intelligendum per abominationem desolationis, interpretes dissentiunt. Nonnulli intelligunt exercitum Romanorum, dum ille sub Tito Hierosolymam expugnabat et templum etiam oppugnabat. Sed huic explicationi obstat monitum: tunc, qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes; quia fugae tum locus esse non potuisset. Alii intelligunt eundem exercitum Rom.,

¹⁾ Conf. Mald., Knabenbauer.

dum urbem Hierosolymam obsideret; sed his obstant verba: in loco sancto, quae solum de templo (id ipso loco Danielis postulante), non autem de Judaea, aut locis Hierosolymae vicinis, possunt explicari. Quum juxta Matthaeum et Marcum abominatio illa stare in templo et fuga possibilis perhibetur, praeferenda est interpretatio eorum,¹⁾ qui per abominationem desolationis intelligunt templi profanationes per Zelotas, homines scelestos, causatas quibuslibet flagitiis in templo, eo tempore, quo Romani, Galilaea jam occupata, in eo erant, ut Judaeam expugnarent urbemque obsiderent. Verba haec ita explicanda esse, poscit locus Lucae (21, 20.): „cum videritis ab exercitu circumdari Jerusalem“; quae verba, quia fuga adhuc possibilis perhibetur, intelligenda sunt de initio obsidionis, ita ut sensus utriusque loci (Matthaei et Lucae) sit sequens: Cum videritis illas templi violationes, causatas per Zelotas, et accedentem exercitum, ut urbem obsideret, fugite ad montes (Calm.). Explicationi huic favet ipse locus Danielis (9, 27.), ubi is celeberrimum edidit vaticinium de 70 hebdomadibus, unde verba abominatio desolationis desumpta sunt. Per illa verba Daniel (et scriptor 1. lib. Mac. 1, 1—49—58) intelligit profanationem templi per Antiochum Epiphanem, qui statuam Jovis Olympii in altari holocaustorum collocari jusserat. — *Qui legit, intelligat.* Nonnulli²⁾ putant, esse verba haec Christi, admonentis ad attentionem verbis Danielis praebendam, ad verborum illorum sensum recte assequendum. Alii³⁾ quum apud Marcum (13, 14.) verba: *quae dicta est a Daniele propheta*, ad quae illud: *qui legit, intelligat*, referri possit, non leguntur, dicunt, ea esse Matthaei, ab hoc evangelista, Christi orationi inserta, quo lectores suos Judaeos admoneret, ut caute hanc Christi praedictionem a se descriptam attenderent, utpote qua pronunciaretur, quid ipsorum genti atque urbi haud longo post tempore esset exspectandum. Sed quum Christus saepius attentionem auditorum exstimulet, ideo, quia hic agitur de oraculo in libro consignato, ad quod eos attentos reddit, prior explicatio praefenda est.

¹⁾ Jans., Calm., Kistemaker, Arn., Reicshl, Bisp., Schanz, Knabenbauer.

²⁾ Chrysost., Euthym., Schegg, Schanz, Knabenbauer.

³⁾ Jans., Hug, Arnoldi, Bisp., Patrit.

V. 16. *Tunc*, quum videritis abominationem desolationis in loco sancto stantem. — *In Judaea*, in universa terra Israël. Nam statim post eversionem urbis et templi iisdem calamitatibus involutae sunt Galilaea ceteraeque provinciae et urbes, quae debellatae et miserrime vastatae sunt a Vespasiano et Tito. — *In montes*, ubi nimirum speluncae amplae erant, in quibus profugi poterant facilius latere, quam in regione plana.

V. 17. *Qui in tecto*; graece: ἐπὶ δώματος, super tectum, uti apud Marcum (13, 15.) vertitur. Vid. 10, 27. — *Non descendat*, nimirum in interiorem domus partem (cf. 9, 2.). — *Tollere aliquid*, ut tollat supellectilem, pecuniam aut aliud subsidium itineris aut fugae.

V. 18. *Qui in agro*, operandi causa. — *Non revertatur*, scil. ex agro domum. — *Tollere tunicam suam*, ut tollat pallium suum, quo se tegat (cf. 5, 40.). Sensus v. 17. et 18. est: Noli tempus consumere conquirendis rebus, etiam maxime necessariis, sed via brevissima fuge. S. Lucas (21, 21.) generalius hoc exprimit: „*Qui in regionibus fuerint*, scil. extra Hierosolimam, *non intrent in eam.*“ Causam addit (v. 22.): „*quia dies ultionis hi sunt*“, quia instat tempus, ut sumatur ultio de tota illa rebeli et pertinacissima natione.

V. 19. *Praegnantibus*, gravidis. — *Nutrientibus*, lactantibus vel mammas praebentibus, quia nimirum illae onere embryonum, quos utero gestant, hae autem sarcina infantium lactentium gravatae, fugere non poterunt.

V. 20. *Ut non fiat fuga vestra*, ut non occurrat ista fugae necessitas. — *Hieme*, quia in ea ob frigus, pluvias, lutum, dies breves, fuga est difficilior. — *Sabbato*, quia hocce die exiguum, bis mille cubitorum (gressuum) spatium, emetiri licitum putabant Judaei. Hisce Christus non contradicit sibi respectu sententiae suae de sabbato (cf. 12, 1—8. 10—12.); sed ita loquitur, quia praevidit, fore, ut multi christiani, qui antea Judaei fuerant, ob nimiam et anxiam diligentiam sabbatum observandi, fugam non arripiant. Vult dicere: Orate, ne tali tempore fuga vobis instituenda esset, quo illa aut ob hiemis tempestates, aut conscientiae scrupula difficilis reddi, aut detineri posset.

V. 21. Versus hic causam continet, cur illa precatio (v. 20.) praeprimis necessaria sit. — *Tunc*, tempore obsidionis

urbis. — *Tribulatio magna*, scil. in Judaea et Hierosolymae praeprimis. — *Qualis non fuit . . neque fiet*, i. e. calamitas tempore excidii urbis gravitate sua superabit omnes calamitates, quibus unquam homines affecti sunt; quia scil. extremum scelus occisi Filii Dei extremis tribulationibus vindicandum erat (Chrys.). — *Usque modo*, usque ad hoc tempus (cf. Rom. 8, 22.). Judaei enim nec in captivitate Aegyptiaca, nec Assyriaca, nec Babylonica, nec Syriaca sub Antiocho Epiphane tantas clades passi sunt, quales a Tito et Romanis. Josephus Flavius (Bell. Jud. V. 10.) describit illa mala, imo refert, obsessa urbe eo res adducta est, ut mater filium lactantem suis ipsa manibus jugularet igneque tostum comederet.

Nonnulli interpretes¹⁾ affirmant, v. 21. a Christo more prophetarum transitum fieri ad ultima mundi tempora, a tribulatione Judaica tempore eversionis Hierosolymae ad ultimam omnium et maximam tribulationem in fine mundi, quatenus eversio urbis, quae erat judicium quoddam particulare, erat typus (figura) judicii universalis (conf. dicta 16, 28.). — Ratio valida pro hac sententia colligitur ex v. 22., quia nec: quod dies breviati sint, nec: quod propter electos sint numero imminuti, commode ad obsidionem Hierosolymae referri potest. Quae enim potest: Quinam fuerint electi, propter quos dies illi sint abbreviati? Uti Eusebius (hist. eccl. III.) narrat, christiani omnes jam initio belli sese receperunt in Peraeam; Josephus Flavius etiam narrat, post cladem Cestio Gallo illatam, multos nobilium urbe Hierosol. excessisse, atque eodem teste Josepho in urbe, obsidione clausa, remanserant maxime scelerati. — Nec per electos, uti nonnulli (Jans., Arnoldi) putant, intelligi possunt ii, qui ex Judaeis vel Judaeorum filiis post urbis eversionem nascituris, essent credituri, quum huic expositioni obstet vox electi; nec possunt intelligi christiani (s. Thom.), aut christiani in medio Judaeorum conclusi (Chrysost., Calm.), quum christiani monita Christi de fuga capienda (teste Eusebio) secuti sint. — Neque dici potest, dies belli Judaici diminutos fuisse; nam ex belli et ob-

¹⁾ Anselm., Menoch, Gordon., Sylv., Schegg, Schanz, Knabenbauer.

sidionis historia (teste Jos. Flavio) elucet, expugnationem urbis paulatim et per partes factam esse, ergo rem fuisse protractam, ut summa fames et miseria in urbe oriretur, ita ut cloacas et vetusta rimantes boum stercora, retributa inde collecta ederent, imo ut ipsi milites cingula, calceamenta atque ipsa scutorum coria avulsa dentibus conficerent. Quum talis esset conditio urbis ad extremum jam redacta, haud dici possunt dies cladis et tribulationis abbreviati.

III. Prophetia de altero Christi adventu et de fine mundi (21—51.).

(Marc. 13, 21—37. Luc. 21, 25—38.).

V. 21. 22. Ab eversione urbis annunciata, Christus transit ad consummationem saeculi (ad finem mundi), atque ita respondet ad alteram discipulorum quaestionem: quod signum adventus tui. Docet autem, ante alterum suum adventum fore afflictiones summas, quibus, quaecunque antea exstiterint, tribulationes longe superentur. — *Et nisi breviati fuissent dies illi*, nisi numerus dierum calamitosorum imminutus fuisset, scil. aeterno Dei decreto. Loquitur quasi de re jam facta, quia decreta divina aeterna, quum sint immutabilia, ita considerantur, ac si jam evenisset, quod illis decretum erat. — *Non fiet salva omnis caro*, nemo hominum vel superstes foret, vel propter vehementiam et crudelitatem persecutionis nemo fidelium firmus maneret in religione ac pietate et salutem consequeretur. Omnis caro est hebraismus pro: quivis homo. — *Sed propter electos breviabuntur dies illi*; Deus enim electos non vult nimium turbari ac perpeti, habita ratione electorum, illorum gratia, dies illi breviabuntur.

V. 23. *Tunc* (τότε). Illi interpretes, qui dicunt, ab hoc versu fieri transitum ad finem mundi, nexum ita statuunt: Tempore Hierosolyma eversa praeterlapso, quod ex Dei decreto ab Hierosolymae eversione usque ad finem mundi labi debet. — Si vero statuitur (et quidem recte), v. 21. a Christo transitum fieri ad ultima mundi tempora, istud: tunc (τότε) hoc loco apte positum est: in gravissimis illis tribulationibus multa quoque spargentur oracula de liberatione jamjam instante et

de rege liberatore Christo, hinc, *si quis vobis dixerit: ecce, hic est Christus* (Messias), *aut illic, nolite credere*, quia unus est Christus, qui jam venit.

V. 24. Versu hoc declarat, cur maxima cura opus sit, ne falsis oraculis seducantur. — *Pseudochristi*, qui, me reprobato, Messiae dignitatem sibi arrogabunt. — *Pseudoprophetae*, falsi doctores, i. e. tales, qui nomen et dignitatem prophetae et doctoris sibi arrogabunt, quin essent missi a Deo. Ejusmodi pseudoprophetae et doctores falsi dicuntur a s. Paulo ministri Satanae (2 Cor. 11, 15.). — *Dabunt signa et prodigia*, edent miracula, non vera, sed mendacia ope Satanae. Tali potestate instructum praedicat s. Paulus (2 Thess. 2, 9. seqq.) antichristum (cf. Apoc. 13, 2.); hinc et pseudochristi, praecursores antichristi, simili potestate instructi dici possunt. Cf. Mald. ad 7, 22. De discrimine inter *σημεῖα* et *τέρατα* vid. comment. in Joan. pag. 119. — *Ut in errorem inducantur etiam electi*, ita ut etiam, si fieri possit, illos ipsos homines, qui propter merita sua ad aeternam salutem aeterno divino decreto praedestinati sint, a fide in Christum abducerent. — *Si fieri potest*, si id iis ob fortiolem Dei voluntatem et decretum non impossibile factum esset, si in iis (electis) gratia Dei non omni seductione praevaleret. Tanta ad seductionem efficacia ostendit, Christum de alio loqui tempore et illos deceptores multo deteriores fore.

V. 25. *Ecce praedixi vobis*, scil. periculi magnitudinem, ut illud sollicite magis caveatis; hinc non mea, sed vestra culpa est, si nihilominus seducamini. Praedixi, praeteritum positum respectu fidelium, qui tunc temporis verborum Domini recordabuntur.

V. 26. *Ergo*, quum nimirum v. 24. dicta sciatis. — *Est*, scil. Christus (Messias). — *Nolite exire*, ut eum videatis. Teste Jos. Flavio (Bell. Jud. II. 13, 4.) solebant impostores, qui se a Deo actos venditabant, populum in deserto colligere, ac si ibi Deus eis signa liberationis eorum daret. Ita fiet etiam in fine mundi. — *In penetrabilibus* (ἐν τοῖς ταπεινοῖς), in hoc vel illo conclavi aut cubiculo, quasi digito monstrans, in antithesi cum deserto. Sic hoc versu magis particulatim explicat id, quod antea (v. 23.) dixerat: *Ecce, hic est Christus, aut illic*.

V. 27. Verbis hujus versus Jesus rationem indicat, cur variis ejusmodi nunciis, Messiam adesse asserentibus, fidem habere nefas sit, dum docet, quomodo sit venturus omnibusque simul manifeste appariturus. Sensus est: Sicut fulgur, quod lumen suum ab Oriente usque ad Occidentem extemplo diffundit, non indiget praecone, sed in momento omnibus hominibus apparet, ita ego Messias, cum rediero (ad judicium), ob gloriae fulgorem omnibus hominibus extemplo ero conspicuus. Unde concludendum relinquit: hinc omnis nuncius, Messiam in deserto, vel hoc aut illo conclavi apparuisse, est commenticius et ementitus.

V. 28. Nunc aliam addit causam, cur fides non habenda sit illis, qui Messiam in occulto apparuisse, et hic illic latitare nuncient. Partic. γὰρ (enim) ob codices praestantissimos et versiones, Italam et Vulgatam, quae istam non habent, delenda est. — *Corpus*; videtur Vulgata legisse σῶμα, sed textus graecus habet πῶμα, cadaver. — *Aquilae*, graece ἀετοί, quae vox significat aquilas, vultures. Nonnulli, quum vulgares vultures (aquilae) a cadaveribus abstinere (dum recentiores id affirmant), cogitant specialiter de vulturibus percnopteris (Nasgeier), quos antiqui speciem generis aquilini esse putabant. Sententia haec eadem occurrit apud Lucam (17, 37.), quae tamen a Christo alio tempore prolata erat. — Quod dictum hoc h. l. attinet, interpretes in eo explicando divergunt. Nonnulli ¹⁾ illud exponunt de excidio Hieros., per cadaver Hierosolymam aut Judaeos generatim intelligentes, per aquilas vero copias Romanorum cum ipsorum signis. — Sed huic obstat contextus, quum h. l. non est sermo de excidio Hieros. et de Judaeis, sed de adventu Christi ad judicium. — Aliis ²⁾ aquilae sunt pseudochristi et pseudoprophetae (v. 24.), cadaver autem moraliter putrescentes, pravi christiani ultimis temporibus (Bengelio Judaismus); sed etiam huic explicationi obstat contextus. — Aliis ³⁾ aquilae sunt fideles, justi, huncque statuunt sensum: Sicut non est opus, aquilis ostendere cadaver, quia ipsae naturali sensu sentiunt ad illudque advolant; sic etiam, cum rediero ad judicium, non

¹⁾ Lightfoot, Wetsten., Rosenmüller.

²⁾ Schegg, Bengel.

³⁾ Hilar., Jans., a Lap., Arnoldi, Knabenbauer.

erit opus, fidelibus meis dicere, ubi ego Messias sim, nam illi supernaturali illustratione et impulsu me statim percipient advenientem et ad me advolabunt, ut me meaque gloria felicissime reficiantur et beentur in aeternum. Cui explicationi favet locus Pauli (1 Thess. 4, 17.): Rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra et sic semper cum Domino erimus (a Lap.). — Alii ¹⁾ per aquilas intelligunt generatim homines, hoc sensu: Sicut aquilae naturali sensu ad cadavera convolare solent, ita, cum gloriose rediero ad iudicium, omnes homines ad me iudicem, ut iudicentur, convolabunt. Utrique huic explicationi favet contextus. — Alii ²⁾ haec utraque explicatio ideo non placet, quia ipsis inconveniens videtur, ut Filius hominis in suo glorioso adventu, qui immediate antea comparatus fuerat cum fulgure, ubique locorum conspicuo, h. l. sub imagine cada-veris repraesentaretur, fideles vero sub imagine vulturum; quapropter cadaver est iis imago hominum cadaveri similium, i. e. hominum malorum, corruptorum, poenis aeternis dignorum, vultures autem sunt eis (praeunte Irenaeo) imago angelorum, qui Christum ad iudicium comitaturi, executores erunt sententiae ejus condemnatoriae prolatae in pravos, hoc sensu: ubicunque fuerint homines mali, poenae digni, ibi Messias punientem per angelos suos se manifestabit (ubi culpa, ibi poena).³⁾ Sed etiam huic explicationi obstat contextus, quia sententia v. 28. prolata plane abrupta videtur, quae tamen optimo in nexu existit cum v. 27. In versu 27. ratio redditur, cur illis pseudoprophetis, qui Christum advenisse nunciant, non sit credendum, quia Christus ita appariturus est, ut neminem possit latere. V. 28. autem alia adjungitur causa, qua exprimitur, praeprimis fideles quam celerrime percepturos esse Christi adventum et quasi ictu rapidissimo ad eum convoluturos. Huic utrique explicationi non potest objici, tali modo Christum comparari cadaveri, quia, quum locutio sit proverbialis vel parabolica, semper, uti s. Chrysostomus monet, ob oculos habendum est, non oportet in parabolis omnia ad literam explorare, sed, cum scopum parabolae

¹⁾ Theophyl., Beda, Mald., Berl.

²⁾ Bisp., Meyer, Reischl, Pölzl, Schanz.

³⁾ Cf. Kistemaker.

didicimus, hunc decerpere, nec cetera curiosius explorare. Si igitur verba Christi tanquam locutio proverbialis intelligantur, non opus est, ut dicamus, Christum hic comparari a cadaveri.¹⁾ Locutio haec proverbialis est ducta ex Job o (39, 30.), ubi aquila dicitur in editissimis rupibus considerare, atque ex iis veluti speculis praedam intueri et longe prospicere; hujus pulli cruorem avidissime bibere, ipsaque (aquila), ubicunque fuerit cadaver, statim adesse.

V. 29. *Statim* (εὐθὺς), i. e. post illas tribulationes per praecursores antichristi et per ipsum inflictas. Quam diu illae infligantur, non edicitur; id discimus, sine mora longiore fore signa illa in sole et lunae. Nam graecum εὐθὺς non semper significat: statim, repente, seu eo ipso momento, quo antecedentia fiunt aut facta sunt; sed saepe indicat ea, quae sequantur, non ita longo intervallo ab iis, quae antecesserint, distare. (Berl.). — *Sol obscurabitur*, lucere desinet. Illa solis obscuratio non fiet, uti nonnulli putant, ob splendorem Christi adventus vel fulgorem crucis in coelo apparentis, quia solis obscuratio antea fiet. — *Luna non dabit lumen suum*, nimirum propter luminis defectum solis, a quo lumen suum mutuatur. — *Stellae cadent de coelo*. Quum stellae mole plurimum superent terram, non possunt dici revera cadere in terram, sed suo loco dimovebuntur (cf. Mald.). Similibus imaginibus describunt prophetae interitum regnorum (Babylonis, Tyri, Aegypti, Idumaeae), aliosque eventus futuros terribiles (Jes. 13, 10; 24, 18; 34, 4; Ezech. 32, 7. Joël 2, 10. 28. Hagg. 2, 21.). Quum autem h. l. eadem imagines inserviunt indicandis eventibus horrendis, praegressuris judicium universale, ubi plena rerum universitatis immutatio et renovatio futura sit (coll. 2 Pet. 3, 10—13. Apoc. 21, 1. Rom. 8, 19—21.), utique dicendum est, verba haec maximam partem sensu proprio esse accipienda. — *Et virtutes coelorum commovebuntur*. Verbis his declaratur, quo modo stellae cadant de coelo, quatenus e statu et conditione pristina mutabuntur. Per virtutes coelorum sunt intelligenda sidera, stellae (coll. Jes. 34, 4. Ps. 33, 6.), non autem angeli (abstracto posito pro concreto), quia huic

¹⁾ Conf. Knabenbauer p. 333 — 335.

obstat verbum commovebuntur, isti non concutientur; alii intelligunt coeli vires, quae universum, ne corruat, continent sustinentque, ergo idem: quod (Job. 26, 11.) *columnae coeli contremiscent*; aut (Proverb. 8, 26.) *cardines orbis terrae.*¹⁾

V. 30. *Tunc*, factis illis, quae versu antecedente exposita sunt. — *Signum*, scil. crucis, mundo et hominibus notum. Nam loquitur Christus de signo certo, quod articulus ante σημεῖον aperte indicat. Ita plerique Patres et theologi imo et ecclesia, quae canit: »Hoc signum crucis erit in coelo, cum Dominus ad judicandum venerit.« Prorsus arbitrariae sunt explicationes aliorum, qui per signum intelligunt aut stellam, quae ex opinione Judaeorum (coll. Num. 24, 17.) Messiam portendit; aut lumen, nubem, Schechinam, qua Messias aliquamdiu involutus est, sed mox ex ea se emergit; aut Messiam ipsum, cui ultimae explicationi obstant sequentia: et videbunt Filium hominis. — *Et tunc*, illo scil. signo viso. — *Plangent omnes tribus terrae*, ex omnibus nationibus universi orbis terrarum lamentabuntur impii, quod judicem mundi contempserint. Sed praeferenda est explicatio eorum, qui dicunt, omnes homines tum viventes viso illo signo, etiam bonos, esse plancturos, quum nemo sine speciali revelatione esse possit omnino certus de sua salute; insuper quo quisque sanctior est, eo magis quoque agnoscit et horret defectus quoque minores et districtum Dei iudicium timet; imo, si quis sibi nihil conscius est, tamen dicet cum Apost. Paulo: sed non in hoc justificatus sum; qui autem iudicat me, Dominus est (1 Cor. 4, 4.). — *In nubibus coeli*; vide 17, 5. — *Cum virtute multa et majestate*, cum potentia magna et gloria, utpote circumdatus splendida angelorum multitudine; vide 16, 27. — (2 Thess. 1, 8.).

V. 31. *Angelos*, qui nimirum eum comitaturi sunt. — *Cum tuba et voce magna*. Et ante: voce, si legitur, est exegeticum: nempe. Sed lectio sine et est praeferenda, ita, ut sensus sit: buccina graviter sonante. Ubique cum tuba Christus venturus dicitur (1 Cor. 15, 52; 1 Thess. 4, 15.). Significatur autem metaphorice nomine tubae signum aliquod universale, evi-

¹⁾ Conf. Knabenbauer.

dentissimum et praeclarissimum (Aug. epist. 140.), quod verosimiliter erit vehementissimus clangori tubae similis sonitus quidam, angelorum ministerio per universum orbem terrarum diffusus, quo omnes mortui suscitandi sint ad vitam et convocandi ad tribunal iudicis Christi.¹⁾ Metaphora sumpta est ex *Judaeorum* consuetudine, qui ad festa sono tubae convocabantur (Num. 10, 37.). — *Congregabunt*, nimirum coram se, Messia, et quidem facta resurrectione mortuorum (1 Thess. 4, 15.). — *Electos*, probos, quos ab aeterno Deus ad salutem in Christo aeternam elegerat et qui salutem hanc etiam consecuti sunt. *Reproborum* nullam facit mentionem, quia non immediate de iudicio fit sermo, sed modo in id incidit sermo, quod Messias ad suos beandos veniat (cf. Luc. 21, 28.). — *A quatuor ventis*, a quatuor mundi plagis, unde spirant quatuor venti. — *A summis coelorum usque ad terminos eorum*; graece est: ab extremis coelorum usque ad extrema eorum, i. e. ab una extrema coeli parte ad alteram usque. Sic verba haec praegressam sententiam efficacius exprimunt.

V. 32. *Discite parabolam*, percipite a ficu desumptam similitudinem, discite doctrinam in ea comparatione contentam: παραβολή h. l. = παράδειγμα. — *Ramus*, sensu colectivo pro: rami. — *Tener*, mollis, nimirum effuso per arborem post veris initium succo. — *Nata* (ἐκφυῖ aor. 2. pass.) fuerint, scil. in fico. — *Tischendorf* legit ἐκφύη (praes. conj. act.) hoc sensu: et folia progerminet, scil. ramus, quae lectio praeferenda videtur. — *Quia prope est aetas*; θέρους designat tempus vernum et aestatem.

V. 33. *Et vos*; in Apostolorum persona omnes assecclas suos alloquitur. — *Haec omnia*, (scil. dicta v. 21 — 29.), vel a v. 15. dicta. — *Scitote*, intelligite. — *Prope est in januis*, scil. adventus Messiae (coll. v. 30. et 31.). Lucas in loco parallelo (21, 31.) supplet: regnum Dei, quod quoad sensum non differt; nam post iudicium Messianum incipiet statim gloriosum Dei regnum originarium (1 Cor. 15, 28.).

V. 34. Quinam haec omnia visuri sint, solemni affirmatione declarat. — *Non praeteribit generatio haec*. Alii²⁾ per genera-

¹⁾ Cf. Estius 1 Cor. 15, 52.

²⁾ Chrys., Theophyl., Euthym.

tionem intelligunt generationem credentium, fidelium, seu coetum fidelium, hoc sensu: ecclesia mea ad finem usque durabit, nullo impetu evertetur, etsi tam multae tamque magnae calamitates venturae sint; cui tamen explicationi obstat usus loquendi, quum γενεά nunquam significet coetum fidelium, ecclesiam. — Alii¹⁾ de genere humano generatim, hoc sensu: genus hum. durabit, usque dum evenerint, quae praedixi. Sed stante hac explicatione languidus fit sensus hujus loci (coll. v. 30.); prouti, si vox generatio (γενεά) cum Maldonato explicetur de toto mundo, de rerum universitate. Alii²⁾ vocem: generatio haec, exponunt, de gente Judaica, aetate Christi vivente, et verba: donec omnia haec (πάντα ταῦτα) fiant, referunt ad praedicta de excidio Hierosolymae et templi, hoc sensu: Plurimi Judaei hac aetate seu nunc temporis viventes, non obibunt mortem, donec omnia fiant, quae de Hieros. templique excidio praedixi. — Alii³⁾ per generationem intelligunt gentem seu nationem Judaeorum generatim, et verba: omnia haec latius sumunt, quam versu 33., intelligentes scil. cuncta, quae ad discipulorum quaestionem v. 3. propositam tum de Hieros. templique excidio, tum de suo adventu ejusque signis praedixerat. Quae explicatio praeferrī meretur. Nam, quae Dominus de urbis templique interitu praedixerat (v. 15—20.), 40 circiter annos postea eventu comprobata sunt, quo tempore adhuc in vivis erat magna pars Judaeorum, qui aetate Christi vivebant. Joannes Apostolus, adhuc 30 annos post Hieros. excidium vixit. Sed etiam tempore redeuntis Messiae ad judicium Judaei, quamvis inter omnes gentes dissiti quidem, sed impermixti ac minime dubia origine, in vivis erunt, donec praedicta omnia de fine mundi evenerint, quo tempore Judaei ad Christum convertentur (cf. Rom. 11, 30, seqq.). Sic etiam h. l., uti 10, 23., continet vaticinium Christi duplicem impletionem, propiorem et remotiorem.

V. 35. *Coelum et terra transibunt*, coelum et terra, quibus nihil est in rebus creatis firmitus et immobilius, peribunt, non

¹⁾ Hieron., a Lap.

²⁾ Calm., Kistemaker, Schegg.

³⁾ Jansen., Arnoldi, Reischl., Bisp., Patrit., Knabenbauer.

quoad substantiam, sed secundum praesentem conditionem et statum, seu mutabuntur (cf. 5, 19.). — *Verba mea non praeteribunt*, verba mea, quae hactenus locutus sum, ut incommutabilis veritas, non peribunt, seu certissime evenient, complebuntur ea, quae praedixi vobis. Addit hoc, ne quis futurarum rerum incertitudine vel nimia dilatione de veritate inciperet fluctuare.

V. 36. *De die illa et hora*, scil. adventus mei ad iudicium. — *Nemo scit, neque angeli coelorum*, nemo in terra, neque in coelo. Et ut efficacius occurreret curiositati, addit juxta Marcum (13, 32.) *neque Filius*, i. e. ego Messias; qua sententia Ariani abusi sunt. Inter varias interpretationes praeprimis verosimiliores sunt duae. Quidam praeceuntibus s. Athanasio, Ambrosio et Greg. Naz. dicunt, Christum nescire illum diem ex eo, quod est homo; nam divina natura (λόγος) ea tantum communicabat humanae Christi naturae, quae hominibus ad salutem scitu necessaria erant revelanda.¹⁾ Alii cum s. Chrysost., Augustino, Hieronymo aliisque Patribus dicunt, Christum loqui hic de se, quatenus Filius Dei quidem, simul vero legatus Patris cum mandatis Patris ad homines missus erat (Mal. 3, 1.). Jam vero legatus est, illa solum nunciare atque aperire, quae, qui eum legavit, nunciari atque aperiri vult; quod ad cetera, si quae forte legatus sciat, ita se gerere debet ac si nesciat, sique de iis rogetur, respondet se nescire ac verum respondet, ut legatus enim loquitur, ut autem legatus nihil scit, nisi quae dicere jussus est. Hinc etiam Christus, qui qua legatus Patris non haberet in mandatis, manifestare diem hunc et horam, id quod ab ipso qua legato Patris hominibus non erat manifestandum, nescire se dicere potuit, etsi pro natura sua divina sciret. Simili modo Christus dicit apud Joannem (15, 15.), se *Apostolis omnia nota fecisse, quae audiverat a Patre suo*, scil. quae communicare deberet, cum plurima divinitatis secreta non fecisset nota. Quum docente contextu adsit gradatio, altera explicatio praeferenda est.²⁾ — Causa celandi fuit, quia cognitio ejus homines negligentes redderet, dum expectatio perpetua eos facit ferventiores. — *Nisi Pater*. Non ex-

¹⁾ Cf. Stern Offenb. Johann. S. 107. 108. nota; Reischl. in Marc 13, 32.

²⁾ Cf. Patrit. in Marcum, Calm., a Lap., Arn. Knabenbauer.

cluditur Filius, nec Spiritus s.; nam eadem est omnibus essentia, hinc et scientia.

V. 37. Diem illum esse plane incertum et absconditum hominibus Christus ulterius explicat. — *Sicut in diebus Noë*, scil. accidit, ut homines non parati deprehensi sint. — *Ita erit adventus Filii hominis*, ita accidet quoque tempore adventus mei. Nam etiam diluvium erat iudicium mundi, quo absoluta fuerat prima periodus generis humani, eratque typus iudicii extremi, quod concludet universum tempus.

V. 38. Nunc declarat, in qua re similitudo haec consistat, sensus est: Sicut tempore Noachi homines per longius tempus vitam ducebant rebus jucundis et voluptatibus sensualibus deditam, sine ulla sollicitudine ac timore futurorum. — *Erant comedentes, bibentes, nubentes* (ἔσταν τρώγοντες etc.). Participium praesentis cum verbo auxiliari εἶναι est periphrasis verbi finiti; sed structura haec h. l. adhibita fuit ad designandam actionem durantem.¹⁾ — *Nubentes*, uxores in matrimonium ducentes. — *Et nuptui tradentes*, filias scil. collocantes in matrimonium, more veterum.

V. 39. *Non cognoverunt*, non crediderunt, nimirum imminere sibi exitium diluvii, quamvis esset a Noacho praedicatum (cf. 1 Thess. 5, 2.). — *Tulit*, scil. e medio, i. e. perdidit. — *Ita erit adventus Filii hominis*. Inest his verbis apodosis ad v. 38., hoc sensu: ita quoque se gerent homines ante reditum meum ad iudicium; vacabunt epulis, voluptatibus, lucris et negotiis hujus mundi, et non cognoscent adventum Christi, quamvis signa praecedentia viderint. Apud Lucam (17, 28.) additur in alia similitudine de diebus Loti: „*Emebant et vendebant, plantabant et aedificabant*, i. e. rebus terrenis toti immersi erant.

V. 40. *Tunc*, in adventu Filii hominis. — *Duo erunt in agro*, nimirum opus rusticum facientes, sed nihil minus, quam de die iudicii cogitantes. — *Unus assumetur*, nimirum (coll. v. 31.) ab angelis in coetum electorum (seu in regnum Messiae gloriosum). — *Unus relinquetur*, non assumetur, damnabitur ad poenas aeternas. Ceterum praesens in graeco est positum

¹⁾ Cf. Beelen pag. 380.

de re futura, quia Jesus, quae eventura sint, voluit auditoribus quasi ob oculos ponere.

V. 41. *Duae*, scil. ancillae. — *Molentes in mola*, in molendo occupatae. Cogitandum est hic de molis versatilibus, quae apud Judaeos ab ancillis agebantur. Constabant tales molae e duobus lapidibus, quorum ille, qui alteri erat impositus (lapis superior) versabatur. Lectio: ἐν τῷ μύλῳ tenenda, cum ea: ἐν τῷ μύλῳ (in loco, quo mola versatur) est correctura. Apud Lucam (17, 34.) additur: *In illa nocte erunt duo in lecto uno; unus assumetur, et alter relinquetur*. Ergo homines ejusdem conditionis et muneris tunc temporis diversam sortem experientur.

V. 42. *Vigilate ergo*, ne dies illa, qua severissime fiet hominum separatio, vos imparatos opprimat, illam semper prae oculis habete, pie et sancte vivendo. — *Qua hora*, (lectio: qua die, ποῖα ἡμέρα, ob codices Aleph, B. D. praeferenda, sensus idem) — quo tempore. — *Dominus vester*, scil. Filius hominis. — *Venturus sit*, ad vos nimirum judicandos. Ne autem Apostoli putarent, hoc solis hominibus tunc victuris, dici, addit apud Marcum (13, 27.): „*Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.*“

V. 43. Vigilantiam perpetuam esse necessariam, exemplo patrisfamilias declarat. Quae ab hoc versu usque ad 51. leguntur, occurrunt etiam apud Lucam, alia vice a Christo prolata (12, 39—46.). — *Illud autem scitote*, vobiscum perpendite et considerate, quid vobis tali exemplo edoctis agendum sit. — *Qua hora*; graece: ποῖα φυλακῇ, qua vigilia; vide 14, 25. — *Vigilaret*, vigilasset, nimirum tempore, quo fur venerit. — Sensus est: Solliciti et providi patrisfamilias est, semper vigilare, ne per fures damnum patiatur, quia fures non solent tempus indicare, quo venturi sint. Nunc sequitur applicatio.

V. 44. *Ideo*, ne vos, inopinate a Messia redituro opprimini. — *Venturus est*, ad vos judicandos, sive in particulari judicio, sive in universali. Quae de suo adventu dicit Christus, explicari commode possunt de singulorum vocatione ex hac vita. »Imparatum autem, ait s. Aug., inveniet ille dies, quem imparatum invenerit suae vitae hujus ultimus dies.« Ceterum adventus Christi comparatur cum adventu furis, quia uterque improvisus et inopinatus est ratione temporis.

V. 45. Nunc exemplo docet, quomodo debeant esse parati. — *Quis putas*; in graeco: τίς ἄρα, quis igitur, quum nimirum praecepi vobis, ut sitis vigiles, vigil est? Is est, qui praecepta mea servans, quovis temporis momento me redeuntem exspectat. Ita dicere debuisset Jesus, sed cogitatum suum exprimit per relationem servi ad dominum, atque eam extollit proprietatem, qua vigilem servus se praeprimis exhibet, scil. fidelitatem, manifestantem se in religiose exequendis praeceptis domini absentis, et dicit: quis igitur est fidelis servus et prudens? Per patrem familias significatum esse Christum, per servum Apostolos et episcopos, praelatos, doctores et sacerdotes, quibus cura animarum est concredita, per famulitium fideles, membra ecclesiae, dubium non est. — *Ut det*. Sermo est de servo, qui reliquis famulis praepositus erat, qui dispensator (οἰκονόμος) dicebatur (coll. Luc. 12, 42.). — *Super familiam suam*, graece: ἐπὶ τῆς οἰκεταίας αὐτοῦ, famulitio suo, i. e. reliquis famulis. — *Cibum*, alimentum congruum. Pro: *cibum*, apud Lucam legitur: *tritici mensuram*, i. e. frumenti demensum. — *In tempore*, tempore stato. Alluditur ad antiquum morem, quo servis dabatur in singulos menses certa frumenti mensura ad victum (quaterni vel quini tritici modii).

V. 46. Responsum ad quaestionem praegressam simpliciter esset: ille, quem, cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem; Christus vero sententiis abundans et unice occupatus, quam felix fortunatusque sit servus fidelis (i. e. ille, qui domini absentis praecepta religiose exequatur), rapitur in felicitatem illius praedicandam, hoc modo: *beatus servus*. — *Sic facientem*, dantem stato tempore servis alimentum, seu: attentum in officium suum (Mald.). Ceterum verba haec Christi spectant ad omnes fideles, quia quilibet est servus Dei, cujus est, ut se exhibeat fidelem et prudentem, qui talenta, ipsi commissa, in Dei honorem et gloriam impendat.

V. 47. *Super omnia bona sua*, non solum famulitio suo eum praeficiet, sed quia fidelitatem ejus expertus est, super omnia sua constituet; faciet eum socium dominii sui (2 Tim. 2, 12.). »Conregnabit, ait Origenes, cum Christo, cui Pater omnia tradidit.«

V. 48. 49. *Si dixerit in corde suo*, apud se cogitaverit. — *Ille*, quasi eum videns ostendensque. — *Coeperit percutere*, coeperit non tantum non fungi officio, sed abuti potestate sua in aliorum injuriam. — *Manducet et bibat cum ebriosis*, commensationibus indulgeat cum ebrietati deditis.

V. 50. 51. *Non sperat*; graece προσδοκᾷ, non exspectat. — *Dividet eum*, separabit eum a reliquis servis. Sed in graeco est: διχοτομήσει, quod proprie significat; discindet, in duas partes secabit (scil. serra), quod crudelissimum supplicii genus etiam Judaeis cognitum erat (2 Sam. 12, 31; 1 Reg. 3, 25.); qua voce poena gravissima significatur (Chrys.) — *Et partem ejus ponet cum hypocritis*, eandem cum simulatoribus sortem ei assignabit. Particula *et* est explicativa. Hic solum mentio fit hypocritarum, quibus tristis sors exspectanda sit, quia etiam servus est hypocrita. — *Illic*, in gehenna, quae sors erit simulatorum. Hic iterum transit ab imagine significante ad rem significatam. Cetera vide 8, 12.

Caput XXV.

1. Parabola de decem virginibus (v. 1—13.).

V. 1. Duabus parabolis, quae hocce capite proponuntur, altera de decem virginibus, altera de talentis, similiter adhortatur Christus ad perpetuam vigilantiam. — *Tunc*, quum Messias ad judicium ex improvviso redierit. — *Simile erit regnum coelorum*, simile quid fiet in ecclesia (militante) (cf. 13, 24.). — *Decem virginibus*, quod accidit decem virginibus, quae ad convivium nuptiale invitatae erant (Mald.). Respicitur mos aevi illius. Solebat nimirum sponsus cum amicis suis vespere adire domum sponsae, quam amicae ejus circumdebant. Nuncio facto, sponsum adventare, hae lampadibus accensis probabant obviam sponso eumque in domum sponsae comitabantur, quae honorifice sponsum excipiebat, dein autem ab eo cum virginibus (amicis sponsae) in aedes suas (sponsi) ad coenam nuptialem deducebatur. In nostra autem parabola convivium habebatur in domo sponsae. Similiter id novi inducitur in

parabola, ut virgines obviam eant sponso adventanti. Haec immutatio indicat, de alio sponso induci sermonem, nimirum de Christo, qui venit, ut suam sibi despondeat ecclesiam et eas animas, quae lampadibus accensis, i. e. gratia sanctificante meritisque operum bonorum ornatae ei obviam veniunt, introducat ad nuptias coelestes. — *Exierunt*, scil. e domo sponsae. — *Sponso et sponsae*, Ple-rique codices graeci exhibent lectionem solum sponso; lectio: et sponsae (καὶ τῆς νύμφης) est additamentum serius; dein, quum per virgines intelligendi sint omnes fideles, haud apte dici possunt obviam ire sponso Christo et ecclesiae i. e. sibi ipsis. Illis, qui per sponsam intelligunt solum ecclesiam triumphantem, i. e. sanctos, quibuscum Christus ad iudicium descendet, obstat id, quia parabola est plane universalis, spectans ad iudicium particulare et generale; ad hoc autem Christus dicit solum se venturum cum angelis. — *Lampades suas*, vasa ellychnio et oleo instructa, quae perticae inserta tamquam faces praeferri solebant. — *Sponso et sponsae*.

V. 2. et 3. *Fatuae*, insipientes, stultae, quia male sibi prospexerunt in posterum. — *Non sumpserunt oleum*, vasa oleo repleta non sumpserunt secum, quod lampadibus, oleo assumpto, denuo infundere possent. Explicationem hanc postulat v. 4., ubi vasa oleo repleta aperte distinguuntur a lampadibus.

V. 5. *Dormitaverunt*, nictarunt (νυστάζω est: dormio capite nutans, sive oculis somno gravatis conniveo). — *Dormierunt*, obdormiverunt, seu in somnum inciderunt.

V. 6. *Media nocte*, quando non sperabatur. — *Clamor factus est*, scil. a custodibus constitutis. — *Excite obviam ei*. Exiisse dicuntur virgines, quia, quum sponsus diu non adveniret, ex via in domum quamdam, ut ibi adventum expectarent, devertisse finguntur.

V. 7—9. *Ornaverunt*, purgarunt, poliverunt. — *Extinguuntur*, in eo sunt, ut exstinguantur. — *Ne forte non sufficiat nobis et vobis*. Si legitur cum textu recepto: μήποτε οὐκ ἀρκέσει, adest locutio elliptica, et supplendum ante μήποτε: φοβούμεθα (veremur) hoc modo: veremur, si oleum vobis dederimus, ne nobis et vobis non sit satis futurum. Si autem cum plerisque

testibus Lachmanno et Tischendorffio legitur: μήποτε οὐ μὴ ἀρχίσῃ, tunc μήποτε pro se sumendum, atque γενέσθω τοῦτο supplendum, hoc modo: nunquam, nullatenus id fiat; forte non sufficeret oleum nec nobis, nec vobis.¹⁾

V. 10. *Dum autem irent emere.* — Quum nimirum virgines insipientes putarent, ipsis tantum temporis restare, ut, priusquam pompa nuptiarum adveniret, oleum sibi emere possent, ibant ad mercatores vicinos.

V. 11. *Domine, domine.* Ingeminatio est indicium magni affectus et anxietatis.

V. 12. 13. *Nescio vos*, quia vos non vidi in numero eorum, qui me comitati sunt, ideo vos pro nuptiarum convivis non agnosco, nec ad nuptias admitto. — *Horam*, scil. reditus mei.

Significatio parabolae: Virgines sunt omnes christiani (fideles), et non solum, qui vere virgines sunt. Designantur autem tamquam virgines, quia simili modo ad sublimius, spirituale, convivium nuptiale veniant oportet, sicut virgines ad terrenum, ad quod invitatae erant. Lampades lucentes juxta alios significant fidem; sed, quia haec in virginibus, cum omnes dicantur obviam ivisse sponso, certe jam supponitur, rectius alii s. Hilarium secuti, per lampades intelligunt gratiam sanctificantem, qua anima in baptismo ornata, fit sponsa Christi; oleum sunt bona opera, quibus gratia sanctificans conservatur et amissa recuperatur, retinetur et augetur; virgines, lampadibus et oleo instructae, sunt christiani, qui gratia sanctificante ornati etiam bonis operibus perficiendis operam dant; virgines vero nonnisi lampadibus instructae, sunt christiani, qui gratiam sanctificantem extinguere sinebant. Sponsus est Christus; sponsa ecclesia; nuptiae sunt ejus conjunctio cum ecclesia, quae (nuptiae) in futura resurrectionis gloria erunt aeternae. Mora sponsi significat moram adventus Christi ad judicium, nimirum tempore, quo minime expectatur, 24, 48. Dormitatio et dormitio juxta alios sunt variae rerum occupationes in hac vita; juxta alios vero de adventu Domini non cogitare. Media nox est tempus inexpectatum et repentinum, quo

¹⁾ Cf. Beelen gram. 505.

Christus ad iudicium redibit. Coenaculum (seu convivium nuptiale) est beatitudo aeterna; introductio virginum lampadibus et oleo instructorum significat assumptionem christianorum, gratia sanctificante ornatorum et meritis operum bonorum instructorum, in regnum Dei gloriosum; exclusio vero virginum insipientium est exclusio christianorum, qui cum Christo gratia sanctificante non sunt complantati (Rom. 6, 3.). Reliqua pertinent ad ornatum parabolae. Finis parabolae est: docere, ut christiani semper vigilent, i. e. ut semper parati sint ad digne recipiendum Christum, quando ad iudicium venturus est.¹⁾

2 Parabola de talentis (14—30.).

(Marc. 13, 34. seqq. Luc. 19, 12—27.)

V. 14. Parabola haec non est una eademque cum illa apud Lucam (19, 12. seqq.); sed solum ei similis. Quilibet evangelistarum alio in nexu aliaque occasione eam propositam refert; dein (coll. Luc. 19, 11.) parabola apud Lucam dicta erat ad populum, cum Christus Jerichunte versaretur, illa apud Matthaeum ad discipulos, alio loco et tempore. Exinde etiam facile intelligi potest diversitas formae parabolae utriusque (Mald.). — *Enim* (γάρ). Particula haec indicat, Jesum exhortationem suam: vigilate etc. (v. 13.) velle probare. — *Sicut homo*. Deest apodosis, quae fere haec esse deberet: Sic et Filius hominis faciet. Cf. Marc. 13, 34. Rom. 5, 12. — *Tradidit*, scil. administranda.

V. 15. *Unicuique secundum propriam virtutem*, cuique dedit ratione habita ipsius facultatis in rebus administrandis et capacitatis, ingenii, industriae. Quum Deus in gratiis distribuendis liberrimus sit, et ideo eas non secundum propriam cujusque virtutem distribuat, recte nonnulli Maldonatum secuti, statuunt, verba illa (secundum propriam virtutem) a Christo non esse apposita ad aliquid in parabola significandum, sed ad explendam parabolae narrationem, adhibita ex consuetudine hominum, qui solent

¹⁾ Cf. Mald., Jans., Knabenbauer.

bona sua servis pro cuiusque virtute et fide distribuere. — *Statim*, quin nimirum praecepta eis dedisset, quomodo bona ipsius sint administranda, id libero illorum arbitrio relinquens. Homo, peregre profectus, est Christus, qui, quum hanc parabolam diceret, in eo erat, ut in coelum revertatur. Servi sunt fideles (christiani) et praesertim Apostoli omnesque illi, qui apostolico in munere his succedunt. Talenta sunt dona externa (opes, honores, status, ut episcopatus, apostolatus, sacerdotium, magistratus coll. Eph. 4, 11.), dein gratiae gratis datae (donum faciendi miracula, donum linguarum, discretio spirituum, prophetia, donum scientiae, eloquentiae 1 Cor. c. 12.) Apostolis eorumque successoribus aut aliis fidelibus collatae (Chrys., Hieron.).

V. 16. *Operatus est in eis*, negotiatus est iis. — *Lucratus est alia quinque*, recto donorum Dei usu gratiae aliae ei datae sunt.

V. 18. 19. *Fodit in terram*, gratia sibi a Deo collata non est usus. — *Post multum temporis*. Insinuatur tempus a Christi ascensione usque ad iudicium (Hieron.); pro singulis tempus vitae, quum in morte et iudicio particulari cuiusque Christus privatim init rationem et computum cum quolibet — *Veniet* (ἐρχεται), scil. ad iudicium exercendum. — *Posuit rationem cum eis*, in illo iudicio rationem inivit (contulit).

V. 20. *Superlucratus sum*, ad ea, quae mihi tradidisti, talenta, negotiando acquisivi, utique gratia div. adjutus.

V. 21. *Euge*; in graeco est: εὖ bene, recte, et non est connectendum verbis: super pauca fuisti fidelis, huic obstat vocativus interpositus. — *Intra in gaudium domini tui*, sis particeps gaudii, quo dominus tuus perfruitur. In applicatione: sis consors gaudii, felicitatis et gloriae illius (δόξης), quae fidelibus Christi ut haereditas est destinata, et quidem majoris vel minoris pro labore et meritis cuiusque (Joan. 17, 24. Rom. 8, 18.).

V. 22. 23. Idem dicit dominus et alteri servo, qui duo talenta multiplicaverat, quia non tam considerat lucri magnitudinem, quam studii voluntatem (Hier.), fidelitatem, diligentiam.

V. 24. *Scio*, noveram. — *Metis*, ubi non seminasti, tibi approprias, quod tuum non est. Verbis his explicat probatque, dominum esse durum et avarum, imagine de re agraria desumpta, secundum regulam juris, qua omnia, quae in agro vel fundo alicujus crescunt, possessoris agri sunt, etsi ab aliis sint seminata et culta (Schanz). Idem et sententia sequenti edicit. — *Et congregas*, in promptuarium ab illa area. — *Ubi non sparsisti*, scil. semina, seu, quae non seminasti; alii ventilasti.

V. 25. *Timens*, ne nimirum talentum in negotiando amit- tam. — *Habes, quod tuum est*, ita ut non habeas, quod a me amplius postules.

V. 26. *Sciebas, quia meto*, nostine, me mihi appropriare, quod meum non est. — Est interrogatio mirantis; sed non concedit dominus, calumniam esse veram, sed loquitur ex opinione servi.

V. 27. *Oportuit ergo*, si meto, ubi non semino, quanto magis metam, ubi seminavi (dando nimirum pecuniam). — *Committere*, locare; βάλλειν h. l. idem quod θέσθαι, seu δίδόναι, uti legitur apud Lucam (19, 23). — *Numulariis* (τραπεζίταις), argentariis, qui numos cum lucro permutant et pecuniam mu- tuo acceptam cum foenore restituunt. — Significatur, nos gratiis acceptis omni studio, omni diligentia ita uti debere, ut majores nobis afferant gratias; quemadmodum diligentes mercatores solent pecuniam, ne otiosa jaceat, argentariis in foenus dare (Mald.).

V. 28. *Tollite itaque ab eo talentum*. Verba haec in appli- catione possent quidem significare: Detrahuntur beneficia gra- tiaeque divinae illis, qui non utuntur eis juxta Dei voluntatem; sed, quum sequentia: »et date ei, qui habet decem ta- lenta«, nullam admittant significationem, quia in judicio, tum particulari, tum generali, nullae gratiae concedentur, ideo etiam sententia praegressa (tollite etc.) meri ornatus causa addita censenda est, qua solum edicitur, quod rex humanus facturus esset. — *Itaque*, quia nimirum inexcusabilis est.

V. 29. 30. Sensus est: Qui bonis sibi concessis, gratiis ac beneficiis a Deo acceptis, recte ac conscientiose utitur, ei plura concedentur, insignibusque praemiis ornabitur; qui vero illa,

qualiacunque, non recte aut plane non adhibet, ei etiam haec adimentur, et maximam sibi causabit miseriam (cf. dicta 13, 12.). Sic dictum suum (v. 28.) firmat. — *Ei autem, qui non habet.* Lectio τοῦ δὲ μὴ ἔχοντος (ἔχοντος ut genit. absolutum sumendo) tenenda, ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ ἔχοντος est grammaticalis correctura. — Loco: ὃ ἔχει habet Vulgata: quod videtur habere (ὃ δοκεῖ ἔχειν), quae lectio in paucis codicibus invenitur et apud Originem; quae tamen lectio est mutatio facta juxta locum Lucae (8, 18.). — *Illic erit fletus* etc.; vid. dicta 8, 12; 13, 42; 22, 13.

3. Judicium extremum, ejus norma et exitus (31—46.).

V. 31. *Cum.* Ergo (δὲ) metabatice: Cum rationibus conferendis cum servis (v. 19.) et cum remunerandis ac puniendis servis, res autem ita se habebit. — *Venerit Filius hominis*, scil. in judicio extremo ut iudex et rex triumphans (cf. Joan. 5, 22. 27.) — *In majestate sua*, indutus illa majestate et gloria, qua ante suam incarnationem ab aeterno usus est, qua autem, dum in terris versabatur, non indutus erat. Cf. 19, 28. 24, 30; 2 Thess. 1, 9. — *Omnes angeli*; videsis 16, 27. — *Super sedem majestatis*; vide 19, 28.

V. 32. *Congregabuntur*, ab angelis (coll. 24, 34.). — *Omnes gentes*, omnes omnino homines, omnium gentium, nationum et aetatum. — *Et separabit eos*, homines bonos a malis, et quidem ministerio angelorum (coll. 13, 49.). — *Sicut pastor*, vespere scil. reversus ab agro. — *Segregat oves ab hoedis*, qui mixtim toto die in agro pasti fuerant, ut tunc tandem in diversis stabulis collocentur. — *Ovibus comparantur boni*, hoedis vero mali juxta alios, quia hoedi (capri) minoris aestimantur, quam oves. Sed rectius juxta alios comparantur boni ovibus, quia hae sunt mites, obediens, patientes; mali vero hoedis, quia hi sunt asperi, petulci et lascivi.

V. 33. *A dextris suis*; locus enim dexter faustus et bene ominatus, hinc et honoratior; sinister infaustus et male ominatus, hinc et abjectior habebatur¹⁾. — *Hoedos*; graece: ἐπίτρυα, diminutivum vocis ἑπίτρος (hoedus), ab ἐπίτρον hoedulus contemptus causa.

¹⁾ Cf. Wetstenius in h. l.

V. 34. *Rex*. Ante descriptam majestatem se Filium hominis dixerat (v. 31.), nunc regem, quia regis, utpote absoluta potestate praediti, est, in regnum suscipere et ab eo prescribere (Jans.). — *His, qui a dextris*. Incipit Messias iudicium a dextris, quia propensior est ad beandum, quam ad condemnandum (Mald.). — *Venite* (δεῦτε); est invitatio teneri affectus et favoris. — *Benedicti*. Dicuntur benedicti, quia benedictionis, promissionis coelestis (Gal. 3, 14.) nunc revera et in perpetuum consortes facti, utpote donandi a Patre beatitudine aeterna. Dicuntur: benedicti Patris. Nam Pater benedixit eis in et cum Filio suo unigenito, cum eos vocaret, ut essent cohaeredes regni ipsius et etiam fecit, ut facti sint. — *Possidete*, graece: κληρονομήσατε, haereditate, seu haereditario jure accipite, nimirum, uti s. Chrysostomus dicit, quasi proprium, quasi paternum, quasi vestrum, vobis a principio debitum. — *Paratum*, praeparatum. — *Vobis*, omnibus probis, justis. — *Regnum*, coelum omniaque ejus bona (uti visio, fructio Dei, societas angelorum et beatorum). — *A constitutione mundi*. Electio Dei facta est ab aeterno, ante mundi constitutionem (Ephes. 1, 4. 1 Petr. 1, 20.), praeparatio regni autem facta est in ipsa mundi creatione, quia ante creationem solus Deus existebat. Inde autem minime sequitur, regnum istud eis paratum fuisse nulla ratione habita operum eorum, quae perfecturi sint; quod obstaret verbis sequentibus: esurivi enim etc. . . . rationem continentibus; sed solum, quod opera eorum respectu Dei non proprie fuissent motivum ad regnum istud praeparandum.

V. 35. *Esurivi enim*. Opera haec misericordiae loco exempli posuit pro toto genere bonorum operum. — *Collegistis me*, me recepistis in domum vestram, aut in familiam vestram me adduxistis.

V. 36. *Nudus*, male vestitus. — *Venistis ad me*, nimirum ad me consolandum, vel ad me redimendum.

V. 37. *Respondebunt . . . Quando te vidimus, esurientem*; juxta alios ita dicent ex humilitate; juxta alios ex admiratione Christi, qui exigua beneficia aliis praestita ita accipere et remunerari vult, quasi sibi ipsi essent praestita. Permulti interpetes putant, Christum solam sententiam salutis (v. 34.) et damnationis (v. 41.) revera prolaturum esse, et

quidem una lingua (uti Estius in Act. 2, 6. affirmat), quam vero quisque intelliget, ac si lingua ejus locutus esset. Alii (s. Thomas) vero docent, omnia haec referenda esse ad interiorem locutionem, qua illustratione divinitus immissa, subito, quasi in ictu oculi, in memoriam revocantur omnia, bona et mala opera, uti etiam sentit s. Augustinus (de civit. Dei 20, 14.): »Quaedam vis est intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera sua vel bona vel mala cuncta in memoriam revocentur et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul et omnes et singuli judicentur.«

Recte notatur a quibusdam, Christum ita loquendo ad nostram cogitandi rationem se accommodasse.

V. 40. *Quamdiu*; graece: ἐφ' ὅσον, in quantum, seu quatenus. — *Fecistis*, nimirum ea, quae modo enumeravi (v. 35. et 36.). — *Ex his fratribus minimis*; non solum Apostolis, quia inter hos non multi erant minimi, et quia maxima hominum pars nulla in illos contulit beneficia, sed fidelibus generatim, quos vocat minimos propter indolem eorum modestam, et quod apud homines (in mundo) habitus sunt abjecti, ignoti et contempti. — *Mihi fecistis*, quatenus illi sunt membra corporis, cujus caput ego sum. Tota enim ecclesia et Christus tamquam caput ejus, unum est completum corpus, in quo fit capiti, quod corpori fit, et contra.

V. 41. *Discedite a me*, procul abite, tamquam mihi prorsus dissimiles. His significatur poena damni, quae est privatio gloriae coelestis in aeternum (cf. 7, 23.). — *Maledicti*; non addit: *Patris mei*, sicut dixerat justis, quia maledictionis auctor non est Deus, sed unusquisque sibi sua improbitate (Orig., Chrys.). — *In ignem aeternum*. His significatur poena sensus; videsis 13, 42. — *Paratus est diabolo*, malorum spirituum principi, Deo superbe rebellanti. — Ad vocem: *paratus* non addit, uti v. 34., *a constitutione mundi*, quamvis poena propter praescientiam peccati angelorum ab aeterno esset destinata, ne quis putet, poenam eodem modo esse paratam a Deo, uti regnum coelorum; nam regnum coelorum (beatitudinem aeternam), quia Deus homines ideo creavit, ut eos aeternum bearet, in charitate praeparavit, ignem aeternum autem

nonnisi necessitate, et quodammodo coactus, ut angelos seditiosos puniret (Mald.). — *Et angelis ejus*, daemonibus ceteris, illi consentientibus. Diabolo et angelis ejus, non autem hominibus paratum ignem dicit, quia ante peccatum hominis diabolo puniendo paratus fuit; hominibus vero nonnisi consequenter, quia improbitatem diaboli imitati sunt.

V. 44. *Et ipsi*, i. e. mali, sicut nimirum probi (cf. v. 37.). — *Quando te vidimus esurientem* etc., nunquam occasio nobis oblata est, tibi ministrandi; nam nunquam te cognovimus esurientem etc.

V. 46. *In supplicium aeternum* (εἰς κόλασιν αἰώνιον = πῦρ αἰώνιον), afficientur poenis aeternis. — *In vitam aeternam*, beatitudinem aeternam. — Inde recte infertur, poenas inferni esse aeternas, prouti est beatitudo seu vita aeterna.

Caput XXVI.

Jesus Christus ut summus sacerdos.

1. Christus mortem suam proximam praedicens. Concilium habitum de modo interimendi Christum (1—5).

(Marc. 14, 1. 2. Luc. 22, 2.).

V. 1. *Quum consummasset*, scil. sermones feria secunda et hac feria tertia habitos, inde a 24, 4. usque ad finem capitis 25. Ita plerique. Hoc autem factum est vespere feriae tertiae ante Pascha. Christus nimirum sexto ante Pascha die advenit Bethaniam (Joan. 12, 1.) i. e. vespere feriae sextae (cf. c. 21). Die dominica, feria prima (i. e. die solis) Hierosolymam solemniter ingressus est (Joan. 12, 12.). Vespere ex urbe egressus est, pernoctavitque Bethaniae. Postridie (feria secunda) iterum ivit Hierosolymam (Marc. 11, 12. seqq.) negotiatoresque ejecit e templo (Matth. 21, 12. seqq. Marc. 11, 15. seqq. Luc. 19, 45. seqq.), sub vesperum egressus est ex urbe, pernoctavitque iterum Bethaniae. Postridie (feria tertia) mane venit Hierosolymam (Marc. 11, 20) et vespere hujus diei locu-

tus est de excidio Hierosolymae, mundi et de extremo iudicio (Marc. 13, 1.). Post biduum, ergo feria quinta sub vesperum, initium sumsit festum Paschatis.¹⁾

V. 2. *Post biduum* (μετὰ δύο ἡμέρας), i. e. feria quinta sub vesperum, quia illa feria tertia sub vesperum locutus est. — *Pascha*, i. e. festi Paschae dies celebrantur. De hoc nomine vid. comment. in evang. Joannis pag. 481. — *Tradetur*; graece praesens, positum pro futuro, quum sermo sit de re certissime eventura, hinc idem ac: certissimum est, ut tradatur. Quando Christus damnatus et crucifixus fuerat, vid. commentar. in evang. s. Joan. p. 332.

V. 3. *Tunc*, i. e. tunc temporis, quum Dominus ad discipulos locutus est: Scitis etc. . . ., ergo vespere feriae tertiae. — *Principes sacerdotum et seniores*; cf. 2, 4. Verba: et legisperiti (καὶ οἱ γραμματεῖς), uti habet textus receptus, sunt additamentum ex Marco (14, 1.) et Luca (22, 2.), quare delenda. — *In atrium* (εἰς αὐλήν). Utrum per αὐλήν sit ipsum palatium pontificis intelligendum, an vero atrium, locus palatii subdialis, aedificiis et muris cinctus, certo dici nequit. Similiter non potest certo dici, utrum fuerit concilium habitum extraordinarium, an tantum consilia arcana habita de Christo capiendo; prius videtur verosimilius.²⁾ — *Qui dicebatur Caiphas*. Vid. comment. in evang. s. Joan. 11, 49.

V. 4. *Et consilium fecerunt*, inter se consultabant, seu deliberabant. — *Ut Jesum dolo tenerent*, quomodo Jesum dolo caperent. — *Et occiderent*, et clam, tempore opportuno, interficerent. Nam quae post ἵνα (u t) sequuntur verba, continent id, de quo sacerdotes deliberabant.³⁾

V. 5. *Non in die festo*, non durante festo (quod octo dies celebrabatur) hoc fiat, seu occidatur. — *Ne forte tumultus fieret in populo*; quum scirent, multos in eum credere multosque eum ut prophetam et benefactorem venerari. Mos erat apud Judaeos, maleficos diebus festivis morte multare, ut poenae atrocitas exemplo esset quam plurimis; supplicium tamen ca-

¹⁾ Patrit. III, 497.

²⁾ Schegg 328.

³⁾ Cf. Beelen gram. p. 366.

pitis de Jesu durante festo exigere nolebant, quia verebantur, ne tumultus fieret in populo, quum tum temporis infinita turba Judaeorum conflueret Hierosolymam, inter quos multi, praecipuis Galilaei, Christum ut prophetam et benefactorem colebant, uti id ex die palmarum conjiciebant. Quum tamen paulo post ex proditione Judae opportunitas eis oblata esset, Jesum facile capiendi, desistebant adversarii Christi de consilio suo et Jesum ipso Paschatis die raptim in crucem agebant. Quum enim unum ex asseclis ejus, imo unum ex 12 ejus familiaribus, ab eo deficientem viderent, facile poterant suspicari, etiam reliquos non tanto cum ardore et fervore ei adhaerere, ut, si ipso durante festo eum occiderent, tumultus esset pertimescendus.

2. Christi unctio Bethaniae (6—13.).

(Marc. 14, 3—9. Joan. 12, 1—10.).

V. 6. *Cum esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi.* Vid. commentar. in evang. Joan. 12, 2.

V. 7. *Accessit ad eum mulier, Maria, scil. soror Lazari* (Joannes 12, 3.). — *Habens alabastrum unguenti pretiosi*, i. e. vasculum unguentarium ex alabastrite lapide confectum. — Reliqua vide in commentar. in evang. s. Joan. 12, 3—8.

V. 13. *Hoc evangelium*, hic nuncius de regno Messiano bonus ac salutifer. — *Dicetur et quod haec fecit in memoriam ejus*, haec actio Mariae per cursum saeculorum praedicabitur non ut perditio et supervacanea impensa, sed tanquam virtus.

3. Judas Christum prodit (14—16.).

(Marc. 14, 10. 11. Luc. 22, 3—6.).

V. 14. *Tunc, tunc temporis*, quum summi sacerdotes cum reliquis ad Christum perdendum congregati sunt (coll. v. 3.); et non: post illam unctionem. — *Abiit*, scil. a Jesu ad summos sacerdotes; et quidem, ut Lucas (22, 3.) dicit: *intrante in eum Satana*, i. e. inspirando ei pessimam proditionis voluntatem; seu uti s. Joannes (13, 2.) habet: *cum diabolus jam mi-*

sisset in cor. — *Unus de duodecim;* verba haec addidit s. Matthaeus ideo, ut sceleris magnitudinem indicaret atque efferret (Chrysost.).

V. 15. *Quid vultis?* Quaeri solet, quid Judam ad tantum facinus committendum impulerit? — S. scriptura (Joan. 12, 6.) docet, eum fuisse furem et avarum (Matth. coll. v. 8.); haec avaritia eum ad summum scelus seduxit; radix enim omnium malorum cupiditas (1 Tim. 6, 10.). — *Et ego,* cui hoc propter domesticam consuetudinem et familiaritatem perfacile est. — *Constituerunt* (ἔστησαν), promiserunt, se daturos esse (coll. Marc. 14, 11. Luc. 22, 5.). Nam ἔστησαν αὐτῷ potest denotare tum: ei appenderunt, i. e. solverunt (expressione desumpta a more antiquorum, pecuniam, aurum et argentum pendendi), tum: constituerunt, i. e. promiserunt. Huic non obstat, si Judas postea (27, 3.) argenteos acceptos reddidisse perhibetur. Poterat enim Judae pecunia promissa dari, postquam Christus traditus erat. Nec obstat ei locus Zachariae (11, 12.), ad quem 27, 9. respicitur, in quo (ἔστησαν) tantum significat: appenderunt, quia non absolute opus est statuere, locum illum jam h. l. menti evangelistae obversatum fuisse (Bisp.). Sed, si etiam significatio: appenderunt ei, teneatur, inde tamen non sequitur, tunc jam, quum prima vice Judas conveniret synedros, argenteos istos ei datos fuisse; nam Matthaeus, uti saepe alias generatim scribit: appenderunt ei, quin determinaret, quando id factum fuerit.¹⁾ — *Triginta argenteos* (ἀργύρια, ἀργύριον nummus argenteus, σίκλος, siclus, nummus, quo Judaei a Simonis, ipsorum principis, aetate, ab anno 141. a. Chr. n. utebantur). Hic loci de siclis sacris cogitandum est, quod genus pecuniae gravioris erat ponderis, quam siclus communis, et aequivalebat juxta Jos. Flavium (Antiq. III. 8. 2.) quatuor drachmas atticas.²⁾ Conf. dicta in Joan. 18, 28. Ceterum constat, illum, cujus bos servum aut servam occidisset, in compensationem totidem argenteos solvere debuisse (Exod. 21, 32.). Quam ob causam adversarii Christi tam parvam pecuniae summam promiserint Judae, num fors ita ostendere volebant, quant-

¹⁾ Cf. Langen S. 41.

²⁾ Cf. Wilke — Loch lex.

opere despicerent Christum, an alia ex causa id fecerint, nescitur; hoc certum est, ita impletum fuisse, quod apud prophetam Zachariam (11, 12.) praedictum fuerat.

4. Praeparatio coenae paschalis (17—19.).

(Marc. 14, 12—16. Luc. 22, 7—13.).

V. 17. *Prima die azymorum* (πρώτη . . ἄζυμων), i. e. 14. die mensis Nizan. Vid. comment. in evang. s. Joan. 13, 1. pag. 251. et seqq. — *Ubi*, in quo loco, vel in qua domo Hierosolymae. — *Tibi*, Jesus est ut paterfamilias in Apostolorum familia. — *Paremus* (ἐτοιμάσωμεν) conjunctivus deliberativus, hinc haud opus ἵνα supplere. — *Pascha*, i. e. agnum paschalem, seu coenam paschalem. Deligendus erat agnus mas integer, unius anni, isque a quovis homine Israëlitico in atrio templi sole vergente versus vesperam mactandus, etsi non sine sacerdotum agni sanguinem excipientium ministerio, qui istum ad altaris crepidinem effundere debebant.¹⁾ Sed praeter carnem agni assati comedebantur herbae amarae et panes non fermentati. De modo coenam paschalem celebrandi vid. commentar. in evang. s. Joan. 13, 2. pag. 260.

V. 18. *In civitatem*, scil. Hierosolymam. Nam coll. v. 6. fuit Jesus Bethaniae. — *Ad quemdam* (δ᾽εἰνα), ad illum quemdam. Voce ὁ δ᾽εἰνα utuntur Graeci, si aliquem nominare nolunt vel nesciunt. Apud Marcum (14, 13. seqq.) et Lucam (22, 10. seqq.) homo hic clarius designatur. Cur autem Christus ipsam domum non distinctius indicaverit, nec nomen illius hospitis pronunciaverit, Euthymius et Theophylactus putant, id factum esse propter Judam, ne hic locum praesciens, eum, antequam coenam paschalem egisset, adversariis traderet. S. Augustinus²⁾ autem dicit, Matthaeum ex sua persona hoc interposuisse (ad quemdam), non quod Dominus sic locutus sit, sed ut compendio insinueret, fuisse missos ad certum quemdam, nomine non expresso. — *Tempus meum*, nimium tempus moriendi, scil. a Patre mihi constitutum. Verba haec non sunt excusatio, quod ante aliorum Judaeorum

¹⁾ Patrit. III, 499.

²⁾ Lib. 2. de consensu evang. c. 80. Knabenbauer.

tempus Pascha celebraret (Mald., Arnoldi), sed indicant vehementiam petitionis; sunt quasi ultima Christi his in terris petitio. — *Facio* (ποιέω praesens), facere decrevi, seu certo facio. — *Pascha*, coenam paschalem. — *Cum discipulis meis*. Verba haec Christus adjecit, ne ille paterfamilias de convocandis suis aut peregrinis ad coenam sollicitus esset, quum coenae interesse deberent ad minimum decem homines. Verba haec docent, discipulum vel familiarem fuisse Christi hominem illum.

V. 19. *Discipuli*, scil. Petrus et Joannes (cf. Luc. 22, 8.).

5. Postrema coena, Eucharistia instituta (20—30.).

(Marc. 14, 17—25. Luc. 22, 14—23.).

V. 20. *Discumbibat*; erat videlicet mos, mensae accumbendo coena paschali frui. Factum est vero hoc vespere post solis occasum die 14. Nizanis juxta computum Judaeorum, quo tempore juxta legem comedendus erat agnus paschalis. De ritibus coenae paschalis vid. commentar. in evang. Joan. 13, 2. pag. 260. Quo die mensis Nizan coena paschalis celebrabatur, vide commentar. in evang. s. Joan. pag. 252. et seqq.

V. 21. *Edentibus illis*, i. e. inter epulum paschale, sed ante Eucharistiae institutionem. — *Unus* (εἷς). Cur non nominet proditorem vid. comment. in evang. s. Joan. 13, 21. — *Dixit*. Antecessit, quod Joannes (13, 18.) narrat. — *Traditurus est*, prodet me hostibus. De ipsa proditoris significatione vid. comment. in s. Joan. 13, 21. pag. 268.

V. 22. *Et contristati valde, coeperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine?* Vide comment. in evang. s. Joan. 13, 22.

V. 23. *Qui intingit*; graece: ὁ ἐμβάψας intinxit, ita verendum; respicitur ad primam patinam herbis amaris repletam, ex qua jam omnes comedebant. Verbis his Christus proditorem accuratius significaverat, quam prioribus: unus ex vobis (v. 21.). (Cf. Mald.) Ceterum vid. comment. meum in evang. Joan. 13, 21. et 26.

V. 24. *Vadit*, scil. sua sponte in mortem; cf. Joan. 7, 33., ubi mors proponitur tamquam abitus ad Patrem. — *Sicut scriptum est*, scil. in prophetis; quibus verbis indicat, mortem suam unice pendere ex div. decreto per prophetas promulgato.

— *Bonum erat ei, si natus . . .*, melius ei esset, si natus non esset, quia non casurus fuisset in gravissimas illas poenas aeternas. Verbis enim his proverbialiter sors maxime infelix et misera designatur. — *Homo ille*, ille homo miserrimus (emphatice dictum). Quaeritur, quomodo Judas in prodendo Christo peccaverit, quum haec res ab aeterno a Deo decreta praedestinataque esset? Respondet Maldonatus et cum eo alii, Deum non decrevisse et praedistinasse, ut Judas Christum vendendo morti traderet, sed praevidissee, fore, ut Judas pontificibus Judaicis in mortem traderet Christum; quod, quum eventurum ab omni aeternitate Deus praevidissee, ideo etiam praedefinivit, itaque Deus, ut Judas Christum venderet, non praedestinavit, sed praevidit, et dein praedefinivit; id scelus non commisit, sed permisit. Vid. comment. in Evang. Joan. s. Joan. 12, 38; 13, 18.

V. 26. *Coenantibus eis* (ἐσθιόντων αὐτῶν), quum adhuc mensae accumberent, sed coena paschali jam peracta (coll. Luc. 22, 20, 1 Cor. 11, 25.). Evangelista his filum narrationis parenthesi v. 21—25. interruptae reassumit. Christus verosimiliter post sumptionem quarti calicis (vid. comm. in Joan. 13, 2.) pag. 261. et antequam canebatur altera hymni Hallel pars, sumsit panem. Christus agno typico manducato, suum corpus et sanguinem obtulit et ad manducandum dare voluit, ut ubi typus erat, ibi veritatem constitueret (Chrys.). — *Panem* (ἄρτον), nimirum, qui a coena paschali supererat. Si autem legitur ante ἄρτον articulus τῶν, (qui in locis parallelis Marci, Lucae et Pauli multisque codicibus praestantissimis B. C. D. G. L. Z. deest), tunc designatus est panis ille omnibus notus, quo Jesus ss. Eucharistiam instituit. — *Benedixit*, (εὐλογήσας), oratione ad Deum Patrem fusa invocavit Dei beneficentiam et potestatem super panem et etiam, uti Lucas narrat (22, 19.), gratias egit, idque oculis in coelum elevatis, uti habetur in Canone nostro. Benedictione hac panis quodammodo ad immutationem in corpus Christi apparabatur. — Alii parum recte καὶ εὐλογήσας hoc loco interpretantur: et quum consecrasset, i. e. panem in corporis sui substantiam immutasset; consecratio facta est verbis: Hoc est corpus

meum ¹⁾ — *Fregit*, scil. panem. Haec fractio erat imago mortis (s. Thom.). Panes videlicet apud Hebraeos habebant formam oblongarum vel longarum placentarum atque magnitudinem patellae, crassitudinem digiti pollicis, ideo in coenis frangi solebant. — *Dedit discipulis suis*, utrum in os, an in manus dederit, non constat; sed verosimilius videtur in manus dedisse; tum quia dicit: accipite, quod ad manus potius, quam ad os pertinere solet; tum quia ista in veteri ecclesia diu consuetudo fuit, ut sacrum Christi corpus in manus fidelium traderetur (Mald.). — *Accipite et comedite*. Sunt verba exhortantis (incitantis), quia sumpto agno paschali nil amplius comedebatur (vid. dicta in comment. in evang. Joan. de modo celebrandi coenam paschalem). Marcus omittit: comedite; Lucas et Paulus utrumque omittunt verbum, tamquam id, quod per se intelligitur. — *Hoc est corpus meum*, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. Verba haec continent rationem comedendi. In calice expressa est particula: enim. Inde a saeculo 16. ex parte acatholicorum innumerae fere prolatae sunt horum verborum interpretationes, quamvis verba haec adeo clara sint et aperta. Subjectum est τοῦτο (hoc). Jam pronomen τοῦτο, hoc, potest sumi vel adjective ²⁾ ita, ut identicum sit cum ipso praedicato (τὸ σῶμά μου, τὸ αἷμά μου); ergo τὸ hoc non aliud, quam corpus, et τὸ hic, non aliud, quam sanguis est; uti v. c. Latinorum: haec est voluntas Dei; vel vero substantive ³⁾: hoc, quod in manibus teneo et vobis comedendum porrigo. Quamvis juxta utramque explicationem sensus idem remanet, altera tamen explicatio praeferenda est, quia, quando Christus dixit: hoc, corpus ipsius nondum aderat sub specie panis, sed praesens sistebatur sententia demum absoluta (Knabenbauer). — *Est corpus meum*, est substantiae meae humanae pars materialis et solida, caro, distincta non solum ab anima, verum etiam a sanguine, quae sola vi verborum hic ponitur, sicut in calice solus sanguis existit ex virtute verborum; anima vero et divinitas ponuntur per concomitantiam utrobique, sicut et

¹⁾ Cf. a Lap., Estius 1 Cor. 10, 16. Concil. Trid. sess. 13.

²⁾ Mald., Jans., a Lap.

³⁾ Thom., Arnoldi, Schegg, Bisp., Schanz, Knabenbauer.

sanguis cum corpore sub specie panis et vicissim corpus cum sanguine in calice per concomitantiam ponitur (qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur), uti totam rem hanc explicat Concilium Tridentinum (sess. 13. cap. 3.¹) Verbis his itaque Christus consecravit panem, i. e. substantiam panis in sui corporis substantiam immutavit; verba enim Christi non sunt simpliciter ac nude enunciativa, sed operatoria, quibus nimirum id, quod significabat, effecit; ergo verbum est h. l. est esse effectivum. Quum verbum ἐστίν semper esse significat, etiam h. l. suam propriam et consuetam significationem retinere debet; quapropter falsa est haeticorum expositio, qui verbum ἐστίν reddunt per: significat, repraesentat, aut est symbolum, imago corporis mei, provocando ad loca scripturae, v. c. septem boves sunt septem anni (Gen. 41, 26.) aut; petra erat Christus (1 Cor. 10, 4.), affirmantes, linguam syriacam nullum habere verbum pro voce: significat. Id falsum est, ut Wisemann comprobavit, quum lingua syriaca 41 habeat voces, quae denotant: imaginem, figuram, repraesentare (cf. Schegg). Nam ibi tantum adhibetur vocabulum rem denotans pro imagine rei, ubi illud vocabulum vel natura sua imago rei alicujus est, v. c. messis est (significat) consummatio saeculi; vel in explicatione somniorum aut parabolarum; ibi enim et in his omnis scit, quod parabola aut somnium nil sit, nisi symbolum et imago rei. Sed etiam in his figuratis locutionibus, si qua figura est, uti recte ait Mald., non haeret in verbo: est, sed aut in subjecto aut in praedicato. Nostro autem loco et parallelis evangelistarum neutrum obtinet; nam Christus non dicit: οὗτος ὁ ἄρτος ἐστὶ τὸ σῶμά μου, sed τοῦτο, quod ob generis diversitatem non potest ad ἄρτος referri; nec panis et vinum natura sua denotant aut repraesentant carnem et sanguinem, neque unquam quis panem imaginem corporis sui dixit.²) Praeprimis autem verba addita apud Lucam: quod pro vobis datur (τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον), uti verba parallela in calicis porrectione: in remissionem peccatorum (εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν),

¹) Cf. Estius, a Lap. in 1 Cor. 11, 24. Schwetz III, pag. 70.

²) Cf. Mald., Estius.

quae oblationem in sacrificium (pro expiatione), non in symbolum indicant, postulant, ut vox corpus de vero corpore, et non de figura (imagine) corporis sumatur. — Ne autem quis dicat, praesens (διδόμενον) positum esse pro futuro, et verba illa de sacrificio crucis intelligenda (ita ut sensus esset: hoc est symbolum corporis mei, quod pro vobis in sacrificium dabitur, scil. in cruce), obstat tempus praesens, quo omnes (Matthaeus, Marcus, Lucas) utuntur: *quod traditur* (διδόμενον); *qui effunditur* (τὸ ἐκχυνόμενον). Praeprimis autem explicationi illi obstant verba, quae Lucas in calicis porrectione habet: *Hic calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur* (τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον). Si h. l. ἐκχυνόμενον referendum esset ad effusionem sanguinis Christi in cruce, in graeco esse deberet dativi casus: τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνμένῳ. Quum vero sit casus nominativi, tantum potest ad ποτήριον referri, et ideo adest praesens, quum calix (sanguinem continens) nunc ipse effunderetur. Explicationi huic obstat etiam vox κλόμενον (frangitur) ad σῶμα addita apud s. Paulum (1 Cor. 11, 24. si est genuina); nam solummodo id de eucharistico corpore dici potest, quia species panis, sub qua continetur, frangitur, minime autem de corpore Christi in cruce, quia hoc non fuit fractum.¹⁾ Quod et illa Lutheranorum explicatio: corpus Christi esse cum pane conjunctum, falsa sit, facile intelligitur, quia Christus non dixit: in hoc vel cum hoc pane est corpus meum. Ceterum Apostoli de verbis Christi nil dubitant, nec interrogant, quomodo sint intelligenda, quia sermone Christi, Capharnaumi ante annum habito, praeparati erant ad hoc sacramentum.²⁾

V. 27. *Gratias egit* (εὐχαριστήσας). Egit gratias, ait Estius (1 Cor. 11, 24.), Patri, tum generatim pro beneficiis ab eo vel in sua persona acceptis, vel in humanum genus collatis, tum etiam specialiter pro beneficio sacramenti mox instituendi. Ab hac gratiarum actione Sacramentum, cujus hic institutio refertur, Eucharistia vocatur. — *Bibite omnes*, i. e. in orbem bibite. Lucas habet: dividite inter vos, ut in

¹⁾ Mald., Arnoldi.

²⁾ Cf. Schwetz theolog. dogm. III, 33—36.

orbem vos omnes ex eodem calice bibatis; et ita factum est, declarat Marcus, dicens: *et biberunt ex eo omnes*, nempe praesentes Apostoli. Addidit haec verba Christus, quod poculum non unicuique, sed dederat uni; hinc, quia poculum uni tantum tradidit, ne videretur velle, ut ille solus inde biberet, dixit: *Bibite ex eo omnes* (Mald.).

V. 28. *Hic* (τοῦτο), hoc, quod in hoc calice continetur; non autem: hoc poculum (referendo τοῦτο ad ποτήριον) est sanguis meus. Nam non poculum in Christi sanguinem immutatum est, sed quod in poculo erat, i. e. vinum. Hinc τοῦτο est h. l. subjectum indefinitum. Articulus τὸ ante ποτήριον in multis codicibus deest et verosimiliter ex Luca (22, 20.) huc illatus est. Si legitur significat poculum illud, quod paterfamilias (qui Christus erat) in coena paschali convivis porrigere solebat (biberat). Ast quum Matthaeus nullam hujus poculi mentionem faciat, verosimiliter scripsit: poculum quoddam. Aliter Lucas, qui jam antea (22, 17.) poculi in coena paschali adhibiti meminit. — *Enim* (γάρ); nam redditur verbo hoc ratio, cur omnes bibere debeant, quia sanguis ejus est. — *Novi Testamenti* (τὸ τῆς καινῆς διαθήκης), i. e. ille sanguis, quo novum Dei Foedus cum hominibus sancitur et confirmatur. Legendum est τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης, et non: τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, quum τὸ est exegeticum, καινῆς vero liturgicum additamentum ex Luca (22, 20. 1 Cor. 11, 25.). Videtur ad verba Mosis (Exod. 24, 8.) alludere, qui sumpto aspersoque sanguine in populum dixit: »*Hic est sanguis Foederis, quod mandavit ad vos Deus.*“ Vetus Foedus fecerat Deus cum Abrahamo (Gen. c. 12.), renovaverat cum Isaaco (Gen. c. 26.) et Jacobo (Gen. c. 28.), ac tandem mediatore Mose cum populo Israelitico repetiit, quod (Foedus) sanguine victimarum et aspersione populi cum sanguine confirmatum erat (Exod. 24, 5—8.). Si jam Christus sanguinem suum in ultima coena porrectum tamquam talem designat, quo novum Foedus sancitur et confirmatur, utique novum Foedus non incepit ab oblatione Christi in cruce, ubi nec ullum verbum de Foedere vel Testamento locutus est; desertus erat, cum sola matre et Joanne locutus est; sed de rebus tantum privatis, non de publico Foedere locutus est (Mald.). Quum ergo sanguinem eucharisti-

cum opponit sanguini vitulorum, qui olim in primo Foedere ineundo effusus erat, utique sanguinem suum designat tamquam sanguinem sacrificii, quia etiam sanguis in primo Foedere sanciendo effusus, talis erat. Foedus autem novum per Christum cum hominibus initum, factum est Testamentum, quia sancitum et sigillatum erat morte Christi, testatoris, qui qua pater novi generis humani Spiritum s., qui originarie vinculum erat Deum inter et homines, et quem suo redemptionis opere promeruit, quasi testamentarie legavit (Hebr. 9, 15—17.). »Testamentum dicitur, ait s. Ambrosius¹⁾, quoniam in sanguine (morte Christi) dedicatum est, vetus in typo (morte victimarum), novum in veritate (morte Christi).« Ceterum apud Lucam (22, 20.) sic legitur: *Hic (est) calix novum Testamentum in sanguine meo*; et sensus est: Id, quod hoc calice continetur, est sanguis meus, per quem novum Foedus (Testamentum) sancitur et confirmatur. — *Pro multis* (περί πολλῶν), effective (quoad efficientiam), pro omnibus quoad sufficientiam; cf. dicta 20, 28. — Lucas (22, 20.) loco περί πολλῶν habet ὑπὲρ ὑμῶν. Quum in ultima coena incruentum N. T. sacrificium offerretur, soli Apostoli praesentes erant, hinc Christus recte dixit: pro vobis funditur, nam illa prima vice pro solis Apostolis praesentibus erat oblatum; uti hoc refert Lucas (et Paulus). Quum autem juxta Paulum 1 Cor. 11, 25. et Lucam verbis: „*hoc facite in meam commemorationem*“ repetitionem illius sacrificii incruenti ad recolendam memoriam passionis et mortis praeciperet, utique ex ipsa rei natura sequitur, eum simul addidisse etiam: pro multis (περί πολλῶν); quapropter in canone Missae utrumque conjungitur: pro vobis et pro multis. Ceterum ὑπὲρ nec differt a περί, quum utraque praepositio significet: in commodum. Matthaeus contra et Marcus (14, 24.) nonnisi sensum verborum Christi afferentes, et tum primam, tum repetendam illius sacrificii celebrationem respicientes, iterum recte sistunt Dominum dicentem: *qui pro multis funditur* (τὸ περί πολλῶν ἐκχυνόμενον)²⁾. Vulgata habet futurum: effundetur, respiciendo ad effusionem, quae facta est in sacrificio crucis; sed in graeco

¹⁾ De Cain et Abel. L. I. c. 9.

²⁾ Cf. Mald.

est praesens: ἐκχυνόμενον, effunditur, i. e. offertur (scil. nunc in hac celebratione Eucharistiae) tamquam sanguis sacrificii, nimirum Deo, eodem sensu ac supra de corpore dictum est: quod pro vobis datur (= offertur). — *In remissionem peccatorum.* Verba haec accuratius explicant istud περὶ (pro, in commodum), hoc nexu et sensu: sanguis effunditur in commodum multorum, quatenus nimirum per eam sanguinis effusionem peccatorum remissionem assequi possint. Ex quibus verbis patet, Eucharistiam non tantum esse sacramentum, sed et sacrificium. Ceterum in forma consecrationis calicis, qua jam utimur in sacrificio Missae, adduntur haec verba: aeterni Testamenti, mysterium fidei¹⁾

V. 29. Verba haec juxta plerosque²⁾ Christus ante institutionem s. Eucharistiae de coena et calice agni paschalis locutus est; nam Lucas, qui utramque Christi coenam, id est, tam agni, quam Eucharistiae (quas Matthaeus brevitatis studiosus convolvit et in unum redegit) distincte enarrat, haec a Christo dicta esse ante Eucharistiam in coena agni, de ejus calice (de poculo quarto) (22, 15—19.). — *A modo* (ἀπ' ἄρτι), i. e. inde ab hac coena agni paschalis (coll. Luc. 22, 16.). — *De genimine vitis*, de fructu vitis, de hoc vino. Nam genimen vitis est circumlocutio vini in sermone poetico et augusto. Quum verba haec de calice, qui in coena agni paschalis a patrefamilias inter accumbentes distribui solebat, dicta sunt, utique falsa est eorum collectio, Dominum verbis his, id, quod eucharistico calice continebatur, merum vinum declarasse. Sed, etiamsi verba haec cum nonnullis³⁾ referantur ad calicem eucharisticum, ita, ut Christus finita coena paschali daret Eucharistiam sub specie panis, dein vero discipulis praeberet calicem sanguinis sui, inde haud sequitur, in calice non fuisse verum sanguinem Christi, sed merum vinum. Nam sicut apud Joannem (c. 6.) Christus carnem suam appellaverat panem, ita etiam poterat suum sanguinem dicere vinum, quia prius erat vinum, natum ex vite, et hoc per consecrationem mutatum est in sanguinem. — *No-*

¹⁾ Cf. a Lap.

²⁾ Jans., a Lap., Arnoldi, Schegg, Bisp., Schanz, Knabenbauer.

³⁾ Orig., Cyprian., Hieron., Aug., Mald., Langen, Reischl.

vinum (καὶνόν), i. e. tamquam praestantius (Mald.). Ita sumptum respondet hic locus verbis, quae juxta Lucam (22, 16.) de coena paschali dicta sunt, *quia ex hoc non manducabo illud* (scil. pascha, coenam paschalem), *donec* (scil. paschalis coena) *impleatur* (perfecta fuerit) *in regno Dei*. Utraque expressio desumpta est ex idea immutationis et renovationis (perfectionis), quam experturae sunt omnes res terrenae (coll. 2 Petr. 3, 13; Apoc. 21, 1.). Inde autem non est colligendum, Christum in coelo revera novam coenam paschalem acturum esse cum discipulis suis, sed verbis his, uti illis (apud Luc. 22, 29. 30.): „*ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*“, metaphorice significatur suavis felicitatis aeternae (coll. 8, 11.), uti Psalmista (35, 9.) dicit: „*Inebriabuntur (beati) ab ubertate domus tuae.*“ Falsa est explicatio vocis καὶνόν per: denuo (Fritschius), quia dein deberet esse graece: ἐκ καὶνῆς; uti et: novo modo, i. e. glorificatus illud bibam (Chrys.), quia nimis dura est locutio talis, et quia pronomen illud postulat, ut ad vinum, de quo antea sermo erat, referatur (Mald.). Obstant et verba: in regno Patris mei, quae significant tantummodo consummatum regnum Messianum (coelum). Sensus totius sententiae est: Brevi a vobis ex hac vita mihi discedendum est, sed vos aliquando mecum in coelo perfruemini summa beatitudine aeterna.

V. 30. *Et hymno dicto*; graece: ὑμνήσαντες, cum hymnum dixissent et quum carmine vel recitato vel cantato laudes Dei celebrassent; nimirum alteram hymni Hallel partem, constantem e Ps. 115—118. — Prior pars (Ps. 113 et 114) ante coenam canebatur. — *Exierunt*, scil. ex domo, in qua coenam paschalem sumpserant, versus montem olivarum, qui itinere sabbati ab urbe distabat (Act. 1, 12.).

6. Ingressus in hortum Gethsemani et anxietas Christi (31—46.)

(Marc. 14, 26. 32—42. Luc. 22, 39—46. Joan. 18, 1.).

V. 31. *Tunc*, sub egressum, sed antequam excederent, quum essent adhuc in coenaculo. Vid. comment in evang. s. Joan. 13, 36. pag. 275. Matthaeus enim et Marcus ordinem

ut saepe neglexerunt.¹⁾ — *Scandalum patiemini in me*, i. e. ex iis, quae mihi accident, me deserendi occasionem capietis. — *Scriptum est*, scil. apud Zachariam (13, 7.). Adducit vaticinium, ut intelligerent discipuli, nihil inopinatum sibi contingere, quum haec eorum offensio a Deo praevisa fuerit. Ceterum vaticinium hoc solummodo quoad sensum allegatum est; nam apud prophetam Deus per prosopopoeiam alloquitur gladium, ut ejus jussu populi rectorem interimat: »Percute (occide tu, o gladio,) pastorem, et (pastore necato) dispergentur oves.« Jesus vero id Deo tribuit. — *Percutiam*, nimirum gladio persecutionis et tribulationis, ut in manus hostium suorum perveniat et ab iis occidatur. — *Pastorem*, Christum (qui est pastor bonus coll. Joan. 10, 11.). — *Et dispergentur oves*, et hoc pacto dispergentur Apostoli ceterique discipuli, fugiendo eum deserentes.

V. 32. *Postquam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam*. Verbis his erigit Apostolorum animos, cum se et resurrecturum affirmat et cum eis in Galilaea appariturum. Ceterum verba haec quoad sensum respondent verbis apud Zachariam, „et convertam manum meam ad parvulos“.

V. 33. *Et si omnes*; lectio sine *et* praeferranda. — *Nunquam*, nullo unquam tempore, ut nimirum te deseram; seu: nec hac nocte, nec alio tempore. Ad haec dicenda amor vehemens erga Christum Petrum impulit, quo nimirum putabat, viribus suis se id posse, quod tantum vi gratiae div. fieri poterat (nimirum ut perseveraret in bono).

V. 34. *In hac nocte*, hac ipsa nocte, quae ex parte jam praeteriit. — *Antequam gallus cantet*. S. Marcus (14, 30.) accuratius scribit: *priusquam gallus vocem bis dederit*. Primum cantum solet edere gallus media nocte (tertia noctis vigilia), qui vero cantus non proprie et usitate gallicinium vocatur, sed is, quem gallus edit ante auroram sub lucis adventum circa initium quartae vigiliae (Luc. 22, 34. Joan. 13, 38.). Vid. commentar. in evang. Joan. 13, 36. pag. 275. Sensus est: Intra tempus, quo prima vice gallus cantum edet, et ante initium proprie et usitate dicti gallicinii, ter me negabis. — *Me negabis*, dices, me tibi esse incognitum.

¹⁾ Cf. Koessing p. 28.

V. 35. *Etiam si oportuerit me mori tecum.* Putabat se posse, ait s. August. (de grat. et lib. arb. c. 17.), quod se velle sentiebat. — *Non* (οὐ μὴ), nullo modo. — *Similiter et omnes discipuli dixerunt*, ut nimirum amorem suum erga Christum testarentur. Christus eis non contradixit ulterius, quia in animi sui concitatione non erant capaces monitorum ipsius considerandorum. Ceterum Christus praedixit, quia futurum erat; non autem erat futurum, quia praedixerat; hinc illis nulla inferebatur necessitas.

V. 36. *Gethsemani.* Vid. comment. in evang. s. Joan. 18, 1. — *Sedete hic*, sedete hoc, quo versamur, loco; αὐτοῦ adverbialiter (scil. τόπου) pro ὧδε (coll. Marc. 14, 34.). — *Vadam illuc*, i. e. paulo ulterius ad jactum lapidis (coll. Luc. 22, 41.). Videtur Jesus locum, quo precaturus erat, digito monstrasse.

V. 37. *Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedaei.* Hos tres voluit testes esse agoniae suae, quia verosimiliter in his, qui testes erant gloriae ejus in monte Thabor et testes resuscitationis filiae Jairi, minus aderat offensionis periculum, quam in reliquis (cf. 17, 1.). — *Coepit*; verbum hoc indicat, Jesum nunc demum sponte, quando, quomodo et quantum voluit, contristatum esse (Jans.). — *Moestus esse*, summo angore affici, seu: gravissime angī; et ut Lucas habet (22, 44.) tam vehementer, ut crassae guttae sanguineae ex ejus corpore in terram defluerent.¹⁾ Cuncta haec docent, Christum humanis affectibus obnoxium. De sudore Christi sanguineo vide commentar. in evang. Luc. 22, 44.

V. 38. *Illis*, scil. Petro, Joanni et Jacobo. — *Tristis*; graece: περίλυπος, quod est proprie: undique obsessus tristitia; hinc: pertristis. — *Anima mea*, animus meus; emphatice dictum pro: ego. — *Usque ad mortem*, tali tristitia agitor, ut mortem afferre posset. Videntur Christo ob oculos fuisse verba Ps. 22, 16. et Ps. 40, 13. Ceterum constat, Christum tanto angore correptum fuisse ut hominem. Nam pro natura sua humana, sicut reliqui homines, capax erat gaudii, tristitiae, doloris, famis, sitis, lassitudinis etc. (cf. Hebr. 4, 15.). *Quaeritur*: qui fieri potuerit, ut Christus, cum ob unionem hypo-

¹⁾ Cf. Mald., a Lap.

staticam naturae suae humanae cum divina, beatus fuerit, tristitiam habuerit? Sicut Christus permisit carni (naturae corporali) agere et pati, quae sint ei propria, ita similiter permisit omnibus viribus animae agere et pati, quae sint iis propria (s. Thom.). Conf. dicta Joan. 12, 27. Causa tristitiae ejus summae erat viva apprehensio instantis passionis et mortis; dein peccata omnia, ingratitude hominum, quum praevideret, tam paucis hos suos dolores profuturos esse ad salutem; dein praevisionis dolorum omnium, quos passuri erant asseclae ejus (a Lap.). — *Sustinete hic, manete.* — *Vigilate*; vigilare hos tres jubet, quia propiores periculo erant.

V. 39. *Et progressus pusillum* (προελθὼν legendum juxta B. M. Vulg., et non προσελθὼν, quae lectio errore librariorum inducta est), breve spatium progressus, nimirum a Petro filiisque Zebedaei. Lucas in loco parallelo (22, 41.) pusillum illud accuratius expressit, dicens: *quantum jactus est lapidis*. Secessit autem a discipulis, quia noluit, ut illi infimas preces fundentem viderent. — *Procidit in faciem*, genua flexit, et cernuus faciem in terram inclinavit (coll. Marc. 14, 35.); partim prae summo angore, partim prae reverentia Patris. — *Pater mi*; apud Marcum (14, 36.): *Abba*, pater, quasi interpretans vocem chaldaicam. Vox haec est filialis amoris teneri affectus. — *Si possibile est*. Verba haec, si respiciantur loca parallela Marci (14, 36. *omnia tibi possible sunt*) et Lucae (23, 42. *si vis*), idem valent ac: *si vis*. — *Transeat a me*, praetereat me. Imago desumpta a convivio, in quo bibere nolentem calix praeterire solet. — *Calix iste*, passio illa terribilis et imminens mors (cf. 20, 22.). — *Calix iste*, passio illa terribilis et imminens mors (cf. 20, 22.). Christus nimirum ex visis illis perpensionibus et suppliciis tantam percipiebat consternationem et tantum in se experiebatur naturae humanae horrorem et repugnantiam, tantas animae angustias, ut in illa colluctatione efflagitaret a Patre, ut si fieri possit, non debeat tot ac tantos subire cruciatus, quos ad cumulum aerumnarum pro multis hominum culpa fore inutiles praevidebat. Sciebat utique Christus decretum Patris, quo constitutum erat, ut per mortem Filii genus humanum redimeretur; attamen, quam-

vis hoc sciret, et nihilominus rogaret, ut calix iste a se transiret, nobis certissimo est testimonio, quantis angustiis et acerbitatibus ejus concussa sit et excruciat anima. — Sed nesciens vim et efficaciam orationis suae, qua possit a Patre impetrare id, quod absolute fieri possit, statim subdit: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (fiat); i. e. nolo tamen, ut haec mea voluntas fiat, sed tua (cf. Knabenbauer). Ex hoc loco theologi recte concludunt, duas esse in una Christi persona voluntates, alteram humanam, alteram divinam.¹⁾

V. 40. *Ad discipulos*, scil. Petrum, Joannem et Jacobum. — *Dormientes*, prae moerore animi (coll. Luc. 22, 45.). — *Petro*; non solum Petrum, sed etiam Joannem et Jacobum verba sequentia spectabant. Soli autem Petro hoc dixit, quia hic caput ceterorum erat, et quia ceteris audacius fidelitatem suam Christo usque ad mortem spoponderat (coll. v. 33. et 35.). — *Sic*; graece: οὕτως. Nonnulli interpretes, Euthymium secuti, post οὕτως ponunt interrogationis signum, ita ut habeatur duplex interrogatio: sic? non potuistis? ita ut siccine esset index admirationis cum exprobratione conjunctae; sed rectius ad sequentia trahitur. — *Una hora*, tempus brevissimum.

V. 41. *Vigilate et orate*, nimirum vestra causa, uti sequentia docent. — *Ut non intretis in tentationem*, ne (coll. 6, 13.) in tentationem veniatis, quod petere in oratione communi a Deo petere jubemur. — *Spiritus quidem promptus, caro infirma*. Verbis his rationem reddit, quamobrem vigilare et orare debeant. Per spiritum (πνεῦμα) h. l. intelligi debet spiritus (mens) Apostolorum. Promptus, nimirum ad resistendum tentationi et ad mihi adhaerendum, utpote meo influxu sanctificatus, purgatus et ad omne bonum promptus redditus. — *Caro* (σάρξ) autem est eorum natura sensualis (animalis), infirma et prona ad peccandum. De voce caro (σάρξ) vid. com. in evang. s. Joan. 1, 13.

V. 42. *Iterum secundo*; est pleonasmus. — *Si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua* (εἰ οὐ δύναται = εἰ ἀδύνατόν ἐστιν), si passio morsque cruenta, quam tu, Pater

¹⁾ Cf. Petavius theol. dogm. tom. IV. lib. 9. cap. 6 — 9.

mi, decrevisti, a me averruncari non possunt, voluntati tuae obtemperans, ad ea subeunda paratus sum. Pater mi est intimius, quam solum: pater (v. 39.). Verba: (τὸ πατήριον) et a me (ἀπ' ἐμοῦ) codices plures omittunt; verosimiliter ex v. 39. huc illata sunt, sensu tamen eodem manente, quia, si tantum τοῦτο (hoc) legitur, sensus est: hoc, quod mihi bibendum est. Eadem est haec oratio, uti ait Marcus, quamvis in verbis aliqua videatur discrepantia.

V. 43. *Et* (oratione per aliquod tempus facta) *venit iterum et invenit*. Vulgata vocem iterum conjungit cum venit, sed rectius connectitur cum verbo invenit. — *Erant oculi eorum gravati*, aut somno, quia multa jam erat nox (coll. Luc. 9, 32), aut humore prae tristitia (coll. Luc. 22, 45.); nam moeror animi, sicut solet lacrymas exprimere, ita et vapores in cerebrum excitat, unde nascitur somnus.

V. 44. *Oravit tertio, eundem sermonem dicens*, in eandem sententiam oravit, seu eandem rem oratione petens. Dum tertia vice oravit, tantaangebatur tristitia, ut, docente Luca (22, 44.), mortis agoniam subiens ex ea sudarit sanguinem, ideoque angelus confortarit eum. Ter oravit, ut nos perseverantiam in oratione doceret (Jans.). — De confortatione Christi per angelum facta, vid. commentar. in evang. Luc. 22, 43.

V. 45. *Tunc*, quum finitis precibus (coll. Luc. 22, 43.) confortatus est ab angelo.¹⁾ — *Dormite jam et requiescite* (καθεύδετε λοιπὸν καὶ ἀναπαύεσθε). Nonnulli verba graeca ut modos indicativi et interrogativi accipiunt: Dormitisne adhuc et requiescitis? i. e. num vultis nunc dormire et requiescere? nam nunc tempus non est ad dormiendum et requiescendum! — Sed ad hanc explicationem verba τὸ λοιπὸν (quum non significant: adhuc, sed: quod ad reliquum tempus attinet), non quadrant. Unice vera est explicatio, quae verba haec ut modum imperativi sumit; attamen in ipsis verbis explicandis interpretes valde divergunt. Permuli antiqui et recentiores interpretes²⁾ putant, hoc ironice dictum esse a Christo, hoc modo: Dormite jam et requiescite, si potestis, ecce appropinquant hostes, somnum isti excutient, et vel invitos vigilare facient.

¹⁾ Cf. Langen 209.

²⁾ Chrysost., Euthym., Theophyl., Mald., Menoch., Grot., Fritsch.

Ast psychologica non potest concipi, Christum hocce tragico momento discipulos suos ob moerorem et lassitudinem somno indigentes irridere voluisse. — Alii¹⁾ verba haec ita explicant: Dormite in posterum, alio opportuniore tempore et requiescite; ita, ut verba haec continerent exhortationem surgendi a somno. Sed obstat explicationi huic usus loquendi, quum τὸ λοιπὸν non significat alio opportuniore tempore, et etiam sensus languidus evadit. Videtur itaque explicatio eorum²⁾ praeferenda esse, qui s. Augustinum secuti, verba Christi permissive sumunt, quod scil. compatiens infirmitati Apostolorum aliquantulum somni eis indulserit (dormite modico tempore), donec post breve temporis intervallum appropinquante Juda dixit: sufficit, ut addit Marcus (14, 41.), et ut subdit Matthaeus: surgite, eamus. Cui explicationi praeter locum Marci etiam usus loquendi suffragatur, quum τὸ λοιπὸν significat: in reliquum tempus, quod reliquum tempus attinet, i. e. modico tempore. — *Ecce appropinquavit*, adest. — *Hora*, scil. illa (ἡ) fatalis, idem ac: tempus meum (v. 18.). — *Tradetur* (graece praesens). — *In manus peccatorum*. Per peccatores proxime sunt intelligendi membra synedrii magni; dein autem etiam omnes, qui ad mortem ejus conferebant.

V. 46. *Eamus*, scil. obviam proditori ac turbae eum comitanti. Prorsus enim quietus et pacatus erat nunc Salvator. Dicit: eamus, ut ostendat, se non alicujus voluntate compulsum, sed ultro mortem obire. Prorsus inepta et verbis antecedentibus: et tradetur etc. adversa est explicatio eorum, qui dicunt, Jesum verbis his discipulos ad fugam capessendam provocasse.

7. Christi comprehensio (47—56.).

(Marc. 14, 43—52. Luc. 22, 47—53. Joan. 18, 2—11.).

V. 47. *Ecce (ἰδοὺ)*, nota est rei admirandae et inauditae. — *De duodecim*, scil. Apostolis; ergo ex Apostolo factus dux sceleratorum. — *Turba multa*; juxta Joannem (18, 3. 12.) cohors

¹⁾ Arnoldi, Berlepsch.

²⁾ A Lap., Winer, Beelen, Schegg, Bisp., Knabenbauer.

romana cum tribuno, cui ministri pontificum et pharisaeorum sese adjunxerant. Vid. commentar. meum in evang. s. Joan. 18, 3. — *A principibus sacerdotum* (ἀπὸ τῶν . . .); verba haec pertinent ad verbum: venit, hoc modo: Judas magna turba comitatus . . . advenit a principibus sacerdotum profectus. Participium: missi in Vulg. est interpretamentum, quo explicatur, turbam venisse a synedrio, i. e. ejus mandato et instigatione.

V. 48. *Dedit illis signum*, cum nimirum ad Jesum cum turba illa accessit. — *Osculatus fuero*. Osculum erat signum amicitiae et dilectionis. Usus est autem hoc signo, quia eadem re, qua militibus Christum prodebat, Christum et discipulos prodicionem suam celare volebat, quam non celasset, si inusitatum elegisset signum. Erat autem usitatum, ut osculo se Judaei, praesertim discipuli magistros, salutarent, et quicumque magnum erga eos, quos salutabant, amorem ostendere volebant (Mald.). — *Tenete eum*; juxta Marcum (14, 44.) addidit: *et ducite caute*, ne evaderet Christus; sciebat enim, saepe illum, cum eum Judaei tenere vellent, evasisse, quapropter timebat, ne iterum hoc fieret, ipseque pecuniam promissam perderet.

V. 49. *Et confestim*, statim, postquam turbae signum, quo Christum cognosceret, Judas dederat, ad Jesum accessit. — *Osculatus est*. In graeco est: κατεφίλησεν, quod plus significat, quam simplex φιλεῖν, nimirum: multum osculatus est, i. e. multa oscula dedit. Hoc fecit ideo, ut majorem erga eum simularet dilectionem, et ut eo magis, quis comprehendendus sit, turba cognosceret. — *Ave Rabbi*. Conatur non tantum osculo, sed etiam verbis scelus suum dissimulare.

V. 50. *Amice* (conf. 20, 13.). Est blanda et charitatis plena allocutio; docent hoc addita apud Lucam (22, 48.) verba: *Juda, osculo* (signo amicitiae et dilectionis) *Filium hominis tradis?* — *Ad quid venisti* (ἐφ' ὃ praeferendum lectioni ἐφ' ᾧ), quo consilio ades (ἐπὶ τί)? Alii (Meyer), praeuntibus jam Euthymio et Maldonato, interrogationem omittunt statuuntque aposiopesisin hoc modo: amice, ad quod ades, id fac; ita ut verbis his Christus perfidas osculationes repellat excitetque proditorem ad id faciendum. Alii post verbum: venisti, ponunt signum exclamationis, hoc sensu: ad quam rem perpetrandam ades!

— *Tunc*, non statim; nam prolatis illis verbis Jesus, uti Joannes (18, 4—8.) refert, obviam ivit turbis hostilibus easque interrogavit, quem quaeritis? Vid. commentar. meum in evang. s. Joan. 18, 4—9.

V. 51. *Unus*, Petrus (coll. Joan. 18, 10.). — *Gladium*, unum scil. e duobus, quos discipuli sumpserunt in coenaculo, putantes id se a Christo juberi (Luc. 22, 38.). — *Servum*, cujus nomen juxta Joannem (18, 10.) erat Malchus. — *Auriculam* (ὠτίον deminutivum, qualia dialectus vulgaris plura habet), nimirum dexteram (coll. Joanne), quam autem, uti Lucas (22, 51.) refert, Dominus iterum sanavit.

V. 52. *In locum suum*, in vaginam reconde. — *Omnes*, qui acceperint gladium, privata auctoritate ut eo interficiant. Per se patet, non esse sermonem de magistratibus (coll. Rom. 13, 4.), sed de hominibus privatis, et quidem eatenus, quatenus interimant, quin ad id conscientia sua cogerentur. — *Gladio peribunt*, hi simili supplicio digni sunt, qui intendant. Locutio est proverbialis (per quae peccat quis, per haec et torquetur Sap. 11, 17.), qua simul Petro significatur, quam inutilem rem ac nocivam aggressus sit. Applicatio ad Judaeos facile colligitur.

V. 53. *An* (ἤ), proprie: aut, hoc sensu: aut, si dicta non sufficiens tibi videntur ratio ad gladium in vaginam recondendum. — *Et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum*, et ipse (nunc, in hoc rerum discrimine), si auxilio indigerem, quin a vobis duodecim infirmis illud petam, ingentem angelorum copiam ad meum praesidium mittet. Verba haec sunt secunda ratio, qua Christus inhibet praetensam a Petro defensionem. Duodecim legiones angelorum hic pro ingenti angelorum copia. Duodenarius numerus juxta Maldonatum adest respectu habito ad duodecim Apostolorum numerum. Modo (ἄρτι); nunc, in hoc rerum discrimine, Vulgata vocem hanc post: *exhibebit mihi*, habet, dum in textu graeco occurrit post: possum, sensu eodem. Lectio πλείω δώδεκα ob codices Aleph, B. D. praeferenda lectioni πλείους, quae est emendatio. Legio, uti Hier. et Vegetius scribunt, continebat sex millia militum. Vid. comment. in evang. Joan. 18. 3.

V. 54. *Ergo*, si aut tuo utar auxilio, aut Pater per angelos mihi opem ferret. Post vocem scripturae nonnulli (Mald.) mente supplent: quae dicunt (λέγουσαι); sed etiam absque ellipsi, quum vox scripturae (γραφαί) immediate ante ἐτι posita est, aptus evadit sensus: quomodo implebuntur scripturae, seu scripta, quod ita (uti fit), fieri debeat. Alii post γραφαί signum interrogationis ponunt, et ἐτι sumunt significatu: nam. Sed si ita esset interpungendum, Matthaeus certe οὕτως γὰρ pro ἐτι οὕτως scripsisset. Cogitandum est h. l. de locis Isaiae (53, 10.) et Danielis (9, 26.) — *Quia sic oportet*, i. e. oportere sic fieri, scil. me comprehendi et occidi. Cf. 16, 21. S. Joannes (18, 11.) quartam addit rationem, dicens: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?*

V. 55. *Turbis*, nimirum, uti Lucas refert (22, 52.) principibus sacerdotum, praefectis templi et senioribus. — *Illa hora*, illo tempore, quo, quae hucusque inde a v. 47. retuli, facta sunt. — *Quotidie*, ex populari dicendi genere idem quod: saepissime; sed respectu dierum proxime superiorum (ultimae hebdomadis) revera quotidie. S. Lucas (22, 53.) addit: *Haec est hora vestra* (nunc potestis me comprehendere, quia hora venerit, qua a Patre decretum est, ut moriar), *et potestas tenebrarum* (satanae, cui nunc a Deo concessum est, ut per sectatores suos me morti tradat).

V. 56. *Hoc totum*, nimirum, quod me tam indigno modo tractetis. Sunt verba Christi (coll. Marc. 14, 49.). Alii vero, quia eadem legitur forma, quae s. Matthaeo familiaris est ad impletionem vaticiniorum demonstrandam, censent, ea verba ab evangelista addita esse. — *Fugerunt*, quia videlicet viderunt, Dominum nunc non esse effugiturum, quum ipsis sponte se tradiderit atque dixerit, haec omnia fieri, ut vaticinia impleantur. S. Marcus (14, 51. 52.) addit, quemdam adolescentem Christum esse secutum, quem satellites apprehensa veste (sindone, i. e. veste e linteo subtili confecta, qua noctis tempore Orientales uti solebant) tenere voluerunt, qui vero, relicta veste, nudus profugit ab eis. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 18, 11. pag. 314.

8. Christi accusatio et vexatio coram Caipha (57—68.).

(Marc. 14, 53—65. Luc. 22, 54. 55. 63—65. Joan. 18, 12—15. 19—24.)

V. 57. *Ad Caipham*. Juxta Joannem (18, 13.) duxerunt Dominum primum ad Annam, socerum Caiphae. Vid. comment. in evang. Joan. 18, 13. — *Convenerant*. Concilium hoc erat privatum (extraordinarium); nam publici synedrorum consessus in templo habebantur (cf. v. 3.).

V. 58. *Petrus sequebatur*, amore scil. erga Christum victus. — *A longe*, quia amor mixtus erat timor. — *In atrium* (ἐξω τῆς αὐλῆς). Vid. v. 3. et commentar. in evang. s. Joan. 18, 15. — *Ut videret finem*, expectaturus, quem exitum haberet causa Christi. Ceterum Matthaei relationem complet Joannes (18, 15. seqq.), qui refert, primum eos de doctrina inquisivisse, dein testes ex auditoribus quaesivisse. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 18, 19. seqq.

V. 59. *Quaerebant falsum testimonium*, i. e. undique a pontificibus excitabantur homines, qui contra Christum falsa dicerent testimonia.

V. 60. *Et non invenerunt*, scil. falsum testimonium contra Jesum, nimirum tale, in quo duo convenirent testes falsi (coll. Marc. 14, 56.), et quod esset idoneum ad necem Christi; nam duorum testium consensus requirebatur ad decernendum supplicium (Num. 35, 30. Deut. 17, 6.). — *Novissime venerunt duo falsi testes*, tales scil., quorum testimonium (falsum) pontifici sufficiens videbatur ad necem Christi decernendam.

V. 61. *Possum destruere . . templum Dei*, manufactum addiderunt, ut ait Marcus. Perverterunt maligni homines verba Christi; nam Christus non dixerat: Possum destruere, sed (coll. Joan. 2, 19.): solvite (i. e. si solveritis, scil. vos, non ego). Dein non dixit: templum Dei (manufactum, uti juxta Marcum addiderunt), sed templum hoc, et tandem dixit: excitabo, et non: possum reaedificare (aut juxta Marcum: aedificabo). Pariter et sensum depravabant, quia Christus non cogitabat de templo (ac si vellet destruere cultum ibi procuratum et novum inducere), sed de suo cor-

pore, uti subdit Joannes. Quapropter, uti Marcus addit, pontifici insufficiens ad mortem Christi videbatur testimonium. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 18, 24. — *Post triduum*, intra tres dies, intra triduum (coll. Joan. 2, 19).

V. 62. *Et surgens princeps sacerdotum ait.* — Caiphas nimirum indignationem simulat, ac si res adversus Jesum prolata, esset blasphema, et ita ex ore ejus vult elicere aliquid, ex quo damnationis causam posset arripere. — *Nihil respondes ad ea, quae isti adversum te testificantur*, nihilne respondes ad ea, quae hi tibi crimini dent? Alii duplicem interrogationem, alteram post respondes, alteram post testificantur, collocant, hoc modo: nihilne respondes? quid illud est, quod hi contra te testantur? putantes duplicem interrogationem animo, indignatione commoto, magis respondere. Sed posterior quaestio, quum accusatus non solet interrogari: quid contra te testentur, languescit.

V. 63. *Tacebat*, quia accusatio nullum crimen morte dignum continebat; quia testimonia, utpote sibi repugnantia, confutatione non indigebant; et quia omnis responsio vana et inutilis fuisset. — *Adjuro te per Deum vivum.* Adjurare aliquem per Deum est jubere aliquem aliquid dicere vel non dicere, facere aut non facere, invocato in testem Deo, qui poenas a secus agente exigat (Mald.). — *Vivum*, verum, qui ut testis et vindex omniscius et omnipotens, poenas a secus agente exigere potest et debet; cf. 16, 16. — *Christus*, ille Messias promissus et exspectatus. — *Filius Dei* (ὁ υἱός), scil. natura et proinde aequalis Deo, quem non semel te jactasti. Marcus (14, 61.) habet: *Filius Dei benedicti*; graece: ὁ υἱός τοῦ εὐλογητοῦ. Judaei vulgo Deum ita nominant: Sanctus, Benedictus ipse.

V. 64. *Tu dixisti*; cf. v. 25. Marcus clarius scribit: *Ego sum*. Ceterum affirmatio adjurationis prorsus aequalis erat solemni juramento. (Num. 5, 19—22.). — *Verumtamen*; graece: πλὴν, quod debet verti: praeterea, i. e. non solum vobis dico, me esse Messiam Deique Filium, verum etiam inde a morte mea (ἀπ' ἄρτι), visa exaltatione et gloria mea, vos ipsi experiemini, me esse Messiam, Dei Filium. Viderunt gloriam ejus in resurrectione, admirabilibus effectibus praeconii Aposto-

lorum eorumque miraculis; experti sunt hoc in templi, urbis et reipublicae interitu; maxime tamen implebitur in novissimo iudicio, de quo intelligi debet: et venientem in nubibus coeli. Quibus verbis alludit ad locum Danielis (7. 13.): „*Ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat*,” quare sensus verborum Christi synedris non poterat ignotus esse. Videre h. l. sensu latiori: experiri. — *A dextris virtutis Dei*, a dextris Dei omnipotentis (cf. 22, 44.). In graeco deest: Dei, sed solum occurrit: τῆς δυνάμεως; hinc abstractum hoc positum est pro concreto, potestas pro: Deo omnipotenti. Sic ergo plus respondet, quam interrogabatur; nam agebatur de eo, ut libere veritatem profiteretur (Mald.).

V. 65. *Scidit vestimenta sua*, quasi ad testandum dolorem de tanta blasphemia (praetensa). Hoc facere solebant Judaei in indignatione et in audiendis impie in Deum dictis. Cf. Num. 14, 6; 2 Reg. 18, 37. Vestimenta sua, excepta interula seu indusio linteo et pallio. — *Blasphemavit*. Pontifex enim pro re certa sumpsit, Jesum esse merum hominem; quum ergo Messiam Deique Filium propalam se professus esset, sibique divinam potestatem et majestatem vindicasset, ex ejus opinione divinam laeserat majestatem, quod maximum erat crimen. — *Quid adhuc egemus testibus*, quid indigemus amplius testibus, quum se ipse Messiam Deique Filium confessus sit? Est vox gaudentis, quod post longam expectationem compos voti sit effectus.

V. 66. *Quid vobis videtur*, quam poenam commeret? — *Reus est mortis*. In criminibus videlicet, quae ad religionem spectabant, Judaeis jus vitae et necis a Romanis concessum quidem erat, sed non poterant latam ab iis capitis sententiam exsequi, nisi eam ratam faceret procurator romanus. Cf. comment. in evang. s. Joan. 18, 31.

V. 67. *Tunc*, cum esset ad mortem damnatus, et concilium solutum et indictum iterum in mane. — *Exspuerunt*. — *Colaphis ceciderunt*. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 18, 24. pag. 318. — *Palmas dederunt*, graece: ἐπράπισαν, quod est: alapas inflixerunt. Vid. comment. in evang. s. Joan. 18, 22.

V. 68. *Prophetiza*, dic nobis qua propheta, Messias, quis te percusserit? Quia vulgo insignis propheta habebatur, et ipse

se Messiam Deique Filium confessus fuerat, per irrisionem, obvelatis oculis (coll. Marc. 14, 65. Luc. 22, 64.), eum caedentes, ita interrogabant.

9. Petri negatio triplex (69—75.).

(Marc. 14, 66—72. Luc. 22, 56—62. Joan. 18, 16—18. 25—27.).

Quod Petri negationes attinet, Joannes tres ejus negationes suo unamquamque loco ex ordine narrat, interjectis tamen inter primam et secundam iis, quae tunc acta fuerunt. Lucas quoque illas omnes ex ordine in loco descripsit, continenter tamen, atque iis omissis, quae inter primam et secundam leguntur apud Joannem (18, 19—23.); Matthaeus autem et Marcus ex ordine continenterque, ut Lucas, non tamen in loco: primum enim continua serie exponunt, quibus injuriis contumeliisque Christus in pontificis domo affectus fuerit, moxque ad Petrum redeunt, hujusque negationes omnes in unam narrationem cogunt.¹⁾

V. 69. *Petrus vero*. Redit nunc evangelista ad Petrum, quem v. 58. Christum secutum usque in atrium narraverat, et refert, quae durante examine Christi contigerunt, ejus trinam Christi negationem, etiamsi illae horis diversis contigerint, in unam narrationem cogens. — *Sedebat*, scil. ad ignem cum ministris se calefaciens (Joan. 18, 25.). — *Foris in atrio, foris in compluvio*. Vid. comment. in evang. s. Joan. 18, 15. — Nec illud intro (εἰσω), quod v. 58. legitur, pugnat cum his verbis. Nam illo loco Petrus a monte Oliveti in palatium pontificis intrasse dicitur; hic loci autem foris esse perhibetur, respectu habito ejus loci, in quem Christus erat deductus. — *Una*, i. e. quaedam (μία); cf. 8, 19. — *Ancilla*, quae juxta Joannem (18, 17.) fuit janitrix.

V. 70. *Coram omnibus*, scil. ministris pontificis, qui in compluvio palatii pontificii aderant. — *Nescio, quid dicis*, non tantum non sum, quem me esse dicis, sed etiam ne intelligo quidem, quid dicas. Sic solet homo respondere, cum ab eo crimine, quod ei objicitur, se abesse longissime significare vult

¹⁾ Patrit. II, 429., Knabenbauer.

(Mald.). Petrus igitur primo Christi magistri notitiam infitatus est.

V. 71. *Exeunte illo januam* (εἰς τὸν πυλῶνα), quum exiret ad portam, per quam ex atrio interiore via patebat in vestibulum, in quod se Petrus recepit, uti s. Marcus (14, 68.) narrat. — *Alia ancilla*. Vid. comment. in evang. s. Joan. 18, 25.

V. 72. *Hominem*, illum, de quo tu ancilla dicis.

V. 73 — 75. *Post pusillum*, nimirum post unius horae spatium, ut Lucas (22, 58.) dicit. — *Qui stabant*; inter hos etiam erat cognatus Malchi, qui affirmabat, se Petrum in horto cum Christo vidisse (coll. Joan. 18, 26.). Vid. commentar. in evang. s. Joan. 18, 26. 27.

Caput XXVII.

Passio et mors Christi.

1. Altera de Christo quaestio coram synedrio, Christus Pilato traditur (v. 1 — 2.).

(Marc. 15, 1. Luc. 22, 66—71; 23, 1.).

V. 1. *Mane*. Aliqua noctis quiete interposita (coll. Luc. 22, 66.) iterum se mane congregabant; partim, ut sententiam jam latam solemniter confirmarent et comprobarent; partim, quum (coll. Joan. 18, 31.) tunc temporis jus vitae et necis Judaeis a Romanis ademptum fuit, ut deliberarent, qua via mortis sententiam latam exsequerentur.

V. 2. *Et vinctum*. Dum de Christo quaerebatur, relaxatus est (Joan. 18, 12. 24.). — *Tradiderunt*. Vid. comment. in evang. s. Joan. 18, 31. — *Pontio Pilato*. De eo vid. comment. in evang. s. Joan. 18, 29. — *Praesidi* (ἡγεμόνι). Vox ἡγεμόνι adhibebatur tum de imperatoribus romanis, tum de legatis Caesaris, tum de procuratoribus (ἐπιτρόποις) et propraetoribus, qui inde ab Augusti aetate in provincias senatorias mitti solebant. Pontius Pilatus quintus erat procurator Judaeae. Horum sedes erat Caesarea; sed durantibus festis diebus

commorabantur Hierosolymae. Erant hi simul praediti potestate vitae et necis. Vid. commentar. in evangelio s. Joan. 18, 28.

2. Desperatio et mors Judae (3 — 10.).

(Act. Apost. 1, 16 — 20.).

V. 3. *Videns*, quum vidisset, nimirum ex ejus abductione ad Pilatum. — *Quod damnatus esset*, scil. capitis a synedrio magno (coll. 26, 66). — *Poenitentia ductus*, poenituit eum, quod Jesum pontificibus tradidisset; sed quum defuit ei amor et fiducia in Dominum, dolor iste non fuit erigens animum ad emendandum, sed horrore quodam crucians et obruens conscientiam ad desperandum (Jans.). — *Retulit* (ἀπέστρεψε); putabat, pontifices ideo Christum libertati restitutos esse. — *Triginta argenteos*, triginta illos (τὰ) siclos, quos ei pontifices promiserant (26, 15.) et nocte superiore, quum Christum in suam potestatem accepissent, dederant. — *Principibus sacerdotum*, in templo obeuntibus sacerdotalia ministeria, quum non cogitandum sit, omnes synedristas vel etiam omnes principes sacerdotum sese ad Pilatum contulisse.

V. 4. *Sanguinem justum*, qui sanguinem insontem tradidi effundendum, seu: qui insontem prodidi ad mortem. — *Quid ad nos*, quid nostra refert, si nimirum id fecisti? — *Tu videris*, tu videas, quomodo de hoc facto apud Deum te purges (seu rationem reddas).

V. 5. *In templo* (ἐν τῷ ναῷ); alii ¹⁾: in aliqua templi parte, (quam Judae adire licuit), provocantes ad scriptores profanos, et sacros (Joan. 2, 20.), apud quos graeca vox ναός saepe generatim significat templum, nulla ratione habita alicujus templi partis, Alii ²⁾; in ipso sancto, ubi solis sacerdotibus licuit introire, in quem tamen locum Judas desperatione adactus irruit. — *Laqueo se suspendit*, nimirum ex desperatione; stimulos enim et flagella conscientiae non sustinebat, et ita peccato prodicionis gravissimo addidit aliud desperationis,

¹⁾ Berl, Fritschius, Arnoldi, Knabenbauer.

²⁾ De Wette, Meyer, Bisp., Schanz.

quod cum in aeternum reddidit infelicem. (Cf. s. Leo serm. 3.). In Actibus Apostolorum (1, 18.) Judas praiceps factus, disruptus esse medius ejusque viscera effusa omnia perhibentur. Difficultas haec evanescit, si dicimus, Matthaeum necis initium, Lucam autem necis exitum narrare, quum rupto (aliquo casu) laqueo, Judas pronus deciderit et medius disruptus viscera effuderit. (Cf. Mald.).

V. 6. *In corbonam* (εἰς κορβανῶν), in aerarium sacrum, seu thesaurum templi. Nam κορβᾶν vel κορβανῶς (hebr. קָרְבָּן) proprie significat munus Deo oblatum sive offerendum, dein aerarium sacrum, gazophylacium; (vid. commentar. in evang. s. Joan. 8, 20.). — *Non licet*; argumento ducto ex Deut. 23. 18., ubi interdicitur, pecuniam turpi quaestu aut ulla re illicita partam, inferre sacris eaque sacrum thesaurum augere. — *Quia pretium sanguinis est*, pretium pro hominis caede datum; seu pretium, quo homo ad sanguinis effusionem est venditus. Vide hypocrisin sacerdotum, qui simulant studium honoris templi, dum ipsum Dominum templi non timent occidere!

V. 7. *Emerunt*, nimirum posthac. — *Agrum figuli*, agrum omnibus notum (τὸν ἀγρὸν), quem figulus omnibus notus (id notat τοῦ) possedit, qui ex eo fundo argillam (Töpfererde) ad vasa conficienda effoderat. — *In sepulturam peregrinorum*, ut sepulturae inserviret Judaeis exteris, qui e longinquis regionibus Hierosolymam venerant ad festa, ibique tempore festorum dierum mortem obibant.

V. 8. *Propter hoc*, quia nimirum pretio sanguinis emptus erat. — *Vocatus*, non a principibus sacerdotum, sed a vulgo, cum res innotuisset. — *Haceldama*. Nomen hoc in graecis codicibus non legitur hoc loco; assumptum est in aliis ex Actibus (1, 19.), et est vox chaldaica: חַקְלֵלְמָא. — *Ager sanguinis*, i. e. ager pretio sanguinis emptus, seu ager emptus pecunia, quae tamquam merces data erat ad sanguinis effusionem. — *Usque in hodiernum diem*, quo nimirum scribebat evangelista. — Divino nimirum consilio factum est, ut, qua ratione pontifices nefarium suum scelus una cum illa pecunia obruere voluerunt, ea id tanquam sempiternum nequitiae monumentum in omnem posteritatis memoriam transferrent. Nam quoties nomen illius agri pronunciabatur, toties renovabatur

sceleris eorum memoria (Mald.). Ager hic situs est ad australem urbis partem, a monte Sion per vallem Hinnom sejunctus.

V. 9. *Tunc impletum est*, hac pontificum agendi ratione factum est, ut effatum adimpleretur. — *Dictum per Jeremiam*. Sed recitatum h. l. vaticinium apud Jeremiam non legitur, reperitur autem apud Zachariam (11, 12. 13.) locus, qui cum nostro loco magnam habet similitudinem. Unde difficultas haec permultas diversas peperit opiniones. Alii¹⁾ Bedam et s. Thomam secuti, evangelistam memoria lapsum existimant, ita ut loco Jerem. 18, 2. seductus, Jeremiam pro Zacharia scripserit. Alii²⁾ putant, errore librariorum positum fuisse Jeremiam pro Zacharia, uti habet versio syr. Philoxen. et quidam codices minusculi. Alii³⁾ ajunt, nullius prophetae nomen ab evangelista hic positum fuisse, postea vero librarium, qui loci Jeremiae (18, 2.) recordatus putaret, hunc locum animo Matthaei obversatum fuisse, nomen Jeremiae (διὰ Ἱερεμ.) ad marginem adscripsisse, quod postea in ipsum Matthaei textum graecum irrepperit. Alii⁴⁾ censent, desumptum esse testimonium, ex scriptis Jeremiae, quae perierunt (coll. 2. Marc. 2, 1.). Alii⁵⁾ putant, Matthaeum duo loca, alterum Jeremiae (32, 2. aut c. 18. et 19.), alterum ex Zacharia (11, 12.) in unum conjunxisse, et uni (Jeremiae) attribuisse, quod utique (Jeremiae et Zachariae)tribuendum sit, eodem modo, quo fecit Marcus (1, 2.). — Jam sententiae primae obstat inspiratio auctorum sacrorum, pro qua ab omni errore tutati sunt; alteri autem et tertiae obest, quod lectionem Ἱερεμίου omnes fere codices exhibent; quartae vero adversatur, quia id asseritur, sed non probatur. Quapropter praeferenda est sententia illorum interpretum, qui s. Augustinum secuti,⁶⁾ dicunt, s. Matthaeum duo loca, alterum Jeremiae (32, 6. seq.), alterum Zachariae (11, 12. 13.) in unum quasi oraculum conjunxisse et quum praeprimis emptionem agri

¹⁾ Schegg, Schanz, Keil, Weis.

²⁾ Euseb., Bern.

³⁾ Jans., Mald., Kistemaker, Reischl.

⁴⁾ Orig., Menoch., Bisp., Pözl.

⁵⁾ Grotius, Arnoldi, Bucher, Grimm, Knabenbauer.

⁶⁾ Anselm., Grot., Arnoldi, Bucher, Grimm, Knabenbauer, Stimmen aus Maria Laach 1892.

efferre velit, Jeremiae adscripsisse. — Verba: „Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israëls, paululum alio modo leguntur apud Zachariam (11, 12. 13.). Propheta nimirum, uti in antecedentibus legitur, personam egit Pastoris populi Israëls, sed ob ejus contumaciam abdicans se munere pastoris postulat, ut sibi afferant mercedem pro officiis et beneficiis, quae tamquam pastor iis praestiterat; »et appenderunt mercedem meam triginta argenteos«, — hac minuta summula, qua servus vulgo aestimatur, maximum erga prophetam contemptum ostendentes. Quum autem propheta nomine Jehovae munere pastoralis in populo illo functus esset, illa agendi ratione ipsi Jehovae ignominia illata est. Quapropter dicit ad eum Jehova: »Projice illud (illam mercedem tibi datam) ad figulum (formantem תַּיָּצֵר) decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis (quo me meaque beneficia iis praestita aestimarunt). Quod prophetae, personam Pastoris (Dei, Messiae) agentis, in visione contigit a populo, id evangelista statim iis verbis describit, quibus patet, designari modum agendi ducum populi, pontificum, erga Christum, qui eum spreverunt et ut ab eo liberarentur, triginta argenteos solverunt. — In eo autem, quod pecunia, quae apud prophetam solvebatur Domino pro beneficiis praestitis, agrum emerint, aliud cernitur expressum, quod apud Jeremiam designatur, scil. verbis versus 10.: »dederunt eos (argenteos) in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus« — Jeremias enim, antequam Judaei in exilium ejecti sunt, jubetur a Domino (Deo) emere agrum (32, 25.), qua agri emptione significabatur tum exilium, tum reditus Judaeorum e captivitate Babylonica et habitatio eorum in agris Israëls. Sed simul in agro, pecunia Domini acquisito, exprimitur vaticinium, quod s. Paulus annunciat (Rom. 11, 25—31.), fore ut, cum plenitudo gentium intraverit in regnum Dei (in ecclesiam Christi) etiam populus Israëls inveniatur gratiam et congregetur in ecclesiam, tanquam agrum, Christi occisi pretio comparatum iis, qui hic velut advenae et peregrini degant.¹⁾ — *Et acceperunt tri-*

¹⁾ Conf. Knabenbauer, Jans., Grimm.

ginta argenteos, nimirum pontifices, et quidem illos argenteos, quos in templo Judas projecerat. Propheta loquitur h. l. in prima persona, ut declaret, se fecisse, quod illi Dominus praecepisset. Evangelista sensu eodem per tertiam personam expressit (acceperunt, dederunt), ut ostenderet, id per sacerdotes impletum fuisse, quorum in ea re propheta personam gerebat (Mald.). — *Pretium appretiati*, i. e. pretium Christi (qui inaestimabilis est). Verba haec continent appositionem verborum: triginta argenteos. — *Quem appretiauerunt*, quem (Christum) pretio hoc (triginta argenteorum) aestimarunt a parte filiorum Israël, seu: qui eo pretio aestimatus est a parte Israël; nam illi aestimantes nomine populi agere censebantur. Ceterum apud prophetam loco: pretium appretiati (aestimati) legitur pretium aestimationis, decorum.

V. 10. *In agrum figuli*, i. e. et collocarunt triginta siclos ad emendum figuli agrum. — *Sicut constituit mihi Dominus*; verba haec respondent iis (Zach. 11, 13.): *et Jehova dixit ad me*; quibus verbis significat, se ea Dei jussu fecisse.

3. Christus coram Pilato ejusque condemnatio

(11—31.).

Marc. 15, 2—20. Luc. 23, 2—25. Joan. 18, 33—38. 19, 15.).

V. 11. *Jesus autem* (ἐν). Hisce reassumit historiam Jesu v. 2. inceptam. Narratio Matthaei est valde brevis et succincta, quae ex Joanne (18, 29—32. coll. Luc. 23, 2—5.) supplenda est. Vid. comment. in evang. s. Joan. 18, 33.

V. 12. *Nihil respondit*, quia nimirum respondendo nihil profecisset, et quia jam prius declaraverat, quo sensu sermo ejus de regno suo sit intelligendus (cf. 26, 64.).

V. 13. *Quanta adversum te dicunt testimonia*. Nonnullas harum criminationum refert Lucas (23, 5.). — *Non audis*; optabat videlicet Pilatus, ut Jesus loquatur atque criminationem repellat, sciverat enim (coll. Joan. 18, 38.), Jesum esse insontem atque a synedris ex invidia fuisse traditum (coll. v. 18.).

V. 14. *Non respondit*, quia nimirum nil adversum eum probatum erat, et quia intellexerat, ipsum judicem hoc non latere. — *Ita, ut miraretur*, nempe animi aequanimitatem

et celsitudinem Jesu in tanto adversariorum suorum furore (cf. Joan. 18, 33—38.). Nunc in historiae ordine sequitur, quod narrat Lucas (23, 6—12.). Vid. commentar. in evang. s. Joan. 18, 38. pag. 324. et seq.

V. 15. *Per diem solemnem*, i. e. festo Paschatis; nam id vox ἑορτή pro contextu et loco parall. Joannis (18, 39.) h. l. significat. — *Consueverat . . dimittere vinctum*. Lucas (23, 17.) dicit: *Necesse habebat* (scil. ex consuetudine) *dimittere*. Marcus tantum habet (15, 6.): ἀπέλυσεν (dimittebat), quod vero idem est ac: ἐλῶθαι ἀπολύνειν (solebat dimittere). Vide dicta in commentar. in evang. s. Joan. 18, 39.

V. 16. *Habebat*, nimirum praeses publicis in vinculis detentum. Graece est: ἔχον habebant, scil. praeses ejusque milites, Romani; vel ipse populus. — *Insignem* (ἐπίσημον insignem, h. l. sensu malo), i. e. famosum, criminibus perpetratis. — *Barabbas*. Vid. comment. in evang. s. Joan. 18, 40.

V. 17. *Congregatis illis*, nimirum pontificibus et multitudine Judaeorum (coll. Luc. 23, 13.), qui Jesum ad Herodem abductum comitabantur. — *Qui dicitur Christus*, qui vulgo habetur, vocatur Messias.

V. 18. *Sciebat*, tum ex fama publica, tum ipsa re, i. e. cupiditate accusatorum et modestia Christi. — *Per invidiam*, invidia ducti, quia auctoritatem Christi apud populum in dies crescere, suam autem imminutam videbant. — *Tradidissent eum*, nimirum sibi occidendum.

V. 19. *Sedente pro tribunali*. Vid. comment. in evang. s. Joan. 19, 13. et 18, 28. — *Uxor ejus*, nomine Claudia Procula. Inde a Tiberii temporibus moris fuit, magistratus in provincias abeuntes uxores secum ducere¹⁾ — *Nihil tibi et justo illi*, nihil tibi rei sit cum justo illo, seu: nihil acerbi in eum statuas. — *Multa passa sum per visum*, proprie in somnio, i. e. multa somniavi proxima nocte, quae animum meum angore impleverunt. Verosimiliter somniavit de tristi fine mariti sui. Celeberrimi Patres²⁾ docent, somnium hoc fuisse divinitus immissum. — *Qui dicunt*, immissum fuisse a diabolo, ut mortem Christi et salutem hominum impediret,

¹⁾ Tacit. Annal. 3, 33. 34.

²⁾ Ambros., Aug., Hier., Chrysost., Leo.

diabolo nimiam in redemptionis opus intelligentiam adscribunt, cui obstat locus epistolae ad Ephesios (3, 10.). Recentioribus, qui somnium hoc psychologicè explicant, dicentes, animum mulieris, cum haec Jesum, quem ex fama doctrinae et miraculorum sanctissimum esse noverat, publicis vinculis detentum esse intellexisset, utraque hac re occupatum, natura sua in hoc somnium erupisse, faveret quidem id, quum mulier haec fuerit pia, dummodo hic non ageretur de summo historiae facto. Cur autem uxori et non Pilato hoc somnium fuerit immissum a Deo, putant Patres (Chrys.) et interpretes (Theophyl.) alii, quia Pilatus indignus fuerit, cui Deus id revelaret; vel quia id non credidisset, vel illud apud se in mente retinisset. — *Hodie*, proxima nocte. Jansenius notat, in tota passione neminem pro liberatione Domini esse locutum, nisi duos gentiles, Pilatum et uxorem ejus.

V. 20. *Persuaserunt*, variis promissionibus et largitionibus, dum Pilatus cum nuncio uxoris suae collocutus est. Quo non obscure indicatur, a populo alias Jesum in libertatem restituendum expetitur fuisse.

V. 21. 22. *Respondens*, (ἀποκριθεὶς), ut 11, 25. — *Quid igitur*, si nimirum Barabbam in libertatem restitui vultis, Christo faciam?

V. 23. *Omnes*, populus et synedri. — *Crucifigatur*. Non tantum postulabant, quia criminis laesae majestatis accusabatur Christus, ut moriatur, sed ut cruci affigatur, quia crucis supplicium omnium suppliciorum atrocissimum erat ac maxime infame, quo servi et scelestissimi homines multabantur. — *Quid enim mali fecit?* (τί γὰρ), quid enim, si nimirum crucis supplicio multandus est, sceleris commisit?

V. 24. *Nihil proficeret*, se flectere non posse animos turbae in furorem actae. — *Magis tumultus fieret*; magis pertinet ad verbum: fieret, hoc sensu: magis fieri, i. e. augeri. — *Accepta aqua lavit manus*. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 15. — *Innocens sum a sanguine*, i. e. insons sum ejus mortis; constructio hebraistica. — *Vos videritis*; cf. v. 4. — Sic ergo Pilatus declarabat, Jesum esse innocentem.

V. 25. *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 15. et Matth. 23, 35.

V. 26. *Flagellatum*. Hoc non est ita intelligendum, ac si Pilatus Christum nunc, quum capitis sententiam jam dixisset, flagellis caedi jussisset; flagellatio haec jam antea facta est, nimirum tunc, postquam Jesus ab Herode ad Pilatum remissus fuerat, et Pilatus Judaeis, Barabbae dimissionem et Jesu crucifixionem pertinaciter postulantibus, iterum protestatus: nullam causam mortis invenio in eo, iterum dixisset: *corripiam ergo illum* (coll. Luc. 23, 22.), Jesus flagellis caesus est. Matthaeus (et Marcus) autem nunc istam flagellationem refert, ut ostendat, etiam Christum ante crucifixionem istam poenam perpassum fuisse, qua omnes in crucem agendi prius afficiebantur. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 1. — *Tradidit*, non statim post flagellationem. — *Eis*, i. e. Judaeis et imprimis pontificibus. Sed istud eis (αὐτοῖς) in plerisque codicibus graecis non legitur. Quomodo sit explicandum, si legatur, vid. commentar. in evang. Joan. 19, 16.

V. 27. *Tunc*, scil. peracta flagellatione. — *In praetorium*. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 18, 28. — *Universam cohortem*. De cohorte vid. commentar. in evang. Joan. 18, 3. Vox universa h. l. hyperbolice, i. e. de illa cohortis parte intelligenda, quae tunc temporis in praetorio erat.

V. 28—30. *Et exuentes eum*, scil. vestibus propriis, quibus eum jussu Pilati a flagellatione iterum induerant. — *Chlamydem coccineam*. Vid. commentar. in evang. Joan. 19, 2. 3. Hic subnectenda sunt et ordine historico intexenda, quae tacente Matthaeo supplet Joannes 19, 5—16.

4. Christi crucifixio et mors (32—56.).

(Marc. 15, 21—41. Luc. 23, 26—49. Joan. 19, 17—30.).

V. 32. *Exeuntes*, quum exirent, scil. ex urbe. Nam apud Judaeos supplicia a maleficis extra murum exigebantur (coll. Num. 15, 35. Act. 7, 58.). — *Cyrenaeum, nomine Simon*. Vid. commentar. in evang. Joan. 19, 17. — *Angariaverunt*; videsis 5, 41. — *Ut tolleret* (ὥς ἔρη). Joannes (19, 17.) dicit: *bajulans*.

V. 33. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha*. Juxta alios ab urbe distabat passus 850; juxta alios mille; juxta alios 1220. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 17. pag. 336.

V. 34. *Vinum . . felle mixtum*, i. e. amaritudine mixtum, nimirum myrrha, uti Marcus (15, 23.) habet, quae propter nimiam quantitatem potum amarum reddidit. Nam graeca vox $\chiολή$ a 70 interpretibus adhibetur de quavis amaritudine. Alii loco $οἶνον$, quod ex Marco illatum putant, legere volunt: $ὄξος$ sed etiam haec vox poterat ex Ps. 69, 22. depromi. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 17. pag. 337. — *Noluit bibere*, quia nimirum mentis suae plane compos mortem subire volebat.

V. 35—37. Vid. commentar. meum in evang. s. Joan. 19, 18—24.

V. 38. *Tunc*, postquam nimirum Jesus cruci affixus est. — *Crucifixi sunt*, verosimiliter ab aliis militibus (coll. v. 36.). — *Unus a dextris, et unus a sinistris*, absque dubio, ut videretur esse caput et dux horum hominum facinorosorum; qua ignominia nova juxta Marcum (15, 28.) impletum est vaticinium prophetae Jesaiae (53, 12.): „*Et cum iniquis reputatus est.*“ Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 18.

V. 39. *Praetereuntes*. Locus igitur supplicii erat ad viam publicam. — *Moventes capita sua*. Quassatio capitis non solum erat signum misericordiae, sed etiam irrisionis (cf. 4 Reg. 19, 21. Thren. 2, 15. ps. 21, 8.).

V. 40. *Vah* ($οὐά$); interjectio h. l. irridentis et exprobrantis. Sed vox haec, quum in plerisque codicibus desit, videtur ex Marco (15, 29.) illata esse. — *Qui destruis templum* (destructor templi!) *et reaedificas*; pervertunt locum Joan. 2, 19., uti Matth. 26, 61. — *Salva te ipsum*, scil. e cruce, quod longe facilius, quam templum destruere et triduo erigere. Nonnulli ante: *descende* legunt: et ($καὶ$) sensu non diverso.

V. 42. Ut summum ejus contemptum ostendant, de eo loquuntur in tertia persona. — *Alios salvos fecit*, nimirum miraculis; hoc vel ironice dixerunt, ergo negantes miracula ejus; vel serio, sed supponentes, illa ope satanae fuisse facta. — *Nunc*, quum sit cruci affixus eique optima data occasio ad potestatem et amplitudinem suam Messianam propalam monstrandam. — *Credimus ei*, nimirum illo ipso temporis momento, quo de cruce descendit, eum esse, quem se jactat, Messiam. Nonnulli codices omittunt *et* (si) ante rex Israël,

et loco praesentis legunt futurum et pro ἐπ' αὐτῶν tantum αὐτῶν sensu eodem manente.

V. 43. *Confidit in Deo*, fiduciam posuit in Deo. — *Si vult eum*, si sibi in eo complacet. Utuntur hic pontifices et legisperiti iisdem plane verbis, quibus hostes Christi usuros illicque illusuros esse praedixit David (Ps. 21, 9.); sic quoad verbum prophetia illa impleta est. — *Dixit enim*; rationem reddunt, cur illis verbis: liberet nunc etc. eum deridere sit fas. — *Filius Dei sum*; ergo impossibile, ut Filium suum, si in eo sibi complaceat, negligat Deus.

V. 44. *Id ipsum*, iisdem conviciis eum prosciderunt. — *Latrones*. Quomodo latro alter alterum reprehenderat, et quomodo roganti: *memento mei, cum veneris in regnum tuum*, Christus responderat: *amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso*, vid. commentar. in evang. s. Joan, 19, 24. pag. 340. et seq. — Hic ordine historico intexenda sunt dicta Christi ad matrem: *Mulier, ecce filius tuus!* et ad Joannem: *Ecce mater tua*, quae fuerunt tertium Christi in cruce verbum. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 26. 27.

V. 45. *A sexta hora*, ab hora duodecima meridiana (cf. 20, 3.). Marcus (15, 25.) hora tertia (τρίτῃ) crucifixum ait Dominum; juxta Joannem (19, 14.) autem hora sexta (ἑκτῇ) Pilatus pro tribunali sedit et judiciariam in Christum sententiam crucifixionis protulit. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 14. pag. 332. — *Tenebrae factae sunt super universam terram*. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 28.

V. 46. *Eli*, vox hebr. Deus meus. Marcus habet: *Eloi*, eodem sensu. — *Lamma* vox hebr. cur, quare. — *Sebachthani*, dereliquisti me; Hebraei enim Babylone redeuntes linguae suae hebraeae plures inferebant voces chaldaicas. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 28. pag. 344.

V. 47. *Quidam*, non milites (romani), nam hi vix quidquam de Elia cognitum habebant, sed Judaei plebeji. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 29. Quod Lucas (23, 36.) narrat, factum est ante horam sextam, durantibus irrisionibus et cavillationibus. — *Eliam vocat iste*. Verba Jesu malitiose detorquent, ut eum deriderent. — Iste (οὗτος) cum contemptu.

V. 48. 49. *Continuo currens unus*, scil. postquam Jesus clamasset: Sitio, uti explicat et supplet Joannes (19, 28.). — *Unus*, (ἓξ), scil. miles. — *Spongiam aceto plenam*. — *Ceteri dicebant: Sine, videamus, an veniat Elias liberans eum*. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 28. 29.

V. 50. *Iterum*; prima vice v. 46. — *Clamans*; graece *ἰκέτης*, ergo: postquam clamavit; et quidem primum, uti Joannes (19, 30.) habet: Consummatum est. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 30.

V. 51—54. *Ecce*, particula haec indicat, velum templi scissum esse, simulatque Christus exspiravit (August). — *Velum templi*. Vid. cuncta in comment. in evang. s. Joan. 19, 30. pag. 346. seqq.

V. 55. 56. *Mulieres multae*. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 25.

5. Christi sepultura (57—66).

(Marc. 15, 42—47. Luc. 23, 50—56. Joan. 19, 38—42.)

V. 57. 58. *Quum sero factum esset*. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 38. Juxta legem Mosaicam (Deut. 21, 23.) cruci affixi ante solis occasum tollendi et humandi erant. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 31. — *Homo dives*. Addit Matthaeus, fuisse divitem, ut tacite rationem reddat, cur ausus sit Christi corpus a Pilato expetere, et cur hic tam facile ei obsecundaverit. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 38.

V. 59. *In sindone munda*, linteo puro. Joannes (19, 39. seqq.) narrat, ad Josephum venisse Nicodemum (cf. 3, 1; 7, 50.) et attulisse 100 libras aromatum (myrrhae et aloës), quibus condiebant corpus Christi. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 39.

V. 60. *Et posuit in monumento suo*. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 42.

V. 61. *Altera Maria*, scil. Jacobi et Joseph mater (cf. v. 56.). — *Sedentes contra sepulchrum*, e regione sepulchri. Non enim decebat eas, ut ipsae etiam Christum linteis involverent et sepelirent; attamen scire volebant, ubi a viris sepeliretur, ut et ipsae postea, quod instante jam sabbato, facere non poterant, eum ungerent (coll. Luc. 23, 55. 56.).

V. 62. *Altera die, quae est post parasceven*, postero vero die, qui excipit feriam sextam, i. e. die sabbati. Verba enim: quae est post parasceven, quum vox παρασκευή sit nomen proprium diei sextae hebdomadae, sunt periphrasis sabbati ¹⁾ Vid. commentar. in evang. s. Joan. pag. 257.

V. 63. *Recordati sumus*; verbis his se quasi excusare volunt, quod iterum procuratori incommodent, non autem initio militarem custodiam petierint. — *Ille*, scil. notus. — *Post tres dies resurgam*. Christus nunquam his adeo apertis verbis palam praedixerat, se in vitam rediturum esse. Alii putant, sacerdotes verba haec derivasse ex Christi verbis, ad pharisaeos dictis de signo Jonae (12, 39. 40; 16, 4.); alii vero censent, quum Christus de resurrectione sua saepius discipulis loqueretur (16, 20; 20, 19.), nec eos ea de re tacere juberet, fieri potuisse, ut id etiam aliis innotesceret, et praeprimis pharisaeis, qui diligentissime invigilarent in cuncta, quae Jesus dicebat et agebat.

V. 64. *Veniant*, nimirum clam. — *Plebi*, vulgo, non nobis, qui hujusmodi fabulis non credimus. Praetexerunt cautioni suae fraudem discipulorum; sed revera metuebant resurrectionem ejus, territi tum propria scientia, tum prodigiis illis mirandis; ideoque revera vel impedire vel obscurare volebant resurrectionem (Jans.). — *Et erit*, i. e. quo facto. — *Novissimus error*, fraus, eum a mortuis resurrexisse. — *Priore*, quum se Messiam esse dixisset.

V. 65. *Habetis custodiam* (ἔχετε κουστωδίαν). Alii graecum ἔχετε sumunt pro imperativo: habetote custodiam; alii cum Vulgata pro praesenti indicativi: habetis custodiam, constantem scil. ex militibus (romanis coll. 28, 14.), qui hoc festi paschali tempore ad tumultus reprimendos variis in locis collocati sunt. — *Custodite, sicut scitis*, i. e. ita uti fieri oportere, pro vestra solertia judicabitis, seu optimo quo potestis modo.

V. 66. *Munierunt sepulchrum*; verba haec nectenda sunt cum verbis: cum custodibus, i. e. adhibita militum custodia, ne nimirum quis posset sepulchrum ingredi, vel aggredi. — *Signantes lapidem*, obsignantes, sigillantes lapidem, fors funiculo lapidi imposito, utrimque obsignato. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 19, 42.

¹⁾ Cf. Patrit. III, 508. Langen p. 139.

Caput XXVIII.

1. Resurrectio Christi.

a) Mulieres sepulchrum Christi visentes; apparitio Domini et angelorum (v. 1—10.).

(Marc. 16, 1—8. Luc. 24, 1—11. 22. 23. Joan. 20, 1. 2.).

Quod ad historiam resurrectionis attinet, vid. commentar. in evang. s. Joan. initio c. 20. pag. 355. seqq.

V. 1. *Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene.* Vid. comment. in evang. s. Joan. 20, 1. — *Videre sepulchrum*; Marcus (16, 1.) aperte dicit, mulieres venisse, ut ungerent Christi corpus, quod et Lucas (24, 1.) haud obscure indicat. Ante sabbatum in fine feriae sextae (coll. Luc. 23, 56.) statim post mortem et sepulturam aromata ad eum ungendum comparare incipiebant, et quae deerant, transacto sabbato comparabant (Marc. 16, 1.).

V. 2. *Ecce (ἰδοὺ)*; particula haec indicat, terrae motum factum esse, cum mulieres essent in itinere ad sepulchrum. — *Terrae motus*, scil. extraordinarius, et quidem, ut ait Euthymius, propter milites, custodes sepulchri, ut timore terrae motus erecti, et horrore ejus, qui lapidem revolverat, consternati fugerent, et haec Judaeis nunciarent, ac testes ipsi fierent veritatis. — *Enim (γὰρ)*, causam reddit, cur terrae motus factus sit, nimirum, quia angelus de coelo descenderit. — *Revolvit lapidem*, non, ut Christus ex eo resurgeret; hoc non erat opus, quia habebat corpus transfiguratum, sed propter mulieres, ut eis ostenderet, Dominum jam surrexisse; et propter milites, et universum mundum, ut huic per priores ostenderet, Dominum surrexisse, antequam lapis esset revolutus (clauso sepulchro). Cf. Mald. — *Sedebat*, ut custodes terreret et ostenderet, se esse, qui lapidem revolvisset.

V. 3. 4. *Aspectus*, figura, forma, apparitio ejus. — *Sicut fulgur*, fulgens ac splendida instar fulguris. — *Sicut nix*, nimirum candens. — *Timore ejus*, scil. angeli.

V. 5. *Respondens*, loqui incipiens. Cf. 11, 25. — *Nolite timere vos*. Vos, cum emphasi additum est, quasi angelus dicat: Milites timeant, qui malo huc animo venerunt, non vos. — *Scio enim, quod...* Verbis his causam reddit, cur non timendum sit mulieribus, nimirum, quia bono pioque accesserunt animo, ut Christi corpus quaerent et religiosum illi unctionis officium exhiberent (Mald.). — *Qui crucifixus est*. Hoc addit, ut ostendat, se nosse eum, et crucifixum et mortuum, eo loco sepultum fuisse; sed simul se scire, eum resurrexisse (Mald.). Vid. comment. initio capitis 20. evang. Joan. pag. 356 ad num. 4.

V. 6. *Non est hic: resurrexit enim, sicut dixit*. Maldonatus observat: »Non satis habet angelus dicere: Non est hic; poterat enim Christus illic (in sepulchro) non esse, nec tamen resurrexisse, quia inde translatus, aut furto sublat; propterea addit: resurrexit enim. Quod ne novum et incredibile videatur, addit: sicut dixit, confirmans ex verbis Christi ipsius resurrectionem et earum incredulitatem tacite notans, tamquam dicat: Si Christo credidissetis, dicenti, se tertia resurrecturum die (16, 21.), facile nunc, etiam sine meo testimonio, eum resurrexisse, crederetis.« — *Venite, videte locum, ubi positus erat Dominus*. Quod et suo et Christi testimonio probaverat, nunc experientia confirmat et ipso visu nititur fidem facere (Mald.), quum eas invitet, ut in sepulchrum ingrediantur, et eo vacuo reperto oculari experientia cognoscant, Christum ex eo resurrexisse. — *Dominus*. Vox haec ob codices praestantissimos tenenda. Christus enim qua creator est Dominus angelorum et hominum.

V. 7. *Et cito euntes, dicite discipulis, quia resurrexit*. Cito ire jubet mulieres, ait Maldonatus, tum ut quam primum discipuli, qui ob Christi mortem tristes erant, laetissimo resurrectionis nuncio recreentur, tum ut nutans eorum fides sustineatur. Ideo apud Marcum (16, 7.) nominatim etiam Petro id dici jubet, qui propter trinam negationem praeprimis moerebat (Greg. M.). — *Quia surrexit*. Verba haec usque ad: *ecce praedixi vobis*, ex mandato angeli mulieres ad Apostolos referre debebant (cf. 26, 32.). — *Praecedat*, jam in eo est, ut vos praecedat, vel: certe vos praecedet. — *Vos*, scil. Apostolos. — *In*

Galilaeam. Christus in Galilaea potius, quam in Judaea se Apostolis ostendere voluit, tum ut liberius cum iis ageret eosque docere posset, in Judaea enim sacerdotum metus impedire discipulos poterat (Chrys., Euthym.); tum quia in Galilaea maxima erat discipulorum multitudo, quos omnes confirmare volebat. Sed etiam mulieribus et Apostolis jam Hierosolymae apparuit, ut statim initio fidem eorum corroboraret, et hi sine mora in Galilaeam proficiscerentur (Ambros.). — *Videbitis*, scil. Apostoli. — *Ecce praedixi vobis*, scil. mulieribus (verba ad mulieres directa), quasi diceret: Ut cum factum fuerit, vos mulieres credatis, non esse phantasma aliquod, sed ipsum Dominum, quia ita factum, uti a me praedictum fuit. Alii loco: praedixi vobis (εἶπον ὑμῖν) ob Marc. 16, 7. legunt: praedixit vobis (εἶπεν ὑμῖν) scil. Christus, ita ut angelus non se, sed Christum hoc praedixisse dicat, alludens ad verba Christi 26, 32.: et postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam. Cui tamen conjecturae codices obstant.¹⁾

V. 8. *Exierunt* (ἐξελθοῦσαι), quo significatur ingressas fuisse monumentum; haec lectio praeferenda lectioni ἀπελθοῦσαι abeuntes. — *Cum timore*, ob eventus mirabiles (resurrectionem Christi et angeli visionem). — *Gaudio magno*, ob laetum resurrectionis nuncium. Utrumque eas festinare cogebat. Adjectivum: magno etiam ad vocem: timor referendum est.

V. 9. *Illis.* Juxta verbum 1. inter mulieres erat quidem *Maria Magdalene*, sed tamen h. l. non est de ea cogitandum; nam juxta Joannem (20, 11.) Christus ei non in itinere in urbem sed ad sepulchrum apparuit. Dein (coll. Joan. 20, 17.) ei non erat permissum, ut tangeret pedes Christi, quod his mulieribus concessum erat. Matthaeus ergo diversos eventus in unum conjunxit. Cf. initio capitis dicta in commentario in c. 20. evang. Joan. sub num. 12–14. — *Tenuerunt*, complexae sunt pedes ejus, et quidem ideo, ut eum adorarent.

V. 10. *Nolite timere.* Vult nimirum Christus eas liberare a timore, quem eis visio rerum supernaturalium injecerat, ut mente pacata possent, quae eis Christus diceret, percipere (Hieron.). — *Ite, nunciate.* Vid. commentar. in evang. s. Joan. 20, 18.

¹⁾ Cf. Arnoldi, Bisp.

b) *Corruptela custodum* (11—15.).

V. 11. *Quae quum abiissent*, abeuntibus illis, ut Jesu resurrectionem discipulis nuncient Non mirum, si nunc demum venerant nonnulli custodum in urbem; viso enim angelo instar fulguris coruscante, qui amovebat lapidem (coll. v. 4.), perculsi, stupefacti et exanimati quasi facti sunt; quum jam angeli visio disparuit, et illi ad se redierunt, in urbem iverunt.

V. 12. *Congregati*, scil. principes sacerdotum. Subita subjecti mutatio etiam apud optimos scriptores graecos legitur. Ceterum non est statuendum, omnes synedrii assessores convocatos fuisse (cum clam omne negotium peragendum esset), sed acerrimos Christi hostes.

V. 13. *Nobis dormientibus*. Vid. commentar. in evang. s. Joan. 20, 18.

V. 14. *Si hoc auditum fuerit a praeside*, si fama hujus rei ad procuratorem pervenit. — Nos, cum vi et gravitate: nos, viri nobiles, quibus multum auctoritatis est apud procuratorem. — *Suadebimus ei*, ei persuadebimus et eum conciliabimus vobis.

V. 15. *Verbum istud*, fama mendax, corpus Christi ab Apostolis furtim sublatum fuisse, dormientibus militibus. — *Usque in hodiernum diem*, usque ad hoc tempus, quo ista evangelista scribebat.

2. *Apparitio Christi facta undecim discipulis in Galilaea; missio Apostolorum* (16—20.).

Quomodo apparitiones sese exceperint, vid. commentar. in evang. s. Joan. pag. 357. seq. S. Matthaeus omissis ceteris apparitionibus illam solum recenset, quae undecim discipulis facta est in Galilaea tum quia in Galilaea elegerat Christus Apostolos, viros ex Galilaea, tum quia in Galilaea potissimum eos docuerat, in Galilaea se resurgentem cum iis conversari velle significaverat (v. 10) et in Galilaea eos omnium gentium doctores instituit (Knabenbauer). Conf. commentar. in evang. Joan. 21, 14.

V. 16. *Undecim*; Judas enim laqueo se praefocaverat. — *In montem*, in quem abire et ibi adesse eos jusserat Jesus

Quis ille mons fuerit, nescitur; evangelista id non dicit, nec etiam, qua occasione Christus illum Apostolis designaverat. Alii cogitant de monte Thabor, alii de monte quodam juxta mare Tiberiadis; alii putant, montem, in quo sermo montanus habitus est.

V. 17. *Dubitaverunt*, non, num Dominus resurrexerit (quod contextui obstat, quum excepto Thoma omnes bis jam eum viderint), sed utrum ille, qui coram ipsis praesens esset, sit Dominus. Major pars Apostolorum Christum adoraverat, per pauci autem, qui dubitarunt, num sit ipse Dominus, non adoraverant.

V. 18. *Accedens*, scil. propius, ut se ipsum esse, luculentius nossent. — *Data est mihi*, non tanquam Deo, quia eam ab aeterno habuit, sed tanquam homini, tanquam hominum Redemptori, propter meritum passionis et crucis (Phil. 2, 9.). — *Omnis potestas in coelo et terra*. Quum regnum Christi hisce in terris inchoetur, consummetur autem et perficiatur in coelo, regia Christi potestas et coelum et terram complectitur, ideo dicit: omnis potestas in coelo et in terra. Hoc praemittit, ut intelligerent, se non temere eis dare potestatis plenitudinem et jubere id quod sequitur.

V. 19. *Euntes ergo* (οὖν) scil. in mundum universum (coll. Marc. 16, 15.). Vox ergo (οὖν), quam nonnulli codices et versiones habent, declarat nexum inter Christi potestatem et missionem Apostolorum. — *Docete*; graece est: μαθητεύσατε, quod est: discipulos facite (cf. 13. 52.), in ecclesiam meam adducite, nimirum praedicantes doctrinam evangelicam. *Omnes gentes*, quia omnes redemerat sanguine suo. — *Baptizantes eos in nomine Patris* etc. (βαπτίζοντες εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς), i. e. eos (qui doctrinam receperint) aquae immergite eum in finem, ut nomini Patris et Filii et Spiritus s. fide et pio cultu obstringantur. Nam formula graeca βαπτίζειν (scil. τινα) εἰς τινα vel εἰς τι generatim significat: aquae immergere aliquem eum in finem, ut junctus, addictus, mancipatus sit ei, cujus nomen cum praepositione εἰς conjunctum est. Hinc βαπτίζειν εἰς τὸ ὄνομα πατρὸς . . . est aliquem per baptismum nomini Patris etc. (seu Patri) addicere, mancipare, consecrare, ita ut obstringatur nomen Patris (Patrem) profiteri eique obedire; seu aquae immergere eum in

finem, ut nomini Patris etc. fide et pio cultu obstringatur ¹⁾. Unde baptismo consecramur et devovemur ss. Trinitati secundum ea, quae de se nobis revelavit, ingredimur in ejus vitae communionem ac societatem, tradimur in ejus obedientiam et auctoritatem secundum omnia, quae manifestatione sua facta a nobis exigere dignatur. Vulgata habet: in nomine, ac si esset: ἐπ' ὀνόματι, vel ἐν ὀνόματι, quod non idem est ac: εἰς ὄνομα; nam βαπτίζειν ἐπ' ὀνόματι est: aquae immergere super confessionem nominis, i. e. praemissa confessione nominis, (quae igitur conditio est, sub qua baptis- mus confertur); et βαπτίζειν ἐν ὀνόματι est: aquae immergere in- vocato et appellato nomine vel auctoritate. Quum autem in latinitate Vulgatae εἰς saepissime vertatur: in cum ab- lativo et generatim in Vulgata in cum ablativo et accu- sativo promiscue adhibeatur, alii statuunt, etiam verba Vul- gatae eodem sensu explicanda esse. Ex hisce Christi verbis ab ecclesia forma baptismi sumpta est. Ex his verbis simul patet, Filium et Spiritum s. aequalis cum Patre esse digni- tatis. Quum autem ad salutem neque sola fides, neque bap- tismus sufficit, sed requiritur observatio praeceptorum, ideo adjungit:

V. 20. *Docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis*, i. e. omnia praecepta. — *Ecce*; verbo hoc attentos red- dit, velut rem magnam dicturus. — *Ego*, cui nimirum data est omnis potestas, et quem vos pro Domino et Deo vestro agno- scitis. — *Vobiscum sum*, nimirum auxilio et gratia. — *Usque ad consummationem saeculi*, omnibus diebus usque ad adventum meum ad judicium; vide 13, 39. Haec verba sunt addita ad consolationem eorum, qui in Apostolorum locum succes- suri sunt. Simul his promittit, ecclesiam fore infallibilem eamque nunquam re ipsa interituram esse.

¹⁾ Cf. Beelen Act. Apost. 2, 38; 19, 3. Knabenbauer.



